UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli-Avgvsti Salesii Tvlliani Doctoris Theologi, Praepositi, Canonici, Vicarii Generalis Et Officialis Ecclesiae Gebennensis: De Vita Et Rebvs Gestis Servi Dei

Sales, Charles Auguste de

Lvgdvni, 1634

urn:nbn:de:hbz:466:1-9634

Visual Library

K IV. 5
24 Th. 2307.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. E. R. D.

CAROLI-AVGVSTI SALESII TVLLIANI

DOCTORIS THEOLOGI,

PRÆPOSITI, CANONICI,

VICARII GENERALIS ET OFFICIALIS

ECCLESIÆ GEBENNENSIS:

DE VITA ET REBVS GESTIS SERVI DEI

eximiæ Sanctitatis Viri, Patris ac Patrui sui,

& legati Celsmi Principis Ferdin: epi Paderb: et Monaster: &c 1683.

FRANCISCI SALESII,

EPISCOPI ET PRINCIPIS

GEBENNENSIS.

LIBRI DECEM.



Collegij Societ. Jesu Paderb:

LVGDVNI,

Apud FRANCISCVM LABOTTIERE & IOANNEM IVILLARD, in vico Tupino.

M. DC. XXXIV.

Cum Priuilegio Regis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



VICARIO IESV CHRISTI,

VRBANO VIII.

SACROSANCTÆ CATHOLICÆ, APOSTOLICÆ & Romanæ Ecclesiæ,

PONTIFICI OPT. MAX.

CAROLVS AVGVSTVS SALESIVS,
Tullianus, per Humillima pedum oscula,

FOELICITATEM SEMPITERNAM.

SPECVLVM sine macula tibi offero, PATER BEATISSIME, Franciscum Salesium, Gebennensem Episcopum ac Principem, Patruum meum, quem à Tua Sanctitate, Sanctum appellari vniuersus Christianus Orbis expectat. Loquor ego omnium nomine: Quid enim hanc mihi auellere libertatem possit; licèt eumdē cum illo sanguinem hauserim: cùm nemo sit, nisi prorsus incognitus, qui eum non cognoscat, amet, laudet, veneretur? Et verò, Pater Sanctissime, debemus huc vsque miseri esse Beatorum Cœlitum consanguinei, vt de eis loqui non audeamus? Optimum si suæ quisque patriæ studeret, sed dicam & ampliùs. Difficillimum ex-

traneo benè hiſtoriam ſcribere:neque id ſanè proferrem, niſi ſatis ſupérque iampridem effati veritatem,experientiâ comprobaſſem.Hoc ego credidi,propter quod loquutus ſum, & Dei iuſtitiam, quam in Seruo ſuo abyſſum multam poſuit, annunciare decreui in Eccleſiâ magnâ, cui Tua Sanctitas præeſt fœliciſſimè, ſapientiſſimè, ſanctiſſimè. Speculum autem appellaui Præſulem quem tibi ſiſto ; ſi Solem dixero; dixero quod eſt: quandoquidem eius doctrinâ fulget Eccleſia,vt Sole Luna. Exultauit vt Gigas ad currendam Iuſtitiæ viam, & à Summo Chriſtianæ perfectionis cœlo, tot vibrauit virtutum & miraculorum radios, vt nemo ſit qui ſe abſcondat à calore eius.Non erubeſco porrò hæc tibi dicere, VRBANE MAXIME : quia iam ab aliis intellexiſti fuſiſſimè & ſciuiſti;immò tu ipſe ſummis eum laudibus perſæpè es proſequutus; & beatum ego hac in re me exiſtimo, quia caro & ſanguis nihil reuelarunt mihi. Fateor tamen ingenuè(& te id ſcire par eſt,quem,velut Patremfamilias,nihil eorum quæ in domo fiunt latere debet) ea me imbutum fuiſſe inuocato Numine ſententia,vt tanti Præſulis Hiſtoriæ, quam ex euidentiſſimis rationibus notiſſimam habeo,calami mei periculum & tyrocinium hac in ſcriptionis arte meum deberem : Enimuerò ille eſt, qui mihi in materni adhuc vteri tenebris inuoluto (vnde mirum in modum glorior) fauſtè precatus eſt,& omen dixit, natum amauit & animauit ad eam quam ſuſcepi, amo & veneror Eccleſiaſticæ vitæ rationem, & ui ſuis precibus, quibus in conſpectu throni & Agni

valet

valet mirificè, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltauit me. Hei! Cur non longiori hac viæ vita donatus est, vt liceret misero apud eum haurire venam aquarum viuentium,& de Theologicis capitibus, ipso Doctore cœlitùs docto, imbui; cùm me pauciſſimis antequam Auenionem proficiſceretur diebus, magno planè propenſionis erga me ſuæ exhibito teſtimonio, quò facilius inſtruere Metaphyſices adhuc candidatum poſſet, in ſanctam ſuam conſuetudinem & familiaritatem aduocarat? Sed conſolatur ille me recordatione grata quotidie, & quem Patruum & Patrem habui in terris, eumdem & ſemper Patrem & Patronum experior in cœlis. Putas verò, PATER BEATISSIME, quàm lætetur hodie de me, cùm ſui cauſa videt ad Sanctitatis Tuæ pedes prouolutum? Næ, videor mihi videre illum, nouis (ſi quæ cœleſtibus addi poſſunt) affectum gaudiis, his verbis ſibi ipſi gratulari: Breui me Pontifex Maximus Pontificem, Sanctus Sanctum dicet, & talem exhibebit mortalibus, qualem Deus Maximus inter immortales ſuos aulicos glorioſiſſimè conſtituit. Sed non id ipſe ſolus expoſcit. Vna eſt vox totius triumphantis Solymes: & accedet profectò Patriarchis noua lætitia, cùm terræ honoribus additum ſibi videbunt eum, qui tot liberos Chriſto genuit, tot Religioſarum mentium Patrem: Apoſtolis, cùm eum, qui in reuocandis ad Eccleſiæ caulas Hæreticis tot labores, tot pericula, ingenti cũ emolumento exantlauit: Martyribus, cùm eũ, cui ſola dum viueret Martyrij fortuna & ſola dũ moreretur cauſa defuit: Pontificibus, cùm

eum,qui animam ſuam dedit pro ouibus ſuis, quippe irreprehenſibilis ac ſine crimine fructum centeſimum fecit in plebe, & acceptis quinque talentis alia quinque ſuperlucratus eſt: Doctoribus,cùm eum,qui re & nomine Sal terræ fuit & lux mundi;ita vt nullus ſit Orbis angulus in quem tot ſanctè & eruditè conſcripta ab eo volumina non peruaſerint: Confeſſoribus, cùm eum, qui poſt aurum non abiit,nec ſperauit in pecuniæ theſauris: Virginibus denique, cùm eum, qui neſciuit thorum in delicto, & cum mulieribus non eſt coinquinatus, & Agnum ideò nunc,quocunque ierit,in albis ſequitur veſtimentis.An commendari quiſquam altiùs poteſt? Vide igitur quid tibi rursùm offero? PATER BEATISSIME; Citrum aureolam ex Eccleſiæ tuæ Paradiſo explantatam,quam in voluptario tuo podio iteratò pangas: Non amplius Smirnæas vites deſiderabis: habebis enim in ea flores fructúſque perennes. Roſas Pæſtanis educatiores, lilia & violas Allobrogicarum conuallium plenis cape calathis,quibus nec defit honor frondis, nec odor, nec purpura, nec niueum ebur. En, vt te circumdant dies verni? Deſcende porrò, PONTIFEX OPTIME, in hortum tuum & in areolam aromatum;vide ſi floruerint mala punica,ſi flores fructus parturiunt,& da volatum argumentoſis apibus tuis,vt bombilent circum hos flores & paſcantur in liliis, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ. Ego hæc, O PRÆSVLVM PRINCEPS MAXIME, in portis noſtris omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi. Sede

etiam

etiam sub vmbra mali huius desiderabilis, & postquam fructum eius dulcem inueneris gutturi tuo, dignare, DOMINE, in diebus nostris, sicut oleum effusum reddere Francisci Salesij nomen, & in fines Orbis terræ exeant verba tua de Sion Monte Sancto Dei. Notam fac in populis veritatem istam; Quia posuit Dominus super caput serui sui coronam de lapide pretioso. Sparge in publicum hos flores, & hæc dulcissima tuarum apium mella. Deduc Siparium quo Sol hic adhuc tegitur, vt luceat iterùm coram hominibus, & glorificetur Pater noster qui est in cœlis, & hoc denique speculum omni christallo purius tuis exhibe Christianis. Lugduno. Xeniorum die, anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo quarto.

PRÆFATIONEM NE OMITTE, BONE LECTOR.

IN salutatum te ad Sanctæ huius. Historiæ lectionem statim dimittere, nec debeo, nec volo, nec possum. Caussam ex enarratione disces & laudabis. Siquidem difficilè tibi erit æquitatem rei discernere, si me nescis, si me non audis, si me non amas. Primùm igitur scito me ingenuum & ab omni inani fastu alienum: nec verba dubia, nec sensum duplicem, nec mangonium amo, & præterquam quod id non fert indoles, prohibet quoque mea conditio quæ Ecclesiastica est, & me vt vestior loqui iubet, quidquid tandem garriant aut ganniant sæculi homines, prophana turba, spuma rerum, iniquum vulgus: Cur enim sic etiam non dicam, cùm sic sentiam? Planè illos abominor qui iudicant potiùs historiam ex verbis quàm ex sensu & reipsâ. Quot verò nunc huiusmodi in veritatis detrimentum terram calcant? Bone Deus! Abeant illi ad suos Ethnicos vano dictionis vento turgidos, quandoquidem Christianam adeò simplicitatem fastidiunt, & delectantur in fuco, aut sub paropide, tanquam si deberemus semper Bacchanalia viuere. Nihil hîc illorum est, nisi fortè sapiant & parabolam grani sinapi intelligant, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Ego igitur (nec tibi quæso hæc tædium pariat repetitio quæ me miris afficit gaudiis) Vir Ecclesiasticus & Ecclesiastes, de Viro Ecclesiastico & Ecclesiaste, immò & Ecclesiæ Sole ad Ecclesiasticorũ institutionẽ, Ecclesiastico more, id est, simpliciter, ingenuè, accuratè & ex ipsamet nudâ prorsus veritate confidenter scripsi, & rem omnẽ sic confeci. Cùm viderem tot scriptores, ipsos quidẽ egregios, & laudabili prorsus conatucuius illis gratias quãtum possumus maximas agimus) in historiã Serui Dei conscribendam

dam exurgere, neque tamen scopum attingere, tùm quod in perlegendis commentariis æquiuocatione, & ea etiam, si extraneum morem consideras, tolerabili, plerunque laborauerint, tùm quod, vel moras noluerint quas suadebat olim Flaccus, vel à minùs rerum gestarum memoribus aduersaria sumpserint, vnde graues aliquando à viris maximis querelas & lamentationes audiuimus, quotquot Franciſci Gentiles ſumus, & quorum præcipuè intereſt vt eius memoria illæſa remaneat, grauius quàm verbis queam exprimere moueri & affligi cœpit animus meus. Ad hæc, cùm de committendo aliquo qui cõmentaria ex veritate deſcriberet auidis danda ſcriptoribus deliberaretur, cecidit ſuper me ſors & mandatum ab iis quibus obedio & reuerentiã debeo, & licèt ineptitudinẽ in ſcribendo meam initio excuſarem obijceremque à debilibus ingeniis formidandum mihi eſſe, intelligenti nimirum non defuturos temerarios ſuſurrones qui velut mea dicerent quæcunque de Patruo meo dicerem laudémque in ore proprio ſordeſcere, ex prouerbio, quo ſuæ malcuolentiæ velum obtenderent, effarentur. Illi tamen Domini mei vrgere non deſtiterunt in hæc verba. Quis verò iuſtæ formidini locus? Num licet omnibus de viro notiſſimo & ætate noſtra defuncto loqui? Num in conſpectu omnium & in Sole vixit? Num oculatos adhuc teſtes habes in promptu qui tuæ narrationis ſint vindices? Quis præterea omnia & ſingula accuratiùs annotauit? (Et hoc vltimum profectò optimè proferebant) & ſinendæ ſunt ergo cæteræ oues aberrantem primam ſequi? Etiam ſemper à vobis accepiſſe Commentaria Authores cæteros nemo erit qui coniecturis non aſſequatur. Sæculum viuimus in quo loquendi libertas eſt. Vtinam multi ſic à ſcriptione formidarent! Tu verò (inquiebant) ne formida. In ſimili; Vide num multi præteritis ſæculis de conſanguineis ſuis, viris clariſſimis, & proximis cum laude ſcripſerint? Eos in medium adducere longum nimis foret & ſuperfluum. Atqui maiorem illi apud viros probos & prudentes æquóſque lectores fidem faciunt. Prohibendi ſunt ergo deinceps potiori ratione, Religioſi omnes ne ſuorum virorum illuſtrium res geſtas poſteritati tradant. Numquid enim idem de iis poteſt obijci, quod tu de te obijcis? Trepidas verò timore (ſubijciebant) vbi non eſt timor. Deprauatiſſimos ſæculi mores non ignoramus & eſſe

homines qui postquam in Lunæ corpore maculas facilè viderint etiam in Sole reperire nituntur. Verùm quid agunt illi præter suammet excæcationem? Culpabit te vnus; laudabunt mille, qui scilicet sanctuarij pondus adhibebunt. Macte animo, Tulliane, neque mactandi nobis sunt canes omnes qui de nocte per vicos & plateas in Dianam allatrant. His suasionibus erectus meliorem esse obedientiam dixi quàm victimas, & adhibui statim operi manum, quantâ fieri potuit diligentiâ. Peruolui iterùm atque iterùm conscriptos iam & in lucem editos libros, quos habes in tabularum & authoritatum indice: annotaui quod benè, expunxi quod aliter: vidi & perlegi chartas omnes quas in ipsiusmet Francisci Musæo reperi, seu ex eo, in aliud exportatas, quidquid in Episcopali Curia, in Archiuiis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, Ciuitatis Anicienſis, ex Nobilium Consulum fauore; Monasterij Visitationis, quod Ioanna Francisca Fremiota Chantalia Superior Mater porrexit; Domus nostræ tum Salesij, cùm Tulliæ, de Manuscriptis fidelissimis Philiberti Busati Tallorensis eius loci Curionis Viri probi & ipsi Francisco olim charissimi, qui multa iampridem de eo annotarat. Manuscripta omnia Michaëlis Fabri eius Confessarij & Eleemosynarij qui nuper obdormiuit in Domino; Rationum Codices Georgij Rollandi Decretorum Doctoris Canonici Cathedralis Ecclesiæ & Domus Regimini Præfecti, Commentaria accuratissima Ludouici Comitis Salesij Patris mei, & aliorum fidem facientium quæ hinc inde habere potui. Tum Seruos & Domesticos à primo ad vltimum omnes, Canonicos nostros, Seniores, Curiones & huiusmodi testes omni exceptione maiores accersiui & mihi priuatim adhibui eorum excitaui memoriam, rem per partes habere volui, inquisiui de temporibus, de locis, de auxiliis, de causis, de actionum testibus ac circumstãtiis denique omnibus; ita vt nihil vel parum superesse quod ad rem faciat existimem. Præterquam quod multarum ego actionum testis sum oculatus ab anno supra millesimum sexcentesimo decimo quinto quo in Anicienſi Gymnasio annos licèt natus duntaxat nouem litteris incubui, ad annum vsque sexcentesimum vigesimum tertium quo sacrosanctæ Theologiæ studiis inuigilaturus Lugdunum & apud Patres Societatis Iesu profectus sum. Posteaquam ve-

rò in Patriam redij vigesimo octauo anno, statim sacris Ordinibus initiatus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ ac postmodum Præpositus à Sanctâ Sede Apostolica, & ab Episcopo Officialis & Vicarius Generalis effectus, pro ea qua per sexennium vsus sum publica & solemni authoritate sciuisse profectò & adnotasse mihi licuit, si volui, quidquid ad hanc historiam rectè conscribendam fuit necessarium, adeò vt imprudentissimum me fuisse oportuerit si nesciam & impudentissimum iam si mentiar. Vides quàm tecum agam bonâ fide (Lector optime). Igitur omnia quæ per syngraphos sic accuratè primùm scripseram in Chronicon per ætatis annos, imò & cùm potui, menses & dies digessi, vt statim ex lectione animaduertes, quo labore inter assiduas conciones & mei muneris diuersas longè occupationes quæque stylum frangunt & variant maximè, non est quod dicam, tu ipse cogita. Placuit sanè mihi labor ille, & quia nihil esse amanti difficile fert prouerbium, consilium inij vlterius procedendi & formandi colligatæ narrationis iustum volumen, quod implorata multis sacrificiis Dei ope tandem aggressus sum & confeci; quale quale est. Spero te habiturum excusatum me & consideraturum ex tua prudentia nouos huiusmodi fœtus non posse omnibus semper suis numeris esse absolutos. Pariet ætas alios quos iam concepi: neque enim ad meliora charismata animum mihi deesse crede: vtinã vires ex proportione suppeterent, sed Deum meum & Dominũ qui bonus est iis qui recto sunt corde, in me & circa me agere sino, quod voluerit, & tu & ego, bone Lector, faciemus. Finis meus præcipuus in hoc opere est Sacerdotum & Episcoporum, Religiosorum etiam hominum (Quandoquidem omnia omnibus Franciscus factus est vt omnes Christo lucrifaceret) Directio; non ex meipso, quod esset insolens & temerarium sed proposito illis hoc speculo, tanto támque Religioso Præsule, quique Religiosorum omnium & Religiosi Instituti semper fuit amantissimus, quidquid scriptitare conentur nonnulli quo suas nugas tueantur. Et quem si aliquãdo Beatũ & sanctum Præsulẽ appello, nolim credas me tibi eũ publicè inuocandũ proponere velle. Absit hoc à me, qui omnẽ Ecclesiæ sacrosanctæ contrariũ sensum respuo, reijcio & abominor, quousq; ab Apostolica Sede Oraculum prodeat quod omnes auidis mentibus expectamus. Sed iis vtor epithetis in eo sẽsu quo Antiqua Ecclesia Sãctos & Beatos vocat Episcopos omnes, &

Scriptura ſancta eos qui in ſinu Abrahæ ſeu in Domino requieſcunt quemadmodum & idem ante me dixit Religioſiſſimus Fullienſis Ordinis Abbas Ioannes à ſancto Franciſco qui eius res geſtas benè ex breuitate, & vt potuit, deſcripſit. Redeo ad ſtylum Præter ea de quibus initio te admonui, ſupereſt vt ſcias me nonnulla communis Eccleſiaſtici vſus verba liberè & abſque ſcrupulo aſſumere in hoc hiſtoriæ genere, vt ſunt Benedictio, Breuiarium, Capitulum, Horæ Prima, Tertia, Sexta, Nona, Litaniæ, Matutinum, Præbenda, Proceſſio, Credentia, & cætera huiuſmodi quæ paſſim reperies, ſicut & Chriſtiani & Religioſi vſus vocabula, Deuotio, humilitas, ſimplicitas, charitas, reſignatio, ſacramentaliter, mortaliter, venialiter, realiter, communicare, & ſancta Communio, quæ nunquam apud Ethnicos reperias. Planè malui vt tu hîc me ſolo nomine Tullianum diceres quàm Eccleſiaſticum tandiu receptum vſum ſpernere, aliter ſiquidem dicere potuiſſem ſi voluiſſem: atque adeò ſi peccatum eſt, verè peccatum eſt, quandoquidem id ſciens commiſi: probè etenim noui quid intelligant ij qui dicunt. Fauſtè precari, Collegium, Supplicatio, Sanctorum inuocationes, Annona, preces matutinæ, Diurnæ, Religio, Summißio, In alterius arbitrium conceſſio: alia docuerunt me Theologi & Philoſophi, quàm Grammatici, & videri vt pleraque vel phraſes ſunt & circumloquutiones vel non explicant Eccleſiæ ſenſum? Non potuerunt noſtra omnia ſcire vel ſcribere Tullius, Liuius, Cæſar, & alij Ethniciſmi tenebris inuoluti: & quemadmodum nullus ibit inficias quin de dignitatibus & publicis muneribus quæ naſcuntur quotidie Regum & Principum arbitrio noua vocabula condere poſſimus; vt ſunt, Baro, Comes, Marchio, Balliuius, Mareſcallus, Seneſcallus, & cætera huiuſmodi quæ omnia referre importunum eſſet: Ita maiorem ego Eccleſiæ authoritatem ad extremum tueri ſum paratus ſi quis, & quicunque tandem ille ſit, certare mecum in hac palæſtra velit. Neque omnia cenſeri debent barbara quorum non meminerunt Tullius, Liuius, Cæſar, & alij: Nam quæſo te, Bone Lector, cui linguæ noua condere verba licet? Viuæ (inquies) proculdubio. Dic verò; An viua eſt Latina lingua? Abſit tantum nefas mortuam cum Ethniciſmo dicere: Viuit viuit profecto in Eccleſia ſancta Catholica, Apoſtolica & Romana, cui proinde noua in dies

ad

ad vsum suum verba condendi facultas est, & cuius regni non erit finis peribúntque potius & ante eam linguæ cæteræ omnes quæcunque: nam in omnem terram exibit semper sonus eius & vox sicut columbæ illius quæ in foraminibus petræ & in cauerna maceriæ commoratur dulcis erit in auribus Domini. Nollem verò si antiquorum illerum Christi temporibus anteriorum hominum historias exscriberem Ecclesiasticis vti vocabulis; stoliditas esset intolerabilis. At quãdoquidem viuebant illi & loquebantur prout ferebãt tẽpora, viuamus nos & loqnebamur scribamúsve prout ferũt nostra, quæ multo meliora existimo; viuent & loquentur posteri nostri vt volent, quod nos Galli (non sine miseria quidem) quotidie experimur. Vna tantùm in omnibus lex generalis esto. Via, Veritas & Vita: per vitam autem hîc salutem æternam intelligo. Rhemnianos & Appionia cymbala procul esse iubeo. Non dubito præterea quin si extraneus es multa tibi videantur inutiliter scripta; vt quæ ad visitationes Ecclesiarum spectant, ad statuta quædam, ad consilia, ad descriptiones locorum, sed id me fecisse intellige pro Diœcesi nostra Gebennensi, & Sabaudiâ charissimâ cui me totum & quidquid me circumdat prorsus debeo, & in Communitatum nostrarum gratiam quibus etiam officium promiseram. Si de Gente nostrâ ex occasione loquutus sum; aliter facere non potui, & quidquid sit, nihil ab inuidia timeo; quia veritatem dixi. Loquantur de se alij prout voluerint, non habebunt me Censorem, situt nec eorum iudicijs hac in re subesse volo. Errata quæ irrepserunt vt in primis editionibus ferè semper fieri consueuit, ad finem vide & corrige. Si vernacula verba habere cupis versionem nostram Gallicam consule. Cæterum non attende ad corticem sed ad medullam; Proficies si degustaueris. Lachrymas meas suauitate tamen mixtas dum hæc scriberem nolo recensere tibi. Facerem id extra rem. Hoc permitte. Tot cœlestis benedictionis guttas tibi exopto & habebis ingentem numerum. Redde tu mihi parem gratiam si me amas, vt rogo te, amabis autem summopere si Deum & Dominum nostrum orabis vt perficiat gressus meos in seruitis eius quem tibi ab incunabulis ad sepulchrum descriptum trado, vt non moueantur vestigia mea. Et vt inhabitẽ in domo Domini omnibus diebus vitæ meę: quoniã eructauit cor meum verbum bonum & dico ego opera mea Regi.

DOCTORVM APPROBATIO.

HOc pium & præclarum opus *De Vita & rebus gestis eximiæ sanctitatis viri, Illustrissimi & Reuerendissimi Patris Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebẽnensis, in decem libros digestum: Authore Carolo Augusto Salesio Tulliano, Doctore Theologo, Præposito, Canonico, Vicario Generali & Officiali Ecclesiæ & Episcopatus Gebennensis*, secundùm Orrhodoxam fidem conscriptum vidimus, dignum quod typis mandetur: tum vt omnes disciplinæ Ecclesiasticæ auidos instruat, tum in pietate promoueat, censemus. Quod testamur qui subscripsimus, Theologiæ Doctores, Cathedralis Ecclesiæ Gebennensis Canonici, ac in Conuentu Ecclesiastico (quem Synodum vocant) ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Ioanne Francisco Salesio Episcopo & Principe Gebennensi Examinatores constituti. Anicij Allobrogum, Calendis Octobris, anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio.

IOANNES-LVDOVICVS QVESTANVS.
CLAVDIVS-AMATVS PRVMANVS.
IOANNES MAYODVS.
PVLTRERIVS, COGN. CAPRARIVS.

LEGALIZATIO.

CONsilium Gebennesij Illustrissimi Principis Ludouici à Sabaudia Ducis Nemorosij & Gebennesij, vniuersis quorum interest & interesse potest notum facit & manifestum, suprascriptos Dominos Ecclesiæ Gebennensis Canonicos & Doctores Theologos, tales esse quales se professi sunt, & eorum idcircò scriptis fidem in Iudicio & extra Iudicium adhiberi. In cuius rei testimonium sigillum appositum est; & per Grapharium subsignatum. Anicij die tertia Octobris anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio.

Sigillatum in cera rubea maiori sigillo Illustrissimi Principis Ludouici à Sabaudia Ducis Nemorosij & Gebennesij.

MONETVS BVRQVERIVS. Libellio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO ET PERMISSIO.

IOannes Claudius de Ville, in Sacra Theologia Magiſter, in Eccleſia Sanctæ Crucis Cuſtos, in hac Diœceſi Lugdunenſi Metropolitanus & Ordinarius Officialis, Vicegerens atque Vicarius Generalis ſubſtitutus: fidem facimus Nos hoc opus, *De vita & rebus geſtis eximiæ ſanctitatis Viri Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Patris Franciſci Saleſij Epiſcopi & Principis Gebennenſis in decem libros digeſtum: Authore, Carolo Auguſto Saleſio Tulliano, Doctore Theologo, Præpoſito, Canonico, Vicario Generali & Officiali Eccleſiæ & Epiſcopatus Gebennenſis.* Non potuiſſe non magnoperè probare tum quod è ſubiecta Hiſtoria venerandum, Illuſtre, Sanctum, tum quod ex Authoris ingenio ſyncerum, locuples, maturum: vtrimque verò tingendis ad Chriſtianam Sanctimoniam animis mirè idoneum, ob idque vel maximè prælo dignum, Sic viſum nobis. Lugduni Idibus Nouembris anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio.

DE VILLE, Vicarius Generalis Subſt.

DOCTO

EXTRAICT DV PRIVILEGE.

LOVYS, Par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre: A Nos Amez & Feaux Conseilliers, les Gens tenans Nostre Cour de Parlemẽt de Paris, Seneschal de Lyon, ou son Lieutenant, & à tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nos bien-amez François La Botiere & Iean Iuilliard Marchands Libraires de Lyon, Nous ont fait dire & remõstrer que pour seruir dignemẽt au public, il est necessaire de faire imprimer deux Liures intitulez, l'vn : *Caroli Augusti Salesij Tulliani, Doctoris Theologi, Præpositi, Canonici, Vicarij Generalis & Officialis sacrosanctæ Gebẽnensis Ecclesiæ, De vita & rebus gestis Serui Dei, Patris ac Patrui sui eximiæ sanctitatis viri, Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebennensis, Libri decem :* Et l'autre : *Histoire de la vie & des faicts du bien-heureux François de Sales, Euesque & Prince de Geneue, Instituteur & fondateur de la Visitation Saincte Marie, composée premierement en Latin par son nepueu Charles Auguste de Sales, Seigneur de la Thuille, Docteur en Theologie, Preuost, Chanoine, Vicaire General & Official de la saincte Eglise de Geneue, & mise en François par le mesme Autheur, diuisée en dix liures.* Et attendu que lesdits liures sont approuuez par Messires, *Questanus, Prumas, Mayodus, Pultrier* & *de Ville*, Docteurs en Theologie, comme il appert par leurs Actes d'Approbation cy attachez soubs nostre contre-seel. Les Exposants Nous ont tres-humblement requis leur permettre de les imprimer & faire imprimer, & faire deffenses à toutes personnes d'entreprendre l'Impression pendant dix annees. A ces causes Nous auons permis & permettons par ces presentes audits La Bottiere & Iuilliard d'imprimer ou faire Imprimer les susdits Liures, les vendre, debiter, pendant dix annees, à la charge d'en mettre deux exemplaires de chacun d'iceux dãs nostre Bibliotheque. Faisons deffenses à tous Libraires, Imprimeurs, & tous autres, d'imprimer où faire imprimer lesdits Liures, pendant ledit temps, que par le consentement des Exposans. A peine de cinq cens liures d'amende, & de confiscation des Exemplaires, despens, dommages & interests. Voulons qu'au vidimus des presentes foy soit adiouſtée comme à l'Original d'icelles. Mandons au premier Huissier ou Sergent sur ce requis faire pour l'execution des presentes tous exploicts requis & neceſſaires, sans pour ce demander congé, placet, visa ne pareatis. Car tel est nostre plaisir. Donné à S. Germain en Laye, le dixiéme iour de Decembre, l'an de grace mil six cens trente trois, & de nostre regne le vingt-quatre. Par le ROY en son Conseil.

MATHAREL.

Et seellé du grand & petit seau en cire iaune.

Acheué d'imprimer le 15. de Ianuier 1634.

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVM sanctissimus Dominus noster Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij, anno 1625. in sacra Congregatione S. R. & vniversalis Inquisitionis decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Iulij, anno 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum qui sanctitate, seu martirij famâ celebres è vita migrarunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine eâ impressa sunt nullo modo vult censeri approbata. Idem autem sanctissimus die 5. Iunij, anno 1631. ita explicaverit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super Personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem, cum protestatione in principio quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantum penes Auctorem. Huic decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantia, & reverentia qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc libro refero accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent quæ humana dumtaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem sancta Sedes sanctorum Beatorum, aut Martyrum Cathalogo adscripsit.

CAROLVS AVGVSTVS DE SALES,
Præpositus Ecclesiæ Gebennensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAROLI AVGVSTI
SALESII TVLLIANI DOCTORIS
THEOLOGI, PRÆPOSITI CANONICI,
VICARII GENERALIS ET OFFICIALIS
Sacrosanctæ Gebennensis Ecclesiæ.

DE VITA ET REBVS GESTIS,
Serui Dei, Patris ac Patrui sui,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennènsis.*

LIBER PRIMVS.

PACE multâ fruebantur Allobroges, cùm Franciscus Ioannis Filius, Toparcha, Salesius, Boësiacus, Ballesonius & Villarogetius, Franciscã Melchioris, Syonnasij, Tulliani, & Valeriani Dynastæ, filiam quatuordecim dumtaxat annorum, Virginem solemni sibi connubio, sociauit. Hæc statim ac se grauidã sensit, vt erat ab incunabulis optimè affecto erga numen animo, conceptam prolem Diuino cultui destinauit. Sed & huic rato consilio memorabilis accessit occasio, quippe Anna Atestina, Herculis Ferrariæ Ducis & Renatæ Francicæ, Filia, Guisani Ducis vidua Iacobo Sabaudo Nemorosij Duci nuper coniugata, Anicium Allobrogum venerat, comitatíque eam fuerant, inter quamplures aulæ Gallicæ, Primarios, Carolus Lotharingus, & Ludouicus Guisanus Cardi-

Franciscus in vtero matris Deo dedicatur.

nales, qui ſacroſanctam illam mortui Ieſu Chriſti Sindonem, qua ab Arimathiano Ioſepho inuolutus fuerat, videre cupientes; eam gratiam à Sereniſſimo Duce Emanuele Philiberto petierunt, annuit piæ petitioni Dux religioſiſſimus, & Euangelicam Sindonem quamprimùm Camberio Anicium deuehi permiſit; Accurrit verò tum tantis videndis reliquiis, cùm ſalutandæ Principi vniuerſa Prouincia, nec prætermiſit officium Saleſiana Domina, ſed in Beatæ Mariæ Virginis Ædem, vbi Sindon explicanda erat, ſe contulit; ibíque velut altera Samuelis mater Anna, ſingulari tacta cordis affectu, & in lachrymas effuſa, ventris ſui fructum Domino dedicauit, hinc in Saleſianum Caſtrum reuerſa, non multo temporis interiecto ſpatio, in Franciſcano cubiculo, ſeptimo prægnationis menſe, accumbens, Salutis anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſexagéſimo ſeptimo, Iouis die duodecimo Calendas Septembris, hora poſt meridiem ſeſquinona; magnum Saleſiæ gentis ornamentum, Allobrogum decus, & Eccleſiæ nouum Sydus, fœlicem partum emiſit. Interea, dum Saleſio Dinaſtæ peculiari quodam & diuino inſtinctu tota gratulatur vicinia; in Paræcialem Torētinorum Diuo Mauritio ſacram ædem in cunis delatus eſt infans, vt qui mundo natus erat, per Baptiſmatis Sacramentum Chriſto renaſceretur. Aquis igitur tinctus eſt, luſtralibus Chriſtianíſque imbutus initiis, fideiuſſoribus Franciſco Flexeriano Seleugienſis Monaſterij Ordinis ſancti Benedicti Priore qui ei Franciſci nomen impoſuit & Bonauentura Chiuronia Villetana Montouij Domina: Stipauit eum ſolemnis Nobiliū cœtus, & in reditu grande conuiuium inſtructum, necnon & ab aurora vſque ad noctem omnibus ad caſtri fores accedentibus ampla ſtips erogata. Toto lactationis biennio, quampluribus mutatis nutricibus, in paternis ędibus educatus, & propter delicata mēbra, corporíſque mollitiem in xilinâ culcitulâ longis fomentis inſtauratus eſt: neque tamen à Medicis longiori vitæ adiudicabatur, at in eo fouendo tam ſollicito animo eius Auia materna Bonauentura Chiuronia incubuit, vt deſperatas omniū cogitationes sēſim ſuperauerit. Tandē tertio ſupra bienniū menſe puer ablactatus eſt, & ad omniū ſpem rudioribus alimentis confiſus: Prodibat autem ex Angelico vultu, neſcio quis cœleſtis gratiæ radius, ita vt nemo malè affectus ab eius aſpectu, diſceſſerit, quinimo

S. Sindon Anicium defertur.

Franciſcus naſcitur.

Franciſcus baptizatur.

Franciſcus ablactatur.

quot

quotquot eum vel amicè vel officiosè visebãt, non solùm parentibus eximiam pueri pulchritudinem gratulabantur, sed mira etiam de maximis virtutũ eius incrementis promittebant, quæ causa fuit, vt in informando bonis habitibus Francisco, prouidi Parentes studiosiùs deinceps attenderent: Franciscæ Duretæ Anicienſi mulieri quæ tunc Salesij ancillabatur. Vt eum Christianas orationes scilicet Dominicam, Salutationem Angelicam, Apostolorum symbolum, confessionem, benedictionem mensæ, gratiarum actionẽ, spiritus commendationem, aliásque similes doceret commiserunt. Et quia puerorum animus, non secus ac argilla lateraria ad proplasma quoduis dispositus est, ideò periculosas deprauatorum quorumlibet consuetudines ei districtè prohibuerunt, lusoriarum pagellarum, & aleatoriæ tesserę, ne minima quidem dabatur notitia, latrunculorum, metularum, & his similiũ ludi, in quibus sola reperitur exercitatio cum moderamine, permittebantur; Interdicta erat quælibet diuagatio, & cum dissolutis mora, ne fortè in ætate tam labili malitia mutaret intellectum, longè à coquinâ & seruorum tenebatur ineptiis, adeóque sollicitè eius incũbebatur profectui, vt naturalibus donis in virtutes paulatim conuersis, quamuis aspectu & ætate iuuenis, morum tamen grauitate vir maturus videretur: nam in cõsortio præferebat modestiam, in sermone iudicium, in responsis mentis acumen, in instructionibus docilitatem, in correctionibus humilitatem, cum parentibus obedientiam, cum maioribus reuerentiam, cum æqualibus prudentiam, cum inferioribus comitatem, cũ omnibus simplicitatem & pacem. Communi victui & vestiũ assuefactus modestiæ, nihil singulare vel superfluum expetebat, sed paucis contentus, Parentum in omnibus acquiescebat voluntati, quibus profectò tam præclarę filium indolis videre summa voluptas erat, & quantò ad sapientiam propensiorem aduertebant, tantò ad perseuerandum feruentiùs animabant, Dei maximè timorem & amorem inculcabant sæpissimè, Christianæ fidei mysteria, quibus poterant, clarioribus verbis; & comparationibus à natura deductis explicare nitebantur, & vel minimis eius quæstionibus non differebant responsum. Mendacij deformitatem, & ingenuæ veritatis pulchritudinem sic deprædicabant, vt flagellis maluerit excipi quàm mentiri, idque mirandum totâ vitâ retinuit, vt nullum vnquam suis

Francisci prima educatio.

Veritatis in Francisco amor

imperfectionibus, quas ferè nullas habebat, viſus ſit velum obtendere. Ad imitandas Sacerdotum actiones ſtudebat quamplurimùm, parua erigẽs altaria, ad quę piis decorata imaginibus ſuas funderet preces, Res autem erat, quæ magnam omnium cordibus ingerebat pietatem, cum à dilectiſſima parente in Parœcialem Eccleſiam dominicis & feſtis diebus ductus ante ipſam genuflexus diuinis attẽdebat officiis, iunctis manibus toto corpore immobilis oculis in altare fixis demiſſum è cœlo Angelum repræſentabat. Cœpit etiam ſub beneficis parentibus, & Chriſtiana liberalitate clariſſimis, erga inopes beneficentiam exercere, nam ab ipſis perſæpè amplarum ſtipium fiebat largitor, tantóque pauperum ferebatur amore, vt cùm illos ad oſtium audiret clamantes, ſui demenſum opſonij, & ientaculi ratam partem, lubens & hilaris deferre non differret, aut cùm nihil apud ſe dãdum reperiebat ad Patrem matrémve citò recurrere, & egentum Procuratorem agere minimè grauabatur. Interim de imbuendo litteraria cognitione puero cogitatum eſt; idipſum Puer expetebat impendiò, pérque dies integros, ſi quando librum habebat, voluendis ſponte foliis, noſcendíſque caracteribus, ſedulam nauabat operam: Quamobrẽ ſub Petri Batalioſi Aniciẽſis viri probi & eruditi regimine in Rupenſe vicinius oppidũ vt primis imbueretur Grãmaticæ rudimentis ſexennẽ Franciſcũ cauti progenitores miſerunt quo tempore Dumaxij Ludi magiſtri tecto quò facilius ſtudiis incumberet vtebatur. Hinc poſt biennium cùm iam octennis eſſet occaſione captâ Amedei, Ludouici & Gaſparis Patruelium ſuorum, quos aliò ad ſtudia eorũ Pater Ludouicus Saleſius Brentinorum Dinaſta mittebat, eum illis ſocium dederunt: Ciuitas eſt Allobrogicis ſex milliaribus Saleſio diſtans, Seminarorũ caput, olim Oſiriopolis, poſtmodũ Dinia, ac demùm ab illuſtri Titio Anicio Satrapa Romano Aniciũ nuncupata, in amœniſſimo ſita ſolo, fertiliſſimis cincta campis, & collibus, optima cæli temperie fruens, puriſſimum bibens lacum, parua quidẽ, ſed humaniſſimo plena populo, multis ornata tẽplis notata turribus, rigata canalibus, diſtincta vicis, ligata pontibus, Arce & Duce nobilis, Eccleſiaſticâ & ſæculari Curiâ cõmendatiſſima, expulſi à Geneuatibus Antiſtitis ſedes, in quâ iampridem vir inclitus Euſtachius Chapuiſius, eius ciuis Canonicus, & Officialis Geneuenſis, necnon Cæſaris Caroli V. variis in Prouinciis

Franciſcus mittitur in gymnaſium.

Anicienſis ciuitatis deſcriptio.

Orator

Orator, insigne litteris humanioribus, Rhetoricę & Philosophię, sub Doctorum Louanienſium administratione, fundârat Gymnasium. In huius ciuitatis scholis, quatuor Salesij vno tempore noui Candidati sunt effecti. Vnus autem Franciscus ingenio & diligentiâ ita excelluit, vt super omnes suos condiscipulos continuò lauream reportauerit, ardebat nempe summo discendi desiderio, & cùm Gallica vocabula cœpit Latina facere, in contexẽdis quatuor aut quinque periodis, per horam aliquando mansit immobilis. Ex longa librorum lectione nullum vnquam accepit tędium, argutas & graues illustriorum Authorum sententias, nec nõ exquisitos eloquentię flores, quibus appositè, vel in oratione vel in scriptis vteretur, in manuales codices distribuebat, & quia plenam, animi venustate quadam compositam, habebat actionem, præclarum corporis statum, coloris suauitatem, summúmque in voce splendorem, ideo frequentibus, siue domi à Petro Batallioso, viro non indocto Præceptore suo; siue in Gymnasio à Biordo Falcinate Sixensi, humaniorum litterarum professore, declamationibus exercebatur. Longissimè verò à putidis Rhemnianorum Doctorum moribus & Appioniis (vt aiunt) cymbalis totâ vitâ abhorruit. Ad omniũ præterea lætitiâ summè modestus erat, nec vnquam diuagantem aut temeritatem aspectus quolibet adijcientem vidit vllus. At graui, non affectato tamen, passu, vestibus & capite comptissimus, abibat in res suas, cúmque, sub æstuantis caniculæ feruoribus astrictorios globulos alij resoluerent, nudatóque pectore recederent è scholis, vel ad balnea festinarent, ipse vrbani moris intelligens, semper comis ambulabat adeò, vt ciues omnes, quotquot transeuntem videbant raperet in hæc verba, en illũ iuuenem? quàm decorus aspectu! Quàm totus amabilis! Næ si viuat, in illustrem euadet virum. Suis sodalibus magnam de se ingenerauerat reuerentiam, & si fortè reperisset insolescentes, aut minus modestos, pro innata sibi authoritate cum mansuetudine, reprimere minimè metuebat; eiúsque præsentiâ, se à patrãdo facinore, subitò retractos, quamplures sũt cõfessi. Minores ineptias prudẽter perferebat, imò pro aliorum peccatis virgis excepturus persæpè descendit in medium, & innocens pœnas dedit. Semel cùm Gaspar Salesius, patruelis, magistri pedibus prouolutus, cum eiulatibus & lachrymis flagris cædi recusaret, tactus miselli doloribus, Francis-

Francisci in studendi diligentia.

Francisci modestia mirabilis & amabilis.

pro Gaſpare lubens ſe obtulit & flagellatus eſt. Æqui rectíque ſyncerus amator ſuſpiciebatur ab omnibus, & ſanè inter tot iuſtitiæ exempla illud non exiguum eſt in puero, quòd cùm à parente Saleſio Brentum ad Ludouicum, patruum inuiſendum mitteretur deberétque ſeruus ei chirothecas emere, nec niſi poſt altercationem longam quod iuſti pretij erat mercatori perſoluiſſet, reliquum de ſuo Franciſcus liberè dedit, idémque fecit in Pontis noui tranſitu reſtauratori, famulum leniter increpans: quaſi verò inquit? iſti tot pro nobis labores ferunt, & quod iuſtum non perſoluemus? Quæ res maximè ſerui mentem, & præſentis Claudij Guerræ Vſilionenſis agricolæ, eâ ſententiâ repleuit, vt magnus aliquando vir Franciſcus futurus eſſet. Per hæc tempora Præſul ampliſſimus, Angelus Iuſtinianus Epiſcopus, & Princeps Gebennenſis, ſacros generales ordines, in Diui Dominici æde, celebraturus erat. Id cùm audiſſet Franciſcus, Confirmationis ſacramentum accipere, vt optimum, ita cenſuit opportunum. Geuuflexum igitur ante altare ſignauit ſigno crucis, & ſalutis Chriſmate Pontifex confirmauit, additis actioni tam ſanctæ lenibus verbis, & ex ſpecioſiſſimi intuitu vultus vaticiniis, ad quę non ingratè prę-ſentes aduerterunt. Poſt hæc, quàm Chriſtianis profecerit inſtitutis, candidus adoleſcens, vix dici poteſt; nam ſacramentali adiutus gratiâ, quotidianas ſibi preces conſtituit, piorum librorum lectioni & viſitandis templis tot horas deſtinauit, & cùm à cœnâ, poſt Solis occaſum opportuniori ad ambulationem tempore, ſui commenſales, vel ad lacum, vel ad paſcuorum compita egrederẽtur, ipſe domi manens ſeneſcenti iam hoſpiti ſuæ Sanctorum vitam perlegebat. Si tamen aliquando Ariſtotelicis, aut aliis feriatis diebus, ex Præceptoris iudicio vacare iuſſus, matutinis præſertim horis ad Ferianas inſulas diuerteret, in amœnos locorum illorum colles ducebat ſocios, & diſcamus (inquiebat) precibus Deum flectere, dum inter arbuſta gratóſque fontes Deus nobis hæc otia fecit, confeſtímque libellum precarium trahens è perula humi genibus incumbens, reſpondentibus illis, Litanias recitabat. Iam vbi litteras humaniores Anicij didicit, ad altiores euehendum diſciplinas, tum vt exterorum moribus aduerteret, in Galliam, ac in ampliſſimam eius metropolim Pariſiorum Lutetiam, mittendum Pater conſilio fuit, ipſe enim ex-

Franciſcus Confirmationis ſuſcipit Sacramentũ.

perientiâ

perientiâ propria comprobarat, quàm informandis, vt decet nobilium Iuuenum animis apta esset hæc Ciuitas, quippe quæ Christianissimi Regis solio, Principum & Procerum multitudine, Augustissimi Senatus Curiâ, viris quãpluribus de scientiâ & pietate meritissimis, excultis in omni genere ingeniis, innumeris populis, & rerum omnium copiosa varietate, toti orbi sit celeberrima. Sciebat verò in Nauarrorum Collegio multam florere nobilitatem, quæ cum litteris vrbanos, & expolitos mores sibi solet comparare, quapropter his scholis Franciscum destinauit. At Franciscus dum hæc cogitantur longè à Patris mente Ecclesiasticæ professionis desiderio, flagrare cœpit, vix tamen eam obtinuit licentiam ab homine, qui rem aliter perpendebat. Acceptis itaque ad eam causam dimissorialibus litteris à Ioanne Tissoto, Cathedralis Ecclesię Canonico, & absentis Episcopi Vicario Generali: Audiẽs Galesiũ Regardũ Balneoregiẽsem Episcopum, solemnẽ ordinationem Septembri mẽse celebraturum, Claromontem Seminæorum profectus est, vbi sacro ritu tonsurâ inauguratus in sancti Stephani protomartyris æde, ingenti cum lætitia suæ partem hæreditatis Dominum elegit, anno sæculi octauo supra septuagesimum. Reuersus tandem sic initiati vertici homo, & audito, post aliquot dies, Patris decreto de Parisiensi profectione, cùm ab expertis iam pridem didicisset Iuuentutem in Nauarrorum Gymnasio minùs pietati deditam, repugnauit in animo, maluissétque sub Patribus Societatis Iesu, quorum famâ illi aures tinniebant, studiorum reliquum perficere. Quid faceret? Patris voluntati dissentire palàm metuebat, ex aduerso cupiebat vitare periculum, aiebat enim intra se, Pronus es ad malum, expediet te in ruinam malorum consortium, Quid tandem proderit vana sæcularium scientia? discendum potiùs cælorum iter, quod securè Patres illi piissimi, sicut doctissimi, demonstrabunt: Matrem adiit cum hoc consilio, & fuso sermone, non sine gemitu cor aperuit; Orauit, vt expositis suis rationibus, Patrẽ à tali sententia dimoueret, quam, Iesuitarũ instructionibus patenti occasione profuturus esset, ostenderet, & in quale periculum aliter ingressurus. Nouerat siquidem egregiam filij mentem pia mater, & apud aulicorum morum encomiastas magni nominis euasurum, nõ ita curabat vt Pater, quæ causa fuit, vt explicatum Franciſci animũ efficacibus verbis marito suo retulerit.

Franciscus tonsura clericali insignitur.

Franciscus postulat sibi dari doctores Iesuitas.

Franciſcus Lutetiam Pariſiorũ mittitur.

rit. Mutato ergo decreto, ſub Ioannis Deagij Corneriẽſis Presbyteri regimine Claromontano; ſeu Gergouienſi apud Pariſienſes Collegio, Franciſcus permiſſus eſt; & cum Parentum benedictione Saleſio dimiſſus. Quocumque pergeret diligẽti curâ res illuſtriores inquirebat annotabátque nec poterat ſatis mirari Deagius, quàm officiosè ab hoſpitibus omnibus præter ſolitum exciperetur, præclarus iuuenis, in cuius vultu ſanctitatis radius iam micabat. Lugduno per Boïorum agrum Nouiodunũ ad Ligerium peruenit, hinc ad Bituriges, & ab his tranſiuit ad Aurelianos, poſtremò Lutetiam ſanus & incolumis appulit. Non citiùs autem in diuerſorio depoſuit gladium, quàm ad Ieſuitas cum Deagio conduci poſtulauit, quibus ſalutatis, ad quid, & quo animo veniſſet, magna illorum lætitia, qui iuuenem ex eo momento dilexerunt, percenſuit móxque emptâ per aliquot menſes âlienâ menſâ in proxima Collegio domo, denuò Rhetoricis inſtitutionibus operam applicauit, & quia Deagio in profectione diſtrictè commẽdârat Dynaſta Saleſius, vt his exercitiis, quæ nobiles Galli maximè curant, filium ſuum inſtrui curaret, idcirco Deagius reluctantem quamuis Franciſcum, auditâ tamen abſolutâ iuſſione parentem, chorodidaſcalo feriato dumtaxat tempore, rudiariæ gladiaturæ, laniſtæ, necnon equario domitori commiſit, ipſéque Franciſcus, vt erat corporis agilitate, & robore inſignis, perbreui ſpatio ad fidium numeros optimè ſaltauit, eluſit rudibus, & in equeſtri prætualuit diſciplina. Verùm non erant hæc niſi animi remiſſiones ludicræ, alium longè finem reſpiciebat & nouum hominem Claromonti ſe induiſſe recordabatur, nolebátque pium immutare propoſitum; Quamobrem ſicut in humanarũ rerum ſcientiis Magiſtrum habebat, ita in pietate Ducem vnum & rectorem ex patribus ſibi elegit, apud quem fiducialiter conſcientiam reponeret, & æternæ vitæ ſibi documenta compararet, aduerténtſque in Beatæ Virginis Sodalitatibus, quàm plures quaſi religiosè viuere, & Angelicam ſpirare vitam, impellente etiamnum Deagio vni nomen dedit, in illóque ſodalitio maiora ſæpè exercuit officia, vt aſſiſtentiam & Præfecturam. Suauiſſimos ſanè virtutum ſuarum odores vndequaqne diffundebat, & bonis omnibus, tanquam nitidiſſimum ſpeculum habebatur, nam mitis erat, & humilis corde, nemini moleſtus, in templis ſiue pro diuinis officiis, ſiue pro

Franciſcus denuò Rhetoricis inſtitutionibus operã nauat.

Franciſcus fit ſodalis in congregatione B. M. Virginis.

cocio

concionibus audiendis assiduus, octauo quoque die ad Pœnitentiæ sacramentum, & communionem sacram accedebat quæ res illi tantam in dies acquisiuitè cœlo gratiam, vt continuâ, erga salutarem hostiam, deuotione totus inflammaretur, sciebat nempe diuinis sub fauoribus, nec aliter, litteris incumbendum. Ad huiusmodi in Eucharistiam amorem validis hortationibus socios incitabat, cúmque per hæc tempora Antonius Bonuardus Rupensis, è Sabaudia Lutetiam profectus, eum prope Diuæ Genouefæ templum habitantem inuisisset, vt erat illi in Patria vicinus, nouo hospiti promisit epulum, mox in Iesuitarum ædes ducto, sacramentaliter confitendi, & communicandi secùm animum dedit; Postmodùm, iam repetamus domum inquit, & ecce maius quod tibi conuiuium intendebam. Religiosorum hominum consortio mirum in modum delectabatur, & si quando in Gymnasio, aut destinatis solitæ deuotioni Basilicis non reperiretur, in Monasteriis (aut vt aiunt) conuentibus quærendus erat, inprimis autem cum Capucinis placebat sibi, & fratris Angeli in sæculo Ioiosæ Ducis stupendâ pietate motus, missis quibus inseruiebat vir ille (verè Angelicus) persæpè gaudebat interesse, aiebátque Ioanni Paquelleto Anicensi socio suo, Heu bone Deus! quale nobis præbet exemplum Religiosus ille, qui ex principibus, & inter principes natus, tot rebus præclarè gestis, insignis tot opibus, tot officiis & honoribus cumulatus, valedixit mundo, saccum induit, & elegit abiectus esse in domo Dei sui, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, en illum pedum nuditate horridum, & ieiunij pertinaciâ macilentum! Hoc nos exemplo Deus vocat mi Paquellete. Adeò porrò à sæcularis vitæ vanitatibus Franciscus abhorrebat, vt ne Religiosus fieret, Patrísque turbaret genium sollicitè timeret Deagius. timorem verò augebat suum, quod illũ diebus in hebdomada, tribus, Mercurij scilicet, Veneris & Sabbati asperrimo cilicio cingi, quãuis id occultare maximè niteretur, non ignoraret. Inter hos animi motus, admotũ est illi cælitus conseruandę castitatis incitamentum; noluit verò contra stimulum recalcitrare; quinimò Diui Stephani Græcorum Ecclesiam ingressus, ante Virginis simulachrum procubuit in genua, & obsecratione flebili percussæ Deiparæ suam fidelis confidit castitatem, quam sic deinceps coluit, sic amauit, vt & sæpissimè Reginam Blancam morum puritate &

Francisci erga S.S. Eucharistiã amor.

Franciscus religiosorũ consuetudine mirè delectatur

Franciscus suam Deiparæ confidit castitatem.

caſtimonia celebrem prãdentem inuiſum iret, ſtuderétque eius veſtes curiosè tangere, quod & in aliis quos caſtos intelligebat, faciebat. Hac certè methodo euaſit in dies doctiſſimus, & peractis Rhetoricæ humaniorúmque litterarum ſtudiis, quibus, velut altiorum rerum fundamentis, penitus imbui voluerat, Philoſophicæ Paleſtræ factus eſt tyro, & eruditiſſimas Franciſci Suaris, necnon Hyeronymi Dandini publicorum è Societate Ieſu profeſſorum, lectiones ipſis dictantibus ſcripſit & recogitauit. Præterea quia Theologiæ eodem tempore Deagius incumbebat, præclaram intento ſuo Franciſcus occaſionem nactus, Rectoris ſui ſcripta euoluebat per otium domi; quantóque profundiùs æternis veritatibus attendendis inhærebat, tantò ardentiori proſequendi deſiderio incendebatur, quo fiebat vt cum Deagio, aliiſve Theologis cõtinuò rationibus ageret, diſceptaret, Scholæ Sorbonicæ diſputationibus ſtuderet intereſſe, & propoſitas hinc inde difficultates ſuis cum argumentis in libello deſcriberet. Ad Gilberti Genebrardi Aruerni, diuinę potius quàm humanæ ſcientiæ viri, viuas voces audiendas cùm liceret accurrebat, quo pacto ſublimis illius Theologicæ cognitionis monſtrum, quo reliquo vitæ decurſu toti orbi fuit mirabilis, tunc concepit. Sacræ etiam linguæ, & ſcripturarum peritiam à Ioanne Maldonato Poſitiuam profitente didicit, clariſſimíque Interpretis expoſitionem in Canticorum Cantica, nunquam è memoria paſſus eſt recedere. Stupebant alij cùm ad Saleſij ſedulitatem attendebant, nec poterant egregij ingeniorum ſcrutatores Ieſuitæ, quin ad abſoluti iuuenis fatum bonorum omnium cumulum ſuperadderent, vnus inter alios pater Nicodeſius vir vndequáque magnus ingentis ſicut ſpeciei ita ſpei iuuenem ſæpius pronuntiauit. Quotquot eius, vel fruebantur conſuetudine, vel delectabantur aſpectu, ita rectè ſentiebant, & ex his cogitationibus, vir maturus Ioãnes Bonuardus Tullianus, Lutetiæ cũ familia degens, rem notandam ſomniauit. Erat vt videbatur in excelſo Ciniſij montis cacumine, tanquam ex Italia rediens, vultu ad Aquilonem conuerſo, videbátque multorum capitum Hydram è Lemanica Lerna, cum ſibilis properantẽ & iamiam præruptos tot rupium calles, fuerat ſupergreſſa, cùm ecce Frãciſcus Saleſius velut alter Hercules verſatili armatus gladio, currentem feram diſtinuit; tandémque variis ictam vulneribus coëgit ad

Franciſcus philoſophicis ſtudiis incumbit.

Franciſcus Theologiæ etiam ſtudet.

Bonuardi de Franciſco ſomnium

ad reditum, quo celeriter expedito in Geneuenſe ſpelæum curandam à Furiis ſeſe abdidit. Narrauit ille manè poſtero, tum ſuis domeſticis, tum Deagio & ipſimet Saleſio, qui vt veritas aliquãdo reſponderet in ſomnio voto ſuperis facto deprecatus eſt: Certè non poterat Satanas quin malè ſibi de Franciſci progreſſibus conijceret, erátque niſi tandem vinci vellet, obſtandum principiis. Sic autem propitiis nauiganti ventis, benedicti iuuenis pietati remoram adhibere conatus eſt. Obtenebrauit mentem densâ caligine, & ad æternæ ſalutis difficultatem perpendendam, exiguúmque prædeſtinatorum numerum attendendum induxit, effecítque vt poſt varios cogitationum anfractus, in maledictorum barathrum ſe Frãciſcus deturbandum arbitraretur. Heu me miſerũ! (mœrore tabeſcẽs inquiebat) Ergóne illius priuabor gratiâ, cuius hactenus ſuauiſſimas libaui dulcedines, & qui ſeſe mihi tam amabilem exhibuit? O amor! ô charitas! ô pulchritudo cui meos deuoui affectus! Et tuis non fruar deliciis? Et ab vbertate domus tuæ inebriabor nunquam? Heu! nec me torrente voluptatis tuæ potabis? O dilecta tabernacula Domini virtutum! Et nunquam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei? O virgo (aiebat ad Deiparam conuerſus) ſpecioſa inter filias Hieruſalem, cuius deliciis poteſt infernus iucunditatem accipere, & nunquam te pulchram vt Lunã, electam vt Solẽ in regno Filij tui videbo? Et nunquam immenſi illius redemptionis beneficij fiam particeps? Numquid etiam pro me mortuus eſt ſuauiſſimns Ieſus? Ah! Quidquid ſit, diligam te Domine ſaltem in hâc vitâ, ſi in æterna te non poſſim diligere, cùm nemo ſit qui in inferno confiteatur tibi! At ſaltem ô Deus, ſi ex iis ſim qui te non vident, fac tamen ex iis non ſim qui maledicunt tibi & blaſphemant nomen tuum. Laborabat in gemitu ſuo, per ſingulos dies, afflictus iuuenis, & lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat: Quid enim gaudij cogitaret, cùm ſuæ dilectionis prẹmium, damnationem ęternam aliquando ſe crederet habiturum? Aruit panlatim cor ſuum, & in amaritudine anima defecit, triſtis aurigo, purpureis ſucceſſit genis, totóque corpore Ictero eſt percuſſus acutis adeò dolorum ictibus, vt nec cibum nec potum nec ſomnum caperet. Peribat hoc ſpectaculo Deagius, & à peioribus formidabat, noluit tamen decumbere Franciſcus, ſed quo poterat modo languidis greſſibus ambulabat, elapſo his in angoribus

Franciſcus malè à cacodæmone tentatione vexatur.

Franciſcus ex tentationis conflictu infirmatur.

menſe, dum moribundo ſimilis rediret è ſcholis, in eandem Virginis Baſilicam, in qua nuper ſeruandum propoſuerat caſtitatis lilium, ingreſſus; tabellam quandam parieti affixam animaduertit, videre voluit quidnam contineret, & piam hanc Diui Auguſtini ad Deiparam deprecationem inuenit, quam ad genua prouolutus cum lachrymis recitauit. Memorare ô piiſſima Virgo Maria, non eſſe auditum à ſæculo quemquam ad tua currentem præſidia, tua implorantem auxilia, tua petentem ſuffragia, eſſe derelictum, ego tali animatus confidentia ad te venio, ad te curro, coram te gemens peccator aſſiſto, noli mater Verbi verba mea deſpicere ſed audi propitia, & exaudi. Abſoluta, oratione, priſtinam ſibi reſtitui mentis, & corporis ſanitatem poſtulauit, perpetuámque vouit caſtitatem, in cuius rei memoriam, ſingulis vitæ ſuæ diebus ſe roſarium recitaturum promiſit, ecce autem dum ita precatur & vouet fugatâ tentatione, reſtitutus; ſenſit, quaſi lepræ, ſquammas aut cruſtas è corpore ſuo decidẽtes, & deinceps pax multa facta eſt diligenti legem Dei, nec vltra fuit illi ſcandalum, quinimò vt fructum centeſimum daret in tempore ſuo, in æternis Domini teſtimoniis, meditabatur, die ac nocte & innocẽs animus, viuificis veræ dulcedinis dilatabatur incendiis; cæleſtibus porrò incitamentis vehementer actus, vt dignum fieret ſancti Spiritus habitaculum, mentis & corporis puritate non fictâ, cor ſuum præparabat, exercebat enim frequenter circa res diuinas meditationum actus ſingulíſque penè momẽtis leuabat oculos ſuos in montes, vnde veniret auxilium ſibi, & reuera diuini amoris tyrocinium fundare ſic debebat. His in miraculis ſexennium tranſegerat Lutetiæ Franciſcus Saleſius, & in omnibus ad quæ Parens optimus eum deſtinarat, abſolutiſſimus videbatur, cùm de reditu in patriam Deagius cogitauit, & ſcripſit, acceptóque reſponſo, Ieſuitis, Doctoribus, necnon amicis aliis, cum gratiarum actione valere iuſſis, multo ſui relicto deſiderio, Franciſcus ad Deagij conſilium, & ſocietatem viam iniit nobilibus quatuor adoleſcentibus ſola viciſſitudinis causâ Lugdunum vſq; ſtipatus nobiliſſimíſque Franciæ regni peragratis prouinciis, viſis vrbibus, rebus inſignibus notatis, Saleſiũ appulit. Effuſa eſt in eius aduentum tota domus, & lachrymis mixtos chariſſimo filio mater amplexus dedit, ſuauiſſimo politiſſimi iuuenis intuitu pater recreatus eſt, ambóque in audiendis maturis ſermonibus,

Franciſcus ope Deipara inuocata ſanatur & liberatur.

Franciſcus redit in Sabaudiã.

qui

qui ex eius ore melle fluebant dulciores, dies integros, atque adeò noctes transegissent insomnes. Data est nobili Philosopho sufficiens inuisendis consanguineis, affinibus & amicis, mora quâ cunctis sese mirabilem simul, & amabilem reddidit. Satis doctum putabat Salesiana Domina, vt aliâ peregrinatione Franciscus suus nõ indigeret, seque fœlicem, si tali nato deinceps per otium frueretur, maternâ dilectione credebat. At Dinasta Salesius Boësiacus, cuius inferiorem amoris intimi teneritudinem, superior rationis portio vincebat promouendum vlterius eximiæ spei filium, quem ad Senatoriam purpuram destinabat, generoso consilio definiuit. Visâ Galliâ, videnda restabat Italia, & perficiendis Iurisprudentiæ studiis, statim animo occurrit Patauium, ciuitas est Episcopalis sub Aquileiensi Patriarcha, ob Theologiæ, iuris & medicinæ florentissimam Academiam, insignis Seneriſſimæ Venetorum Reipublicæ imperio subdita, quam olim ab Antenore Troiano conditam ferunt. Certè quod iampridem de huius vrbis celebritate præclara Franciscus audiisset, multum in Patris consilio voluptatis accepit, & salutaribus eius monitis in memoriam traductis, natalis soli dulcedinem, extremæ virtutis acquisitioni, per exoticorum hominum consuetudinem postponens, hilari vultu clima mutauit. Docebant per id tempus grauissimi, si quos vnquam tulit hoc Gymnasium Iurisperiti; quos inter dubio procul principatum tenebat Guidus Pancirolus, virtuti & scientiæ simillimus, ingenióque per omnia cœlestibus quàm mortalibus propior. Quàm sit gauisus tanti veri magisterio Salesius (huius enim famam Lutetiæ iam acceperat) non satis dici potest, at de commodæ occasionis beneficio, diuinæ Prouidentiæ gratias egit. Agedùm igitur (sibi inquiebat) ô Franciſce, & Arseniani dicti recordare. Ad quid venisti? Breues sunt dies hominis, & velut vmbra prætereunt: dum tempus habes bonum operare, pœnitebit aliquando si occasionem nõ arripes; occipite est caluo ne teneatur fugiens. Interioribus hisce verbis adhibebat animo calcaria, vt dilatato corde, tanquam Gigas, exultaret ad currendam mandatorum viam, qui à summo cœlo egressionem habens, vsque ad summum eius occursum prætendit. Statuit sibi octo diei horas studio impendendas, Iurisprudentię quidem quatuor Theologiæ totidem sed vt proficeret accuratiùs non in scholastica tantùm, verùm etiam in mystica, cuius

Patauiũ, ciuitas Italiæ.

Franciscus Patauium mittitur.

Franciscus iurisprudentiæ & Theologiæ incumbit.

vasta iam Philosophiæ candidatus iecerat fundamenta doctore, & directore optimo opus habebat. E tot viris, qui in vrbe tam celebri verâ pietate, & solerti prudentia conspicui rutilabant cœlesti quodam indicio, Antonium Possevinum Societatis Iesu Theologum, quem super cæterorum hominum capita virtutes efferebant, lætabundus conquisiuit. Ille autem non laudare modò Salesij consilium, sed & hortari quàm vehementissimè potuit, & incitare, & prouocare cœpit. Sui in Christo filij breui penetrauit intima, ex ingenij & morum tranquillitate, futurum virum eximium non inuitus ominabatur, cúmque de vitæ genere, post absolutum iuris cursum, vt vocant, deligendo inter ipsos sermo incidisset, Prophetico spiritu motus, Benè facis (inquit) fili, & perge Diuinis inuigilare scientiis, velis esse Theologus, tibi enim Geneuensis ouilis cura à Deo reseruatur. Crede mihi, ad molestas litigiosi fori vicissitudines nõ est Genius tuus, nocebit oculis immũdus forensi strepitu puluis excitatus. Lubrica nimis est sæculi via, & salutis periculum habet. Gloriosius est è sublimibus templorum pulpitis, immortalis Dei præcepta multis hominũm millibus prædicare, quàm in iudiciario foro, medias inter Procuratorum controuersias, calidis manibus quatere pluteos. Numquidnam? Annuebat compositâ fronte Patris dictis Salesius, & decretum suum tot rationes admodùm obfirmabãt, cùm accessit pro complemento piissimi Theatinorum libelli, cui spiritualis pugna titulus est, vtilissima lectio; hunc, tanquam demissam è cœlo diuinam Epistolam assiduè terebat manibus, & per annos septemdecim deinceps gestauit in perulâ. Pergemus ergo, fauente domino (dixit) nec alio fine, quàm ad maiorem immensi, & optimi numinis gloriam, sacris litteris inuigilabimus. Adhibuit statim operi manum quantâ fieri potuit diligentiâ, nam vt Angelici doctoris Diui Thomæ Aquinitatis Theologicã summam semper haberet in promptu, ad quam etiam pro aliorum librorum intelligẽtiâ, recurreret, eam præ oculis musęi pluteo imposuit. Diui Bonauenturæ libris mirum in modum delectabatur, sacros codices magna cum reuerentia peruoluebat. Ex Patribus Diuum Aurelium, Augustinum amabat, Hieronymum, Bernardum & Chrysostomum, sed prę omnibus Cęcilium, Cyprianum, quia scilicet, (inquiebat) vt in Epistola ad Paulinum scribit Hieronymus, Beatus Cyprianus instar fontis puriſſimi, dulcis incedit & placi

Franciscus Possevinũ Iesuitam Directorẽ eligit.

Possevinus Francisco prædicit futurum Gebennen sem Epis copum.

Franciscus libelli pugna spiritualis lectionem amat.

Franciscus quos sanctos Patres præcipuè amaret?

& placidus. Tanti Patris fluentes periodos conabatur imitari, & sæpissimè ad eius morem, aliquot opuscula componebat, quæ vtinam vel ex eius humilitate, vel ex temporis iniuriâ non periissent. Eodem temporis tractu pias regulas sibi præscripsit, quibus in huius mortalis vitæ periculis dirigeretur, & super discrimina securo pede deambularet, quóque facilius inhærerēt memoriæ, relegendas sæpius propria manu commisit chartæ in hūc modum. Præferam semper aliæ cuicumque rei præparationis exercitium, illúdque vt minimum semel in die, matutino scilicet tempore faciam, quòd si extraordinaria aliqua sese offerat occasio, vtar eâ peculiariter, & pro exercitij remedio, accipiam, quia verò præparatio in actionibus velut mensor est, ideóque in hac secundum quod occurret, & pro temporis opportunitate versabor, quo pacto res meas cum laude conabor exequi. Inuocatio prima pars est huius exercitij, quapropter innumeris me periculis expositum agnoscens, diuinum auxilium inuocabo in hæc verba, Domine nisi custodieris animam meam, frustra vigilat, qui custodit eam: iterúmque aduertens consuetudinem in multiplices olim errores me impulisse, exclamabo: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nūc anima mea, & ampliùs, Domine esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias, si vis potes me mundare. Orabo denique, vt in hac die ad nullum declinem peccatū, cui rei inseruiet, quod in psalmo centesimo quadragesimo tertio scriptum est. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam, eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam; Propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua. Secunda pars Imaginatio, quæ nihil aliud est, quàm præcognitio, & earū rerum quæ in die euenire possunt coniectura: seriò igitur cogitabo de iis omnibus quæ mihi accidere poterunt, de Societatibus in quibus manere cogar, de negotiis quæ fortè occurrent, de locis in quibus me esse oportebit, de occasionibus quæ me incautum possent deprehendere. Atque ita auxiliante Domino sapienter & prudenter difficultatibus occurram. Tertia pars Dispositio, variis ideirco diseretè per coniecturam cognitis labyrinthis, in quibus errarem facilè perditus, considerabo, & de mediis ad euitandos lapsus meliori-

Franciscus pias constitutiones sibi præscribit.

Præparatio.

Inuocatio.

Imaginatio.

Dispositio.

bus

bus diligenter inquiram, videbo quid expediat agere? quo sit ordine in his, & illis negotiis procedendum? Quid in consuetudine dicere debeam? Disponam mecum ipse de habitu, de specie, quid fugiendum habuero, & quid euitandum? Quarta pars, Decretum est, ideo firmiter statuam Deum in posterum sed in hac præcipuè die nunquam offendere, quare verbis vtar Regij Prophetæ Dauidis. Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum. O magnam abiectionem animi! sinere se creaturarum timore, vel amore, vel odio, vel desiderio ad malè agendum contra Creatoris amorem, & desiderium impelli! Non potest reuera infinitæ Maiestatis ille Dominus, nobis semel cognitus, omni honore & seruitute dignus, nisi animi defectu sperni & offendi. Cur ad euitanda corporis, bonorum aut honorum damna, iustas suas leges transgrediemur? Quid nobis tandem creaturæ possunt? agesis nunc virili simus animo, & in hoc psalmistæ versu confortetur cor nostrum, Dominus regnauit, irascantur populi, qui sedet super Cherubin, moueatur terra. Quinta pars est commendatio, propterea me totum, & quidquid ex me pendet, æternæ bonitati committam, ac vt commissum habere dignetur exorabo, omnem ei concedam mei curam, & dicam ex toto corde, vnam petij à te Domine Iesu, hanc requiram, vt faciam voluntatem tuam omnibus diebus vitę meę: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, cor, memoriam, intellectum & voluntatem. Heu fac quæso: vt cum his, & in his omnibus, tibi seruiam, te diligam, tibi placeam, te adorem in æternum. Sic piissimus iuuenis parabat viam Domino, & rectas faciebat semitas eius, in hunc deinde modum, diem transigendum septem articulis ordinauit. Excitatus à somno, manè statim in hæc verba, gratias agam Domino Deo meo. In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Cogitabo postea sacrum aliquod mysterium, Pastorum præsertim deuotionem, qui in ipsis nascentis Auroræ incunabilis Diuinum infantem natum adorauerunt. Eiusdem apparitionem, cùm in triumphali suæ resurrectionis die dulcissimæ matri sese ostendit, & Mariarum sedulitatem, quæ vt viderent & venerarentur defuncti vitæ Dei corpus, summâ pietate commotæ, valdè manè vna Sabbathorum venerunt ad monumentum. Consequenter ad id considerabo de Saluatore, quòd nempe sit lumen ad reuelationem gentium, vt peccatorum

Decretum.

Commendatio.

Franciscus qua ratione diem sibi transigendum statuit.

torum fuget tenebras, & illuminet his, qui in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis: Sed ad totam diem firmiter statuto consilio cum Dauide canam. Manè adstabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Interero quotidie Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac vt mysterio tam ineffabili decenter assistam, inuitabo omnes animæ meæ facultates, debitum vt hîc suum agant; Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Eamus in Ecclesiam, ibi enim fit panis supersubstantialis virtute verborum, quæ ad consolationem nostram in Sacerdotum ore posuit Deus. Sicut indiget somno corpus ad discutiendam membrorum lassitudinem, ita dormiscere aliquando anima debet, & resumendis viribus castissimos inter cœlestis sponsi amplexus requiescere, sacro igitur huic somno, diebus singulis præfigam tempus aliquod, vt anima mea, ad instar dilecti discipuli, in amabili gremio, imò amantissimo amatissimóque Amantissimi amatissimíque Saluatoris corde dormiat. Sicut autem per somnum corporeum operationes omnes corporeæ restringuntur ad corpus, adeò vt extra ipsum nullibi inueniantur, ita spirituales omnes facultates meas, intra spiritus limites continebo, humiliter obediendo Prophetæ dicto, Surgite postquã sederitis qui manducatis panem doloris: O vos omnes qui doloris panem libenter comeditis! siue in mœstitiam de peccatis vestris, siue quòd proximi delictis compatiamini, nolite surgere, nec ad exteriores huius laborioſi sæculi occupationes transitote, quin prius in æternarum rerum contemplatione sufficienter requieueritis. Si opportunam horam, vt accidit plerunque, non inuenero, partem aliquam somni corporei dedicabo somno tam vigili; hoc scilicet pacto, vel in lectulo aliquantulum vigilabo, si possibile sit, vel post primum somnum, vel manè ante alios surgam, & recordabor dicti Dominici in rem hanc, Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Si de nocte contingat vt vigilem, expergefaciam cor meum his verbis, Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Deinde ex tenebrarum exteriorum consideratione ad interiores animæ meæ, & peccatorum omnium transiens noctes, sic orabo. Illuminare his qui in tenebris, & in vmbrâ mortis sedent,

ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Heu Domine! quoniam per viſcera miſericordiæ tuæ viſitaſti nos, oriens ex alto, illumina quæſo eos omnes, qui in ignorantiæ procumbunt tenebris & æternæ mortis, id eſt peccati mortalis vmbrâ inuoluuntur, & in interioris pacis viam ſi placet dirige, His Prophetæ regij verbis meipſum etiam excitabo. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Præceptum eius conabor exequi, quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini, quod vt perficiam ad melici cygni pœnitentis imitationem, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Ad Deum & Saluatorem meum ſæpe me conuertam, & dicam, Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël. Ita eſt ſanè, ô qui animarum noſtrarum Iſraëlem cuſtodis! nunquam dormitas, dormis nunquam. Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine, à regalibus ſedibus venit. Ad impertiẽdos Diuinos tuos effectus nullæ valent tenebræ, eâ horâ natus es ex Maria Virgine, eâdémque in animabus noſtris cæleſtes tuæ gratiæ naſci queunt. Hei! miſericors Redemptor! Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eum. Demùm poſtquàm animæ meæ tenebras, & imperfectiones diligenter conſiderauero, potero ea verba dicere, quæ habet Iſaias, Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? & reſpondentẽ audiã. Venit manè & nox. Venit bonarum inſpirationum manè, Cur tenebras magis quam lucem diligis? Quoniam verò huiuſmodi deuotionis actus nonnunquam nocturni fragores impediunt, iis ſi fortè caperer, in Cuſtodis Angeli conſideratione recreabor, dicendo, Dominus à dextris eſt mihi ne commouear, quod de cuſtode Angelo doctores aliqui interpretati ſunt. Verſum etiam hunc adducam in memoriam, Scuto circũdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. Vtar præterea ſanctis hiſce Dauidis verbis, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Quaſi diceretur, neque ſol, neque eius radij, mea lux præcipua ſunt, neque me ſaluabit ſocietas, Verùm ipſe ſolus Deus qui æquè mihi propitius eſt nocte ac die. In hanc rem ſcitu dignum eſt, quod ipſe poſtea narrauit. Formidabat aliquando à ſpiritibus, quem timorem vt pelleret, ſtudebat ſolitudini, vt aſſueſceret Dei præſentiæ, & ſic à cæteris

ſpiritibus

ſpiritibus nihil metueret. Quid enim huic timẽdum eſt,qui cum Deo eſt? Reſtabat nihil aliud præclaro luueni, quàm vt tranſacto ſic ſanctiſſimè die, in Dei ſinu requieſcendi ſibi modum inueniret. Quamobrem ſic ſibi ſpiritualem (vt vocabat) ſomnum ſtatuit,aut quietem; Primò (inquit) electo huic ſacræ quieti opportuno tempore,in memoriam reuocare contendam,pios motus, deſideria,affectus, ſtatuta,cœpta,ſenſus,dulcedines omnes, & quæcunque Diuina mihi maieſtas olim inſpirauit, ac in ſanctorum myſteriorum, virtutis pulchritudinis, eius nobilitatis, & infinitorum in me beneficiorum conſideratione dedit experiri,illius præterea obligationis quàm magnam erga ipſam habeo recordabor, eo quòd ſuâ gratiâ ſenſus aliquando meos debilitauit nonnullis morbis, & infirmitatibus, quæ mihi non parum profuerunt. Poſthæc voluntatem meam in bono,& in ſtatuto Creatorem meum nunquam offendendi confirmabo. Secundò quieſcam paulatim in conſideratione vanitatis honorũ, diuitiarum, dignitatum, & voluptatum immundi huius mundi, perpendam modicam rerum illarum durationem, incertitudinem,finem,& quàm à veris bonis diſtent diſcrepéntque,qua ratione eas cor meum reijciet,ſpernet,abominabitur, & dicet.Ite, ô ite diabolicæ illecebræ,abite à me procul,nihil mihi vobiſcum eſt,quandoquidem deliciæ quas promittitis, inſipientibus æquè ac ſapientibus cõueniunt.Tertiò quieſcam leniter in conſideratione turpitudinis,abiectionis, & miſeriæ quæ inuenitur in peccato miſeríſque animabus ab eo obſeſſis & poſſeſſis, tum abſque perturbatione dicam, peccatum indigna res eſt homine benè nato, & meritum profitente, nullum vnquam affert abſolutum gaudium, ſed dumtaxat imaginarium, Quas verò ſpinas? quos mœrores?quas amaritudines?quas anxietates?quæ ſupplicia non ſecum ducit?Veruntamen quamuis nihil horum eſſet, numquid id ſatis eſt, quòd Deo diſplicet? hoc autem ſatis ſupérque eſt, vt omnibus omninò modis reijciatur: Quartò dormitabo ſuauiter in cognitione excellentiæ virtutis, virtutis inquam, quæ adeò pulchra eſt,grata,nobilis,generoſa,alliciens,potens,illa eſt enim quæ hominem interiùs exteriúſque pulchrum reddit, illa quæ creatori gratum facit, homini illa optimè conuenit, cùm ei propria ſit. Quas verò conſolationes,quas delicias, quas non ei liberales delectationes omni dat tempore. Hæc eſt Chriſtiana vir-

Franciſcus ſpiritualẽ ſomnum ſibi præſcribit.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

tus, quæ eum sanctificat, quæ mutat in Angelum, quæ Deulum
Quintò. efficit, quæ in his terris ei confert Paradisum. Quintò, demirabor quàm pulchra sit homini à Deo data ratio vt eius miro splendore illustratus, & edoctus odio vitium prosequatur & virtutem amet. Heu! cur diuinæ huius facis rutilans lumen non sequimur, cùm datus sit nobis eius vsus, vt videamus vbi oporteat pedem figere? Ah! Si nos eius dictamine duci sineremus rarò cespitaremus, difficile vnquam malè ageremus! Sextò, attentè ponde-
Sextò. rabo rigorem diuinæ Iustitiæ, quæ iis proculdubio non parcet, qui naturæ & gratiæ donis abusi fuerint, debent tales, ad diuinorum iudiciorum, mortis, purgatorij & inferni considerationem pauere maximè. Excitabor ergo à me ipso, & à segnitie, his sæpe repetitis verbis expergefiam: En morior, quid mihi proderunt primogenita, siue omnia ista? Quid inquam, proderunt mihi præsentia hæc omnia, & quidquid in hoc mundo lucet & splendet, cùm quotidie moriar? Præstat sanè ea spernere, & sub mandatorum Dei custodia, cum filiali timore, & animi tranquillitate fu-
Septimò. turæ vitæ expectare bona. Septimò, In hanc rem, infinitam Dei sapientiam, omnipotentiam & incomprehensibilem bonitatem contemplabor; peculiariter verò videre intendam, quomodo eximia hæc attributa in sacris elucent mysteriis, vitæ, mortis, & passionis Domini nostri Iesu Christi, in eminentissima Dominæ nostræ Beatæ Mariæ Virginis sanctitate, & imitabilibus fidelium Dei seruorum perfectionibus. Transeundo hinc ad cælum Empyreum, Paradisi gloriam demirabor, indeficientem Angelicorum spirituum, & beatarum animarum fœlicitatem, quámque Augustissima se Trinitas in æternis præmiis, quibus benedictam hanc turbam remunerat, potentem, sapientem & bonam osten-
Octauò. dat. Octauò denique in amore solius & vnicæ bonitatis Dei mei dormiam & requiescam. Gustabo si possum immẽsam hanc bonitatem non in suis effectibus, sed in seipsa, bibam hanc vitæ aquam, non in vasis, aut phialis creaturarum, sed in ipso fonte, sapiam quàm adorabilis hæc maiestas bona sit in seipsa, bona sibi ipsi, bona pro seipsa, immò quomodò sit ipsa bonitas, & tota omnisque bonitas, & bonitas quæ æterna est, quæque nec areneri nec comprehendi potest. O Domine, (inquam) Nemo est præter te bonus per essentiam & naturam, tu solus necessariò bonus es; creaturæ verò omnes quæ tam naturali quàm supernaturali

turali bonitate bonæ sunt, non nisi amabilis tuæ bonitatis participatione sunt. Has sibi leges, quibus Deo gratus esset, præscripsit Franciscus, & obseruabat eas sedulò, ad omnium sanè stuporem, qui tot virtutum ornamenta in specioso, & nobili Iuuene, non poterant non mirari, Rectori & Directori suo communicatas in abbreuiatis paginis descripsit, & primis vltimisque libelli sui precarij partibus, commissas semper gestabat in perulâ, vt ad omnem actum eas haberet in promptu. Auidos etiam illarum effecit nonnullos sui genij adolescentes, quorum animos suis sibi virtutibus conciliarat: & quia solitariam vitam ducere non licebat ei, debebátque hominum vti consortio, alias sibi regulas indixit, quibus inter agendum & loquendum, illæsus vitiis, & in virtutibus ad maiorem Dei gloriam, planè compositus remaneret. Sex autem punctis rem totam comprehendit. Punctum primum, differentia est, inquit, inter congressum & cõsuetudinem, nam congressus fortuitò fit & ex occasione, consuetudo verò fit ex electione: in congressu nõ est diuturna societas, non magna familiaritas, nõ expressus nimis affectus nec impressus, at in consuetudine videmur sæpiùs inuicem, familiaritate vtimur, electis personis affectum damus, frequentamus vt viuamus cum laude, & ad inuicem conferamus. Punctum secundum, nunquam spernam, nec signis demonstrabo me absolutè fugere alicuius quicumque sit congressum: hoc enim dat superbi nomen, elati, seueri, arrogantis, censoris, ambitiosi, & reprehensoris immodici. His in congressibus sedulò aduertam, ne cum aliquo sociũ agam, ne quidem cum familiaribus, si nonnulli cum reliqua turba adessent, hoc enim considerantibus leuitatem saperet, non concedam mihi licentiam quidquam minus rectum dicendi vel faciendi, ne fortè insõlens audiam, si citò nimis ad familiaritatem erumpam. Curabo præ omnibus ne vnquam mordeam, lãcinem vel irrideam, stupiditas enim esset si absque odio iis putaremus irridere, qui nos ferendi nullam habent causam. V numquemque peculiari honore prosequar, modestiã obseruabo, parum & benè loquar, vt recedat potius cum nostri congressus appetitu societas, quàm cum tædio. Si breuis fuerit congressus, & iam aliquis in eo verbum teneat, quamuis à salutatione non aliud, cùm nec austero, nec melancholico, sed moderatè & honestè libero gestu dicerẽ meliùs esset. Punctum tertium. Quantum ad con-

Franciscus qua ratione inter homines viuere & agere decreuit.

Punctum primum.

Punctum secundum.

Punctum tertium.

ſuetudinem erit hæc mihi paucorum bonorum & honorabilium, quia cum multis proficere perquàm difficile eſt, cum malis non corrumpi, & niſi ab honorabilibus honorari. Hoc ſpecialiter circa congreſſum & conſuetudinem præceptum obſeruabo. Amicus omnibus, familiaris paucis. Vbique autem opus erit iudicio & prudentiâ, cùm nulla ſit tam generalis regula, quæ ſuam non patiatur exceptionem, hanc ſi ſolam demas, quæ reliquarum omnium eſt fundamentum, nihil contra Deum. In conſuetudine ergo modeſtus ero abſque inſolentia, liber abſque auſteritate, ſuauis abſque affectatione, tractabilis abſque cõtradictione (id niſi ratio requireret) abſque diſſimulatione cordatus, quia volunt homines, eos cum quibus agunt cognoſcere; noſmet autem magis aut minus patefacere debemus ſecundùm conſuetudines. *Punctum quartum.* Punctum quartum, Quandoquidem vt plurimùm cogimur eorum vti conſortio qui differentium ſunt conditionum, ſciendum eſt mihi exquiſitum aliquibus eſſe dumtaxat oſtendendum; aliis bonum, & aliis indifferens, nemini verò malum, ſuperioribus vel ætate, vel profeſſione, vel authoritate non niſi exquiſitum oſtendendum eſt, paribus bonũ, inferioribus indifferens. Malum nemini eſt aperiendum, quandoquidem videntiũ oculos lædit, & eum cui ineſt deformem reddit. Et reuera magni & ſapientes non niſi exquiſitum mirantur, affectationem dicerent pares, & inferiores nimiam grauitatem. Sunt quidem melancholici nõnulli, qui gaudẽt cùm quis ſua eis vitia detegit, illis verò ſunt magis occultanda, cùm enim illi polleant imaginatione, ſuperim perfectione vel minima decennio, & ampliùs philoſophabuntur. Ad quid porrò imperfectiones detegere? Num ſatis videntur? numquid ex ſe ipſis ſatis palam fiunt? Nullo igitur modo expedit eas manifeſta sreddere, bonum eſt autem eas confiteri. Nonobſtantibus tamen iis quæ diximus, ſuperioribus, paribus, & inferioribus conſueſcendo exquiſiti boni, & indifferentis ſermonem poſſumus temperare, modò cum diſcretione omnia fiant. *Punctum quintum.* Deniq; ſocietatum diuerſitati oportet ſe cõponere, abſque tamen virtutis detrimento. Punctum quintum, Si cum inſolentibus, liberis aut melancholicis verſari me conueniat, ſic præcauebo, inſolentibus abſolutè me abſcondam, liberis dummodò Deum timeant abſolutè me aperiam, & patenti eis corde loquar; melãcholicis oſtendam me dumtaxat, vt communi fertur prouerbio,

prouerbio, ex feneſtrâ, hoc eſt me eis ex parte aperiam, quia tales hominum corda videndi magna ducũtur curioſitate, & cùm nimis vident reſtrictos ſubitò ſuſpicantur. Ex parte etiam me abſcondam, quia vt diximus tales cominus nimis eorum qui ſecum verſantur conditiones ſolant notare, & ſuper eis philoſophari. Punctum ſextum. Si ad magnorum conſuetudinem me neceſſitas impellat, tum maximè ero ſollicitus, ſtandum eſt enim cum illis ſicut cum igne, ſcilicet bonum eſt aliquando proximum eſſe, ſed aduertendum ne nimia ſit hæc proximitas, in illorum ergo præſentia cum multa modeſtia me geram, ita tamen vt honeſtam habeat admixtam libertatem. Amant ſemper magnates amari & reuereri, amor profectò libertatem generat, & reuerentiam modeſtia. Malè igitur non erit in eorum ſocietate aliquantulum liberum eſſe, dummodo non omittatur reuerentia, & hæc ſit libertate maior. Inter æquales, libertas & reuerentia æquales eſſe debent, cum inferioribus, reuerentiâ libertas debet eſſe maior, cum magnis verò & ſuperioribus contrarium eſt obſeruandum. Huiuſmodi porrò ſcriptis & regulis Deo & hominibus, in ætate tam labili placendi modum Franciſcus inuenerat, & monſtrum eſſe aiebant omnes, tantam cum feruore ſanguinis, & poſſibili in alieno climate, morum & vitæ praua libertate, pietatem, modeſtiam, ſtudioſitatem, virtutes omnes conueniſſe, fortitudinem, & quod animi robur ſæculi homines vocant deeſſe nonnulli arbitrabantur, quod vt experientia compertum haberent, quo poſtea Franciſco irridendi materiam prædarentur, ex vrbe ſemel ſub ſerotino crepuſculo redeunti poſuerunt inſidias, & ſimulato diſſidio diu ſatis rixati eum ad euaginandum gladium coëgerunt. Sed hoc viſo fugam adornantibus non bellum, & de mota ex profeſſo diſſenſione veniam petentibus Franciſcus pepercit. Nec aliàs rem ſimilem tentarunt nebulones. At ſaltem non ita caſtum, vt ſuis ſe moribus & verbis faciebat autumantes, vel ſi reuera eſſet, oblatâ forſan peccandi occaſione caſurum à propoſito meditantes, experiri decreuerũt. Inter ipſos de facinoris indubiè patrandi mediis conſultatione facta, tanquam de re eximia ſolliciti, ad eum acceſſerunt, & aduenit (inquiunt) ô Domine, in hãc ciuitatem exoticus legum Profeſſor, quem eruditiſſimum clariſſimúmque ferunt, honeſtus eſſet nobis, ſi velles ad officioſi muneris conſalutationem proceſſus, nec fortè minus vtilis.

Punctum ſextum.

Animi robur in Franciſco.

Caſtitas à Franciſco mirè adamata & culta.

vtilis. Hospitium sibi delegit in vicinia. Franciscus, vt comis erat & vrbanus, nec de sociorum nequitia diffidens libenter annuit, & quò ducebatur perrexit. Subornauerant illi fœminam speciosissimam, sed ex earum numero, quas luparum nomine, perniciosissimas Iuuenum pestes intelligimus, & quid cum adolescente ducendo agendum haberet indixerãt. Vbi nos humaniter quantum poteris exceperis, finges te Doctoris quæsiti coniugem, quem impeditum negotiis mox tamen venturum inquies interim dum porrectis sedilibus, indifferẽtibus sermonibus occupabimini, nos paulatim & tãquam aliud agentes recedemus. Tum fac quod scis optimè vt eum allicias ad alia. Non fefellit meretrix impios, nec est oblita strophæ, nam vt superatis gradibus intrarunt aulam, vultu ad modestiam composito eos humanissima salutatione excepit, & audita Francisci verbis aditus causa, Vobis (inquit) ô Domini maritum meum magnoperè deuincitis, aliquibus negotiis tantillum distinetur, mox libet erit, qui vobis de salutatione vestra gratias agat, interim si mora suppetit, nos hîc eum expectabimus. Iussit afferri sellas, quibus datis, cum Francisco (deferẽtibus id illi sociis) congressum iniit. In longum iam sermones excreuerant, nec Doctor vllus comparebat. Surgentes socij tanquam imagines inspecturi, solúmque cum sola Franciscum relinquentes, vnus atque vnus limen excesserunt. Meretrix vt occasionem vidit mutauit vultum, & libidinosis oculorum coniectibus, lasciuorúmque verborum mollitie in pellacias effusa pudici Adolescentis manum arripuit, strinxit, titillare conata est; ille principiis obstandum gnarus inclementer eam repulit: Et credebam (inquit) me cum honoris fœmina versari, & virtutis hospitium intrasse, sed vt video lupanar est, & tu prostibulum. Risit ad hæc verba meretrix, & non fieri potest dixit, vt tu cùm nobilis sis, & formosissimus non ames, nec ex oculorum tuorum radiis crudelitatem conijcerem. Erupit mox in amplexus, sed castigatum denuò acri obiurgatione scortum abegit à se fortiter Franciscus, nec non collectam vbertim saliuam indignationis suæ testimonium in effrontem vultum exonerauit. Exclamauit spreta & deformata fœmina velut ad incendium: fugerunt huc & illuc socij, qui per foris rimulas strophæ exitum exspectabant, & sequebatur abeuntem Franciscum cum improperiis & muliebris nequitiæ adinuentionibus furibunda meretrix anhelitu

Castitatis à Francisco adamata illustre exemplum.

litu putido aërem verberans interim dum socii quasi salutationis officium instauraturi quid accidisset, se ignorare contenderent. Sed increpauit in impios Franciscus, & ex insolito faciei rubore pungentiq; verborũ efficaciâ cognitionẽ illis indidit, & suæ virtutis & peccatis quod cõmiserant. Repleuit Patauiũ glorioſus hic de procacitate triũphus, & optima Victoris æstimatione, cumulauit proborũ mẽtes, quę causa fuit vt à viris perfectus audiret Salesius, quãuis à fœminis solitarius, lapis, truncus, & adamas vocaretur. Cremabãt miseræ ad innocẽtis aspectũ, & cohibere non potuit libidinis impetũ inter alias quædã genere & facultatibus Princeps, Patauij moras aliquot trahens sed perspectis omnibus modis quibus ad peccatum perueniret, vnum tandem ex Franciſci sociis curauit accersiri, deliniuit blanditiis, corrupit muneribus & maioribus promissis ad absolutè quod vellet, exequendum induxit, non aliud verò expoſcebat quàm vt iste Salesium suum in hospitium duceret, & quâ apud eum pollebat familiaritatis industriâ, suis & amoribus, & muneribus redderet tractabilẽ. Non erubuit scelestus socius lenonis personam agere, & Salesio meretricium proponere, formam illustris fœminæ laudauit ornatissimè, de fortunę occasione & nummorum copia panegyrim contexuit. Franciscus autem indignatus, Abi (inquit) perdite. Num te pudet tãti sceleris? Tu qui si quid malè agerem deberes corripere, ad peccatum me prouocas? pete verò à Deo veniam, & pœnitentiam age, seruet illa quas habet ingentes pecunias, ego ad paupertatem licet essem redactus extremam cum animę meæ detrimento diuitias non compararem. Neque tu ad me amplius similes negotiationes afferas, sed vade & iam noli peccare. Non ausus est deinceps socius ille sollicitare Salesium, grauiter tamen tulit quòd flectere nõ potuisset: nam (vt retulit aliis) si dumtaxat ad Principis hospitiũ à se ductus fuisset Salesius, crumenas suas auro ad multos annos repleuisset, Frãciscus verò tot illecebris resistendi potestatis, gratias egit Deo, suisq; rebus prouidit in posterùm magnoperè cilicio & ieiuniis corpus macerabat, longis vigiliis obnubilabat oculos, splendorem vultus meditatione contristabat, sæpe scuticâ Quadragesimali præsertim tempore sibi perfricabat armos, & in his omnibus adeò humilitatis præcepta excolebat, vt nisi Rectori & Directori suo nemini declararet. Venit tamen aliquando in omnium notitiam hac

Castitatis exemplum aliud.

Franciſci austeritas in adoleſcentia.

Franciſcus ſcuticam excipit.

ratione. Incumbebat per hæc tempora Iuriſprudentiæ ſtudiis inter alios Ioannes Baptiſta Valentianus qui poſtea in ſuprema Sabaudiæ Curia Senator euaſit, & concionabatur publicè vir integerrimus, Pater Ieſualdus ordinis ſancti Antonij Patauienſis religioſus, cum quo etiam iampridem Saleſius amicitiæ fœdus contraxerat, aderat per anni circulum illa dies, qua humani generis redemptor ſuis ſe manibus duodenæ diſcipulorum turbæ cibum dedit, & in ſui cõuentus capitulari aulâ pomeridianis horis ante voluntariam piorum, qui adeſſe voluiſſent flagellationem, Pater Ieſualdus adhortationem ſacram habiturus erat. Inuitauit ad eam Valentianum Saleſius, & pro Chriſti amore tantillam pœnitentiam agendi animum dedit, perrexerunt igitur ambo ad Antonianos, ſcuticam cum aliis Patrum manibus acceptarunt, & vbi Cõcionator hunc Pſalmiſtæ locum ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores (quod de Chriſto dictum fuit,) non ſine bonorum lachrymis explicaſſet, cœpto Dauidicæ pœnitentiæ pſalmo, clauſis oſtiis, candelis extinctis, locis mutatis, incepta eſt etiam flagellatio. Et ecce dum feruet, inſolentes quidam iuuenes Veneti, alioquin genere nobiles, ignem quem in cæcis laternis incluſum retinuerant, ſubitò è quatuor aulæ angulis produxerunt. Commota fuit hoc ſcandalo ſocietas, & depoſito thorace cum ſolâ interulâ, vel iam caſtigatione demiſſum vel ad flagella paratum Saleſium, Valentianus & omnes viderunt. Emarcuit verò breui Franciſci vultus voluntariis tot ærumnis & arida crates oſſea viſus eſt veriùs, quàm ſpirantis hominis effigies. Sollicitè attendebat ad hæc Deagius & qui Franciſco ſuo valdè iam Lutetiæ timuerat ad tantam mutationem omninò exhorruit. Non parcebat vir prudentiſſimus adinueniendis mille animi recreationibus vt deiectum mœrore iuuenem reficeret, ſed ex aſſiduâ ſtudiorum contentione frequentiſſimis eximiæ pietatis actibus, & contractâ affluentiori humoris copiâ in ſtomacho & cerebro, adeò porrò morbus inualuit vt continuis febrium æſtibus eum agitaret, ſequuta eſt febrim tormina, & iſtam cum pituitæ fluxu arthriditis affectus ſociauit: Iacebat morti ſimillimus Franciſcus pelle & oſſibus culcitam premens, rem viſu horridam: febrilibus cõcutiebatur horroribus, intremebat algore diro, neque tamen doloris vllius intolerans animaduerti poterat, quinimo eam aiebat eſſe Dei voluntatem, & ſe grauioribus, ſi ad

Franciſcus miserè ægrotat.

peccato

peccatorum numerum attenderetur, addicendum tormentis profitebatur. Cæterum quidquid ad ſalutem medici præſcribebant, recipere non recuſabat, & in vtramque vitæ vel mortis partem compoſitus Dei miſericordiam præſtolabatur. Deagius in tam aſperis rebus quo ſe verteret ambigebat, tandem tamen eò deuenit conſilij, vt de commiſſi ſibi Adoleſcentis nobilis ſalute, vltimam Medicorum ſententiam exploraret, rogauit ergo ad cõſultationem, inter alios Ioannem Coperium Allobrogem, & Botonem Patauinum, expertiſſimos Doctores, qui penſatis morbi cauſis, corporis teneritudine, & diuturnâ vexatione iuxta naturæ leges, morti Franciſcum addixerunt. Senſit hoc enunciato ſibi cor comprimi Deagius, & in res varias cogitatum conuertens, indulſit abundè lachrymis, quibus exſiccatis quo potuit, conſtantiori vultu ad languentem Franciſcum perrexit, cubitóque ceruicali eius innixus, ſi Deus (inquit) ô fili ad meliorem te vitam traheret, nũquid eius placito conformarere. Nec vltra potuit præ doloris magnitudine verba facere. Intellexit ſubitò Franciſcus quid hoc ſibi vellet, & ego reſpondit, ad quæcumque me Deus deſtinauerit ſum paratus, & ſiue me mori iubeat, ſeu malit viuere, dulce mihi cum illo viuere, dulce etiam mori, mox dilatato corde multa profudit ex ſcripturis, quibus in amaritudine animæ ſuæ conſolationem caperet: Dominus illuminatio mea, quem timebo; ſi conſiſtant aduerſum me caſtra in hoc ego ſperabo. Heu quàm breues ſunt dies hominis! Quam fragilis eſt hæc vita, ſed quàm dilecta tabernacula Domini virtutum, in hac ſpe videndi eum in terra viuentium expecto, donec veniat immutatio mea. Beatus vir cuius eſt nomẽ Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Proijciebat hæc & alia inter acutiſſimos doloris aculeos, & ſolus immobilis adſtantium oculos irriguis fletibus perfundebat, cùm Deagius ſibi vim inferens, quid & quomodò de ſuo corpore diſponeret ab eo quæſiuit, vbi ſepulturam eligeret? quæ funeralia deſideraret? Ego (inquit) omnia charitati tuæ relinquo, Magiſter o ptime, & quam viuentis curam habuiſti, mortui parem habeas rogo, hoc ſolum expeto, vt cùm expirauero corpus hoc diſſecandum Medicis, chirurgis, & Anatomices ſtudioſis tradas, vnum erit in extrema vita ſolatiũ, ſi poſtquam nullius viuens fuero vtilitatis, defunctus aliquâ ratione reipublicæ proſim impediámque præterea nunc

Franciſcus à Medicis morti addicitur.

Franciſcus corpus ſuũ Anatomices ſtudioſis diſſecandum tradit.

ſaltem tot rixas, tot diſſidia, & cædes quæ inter functorum parentes aut conſanguineos & Medices candidatos eueniunt. Obſtupuit ad hoc effatum Deagius, nec minus mirati ſunt inauditam in proximum charitatem quicumque aderant, ſed confirmauit voluntatem iſtam Saleſius mœſtóſq; conſolabatur potius quàm ipſi eum quem moribundum exiſtimabant. Tactus enim aliquando non mediocri dolore fuerat, cùm huiuſmodi altercationum mala non audiſſet modò, ſed vidiſſet, in Academia tam celebri, vbi deficiente quem quotannis Magiſtratus incidendum dare ſolitus erat, alicuius rei cadauere, Academici, functorum quorumlibet corpora ſepulchris extrahere conabantur. Ij verò ad quos ſpectabant mortui, pugionibus, gladiis, & cataputis armati impedire & reſiſtere totis viribus contendebant, vnde animis ad iram ex iurgio & contentione excitatis fiebat, vt plures vel percuterentur ad necem, vel reſtarent grauiter vulnerati. Confecto ſic breui teſtamẽto, Franciſcus ſanctis Eccleſię muniri ſacramentis poſtulauit, Aduocatus eſt ad eum Poſſeuinus, apud quem conſcientiam, (vt ſolebat) effudit, tum communione ſacra pro viatico refectum extremâ vnctione Curio cófortauit. Lugebant omnes dum in lecto, velut iam in ſepulchro ſuauiſſimum iuuenem contemplabantur, & iam funebria parabãtur, cùm ecce viſus eſt reuiuiſcere, & non permiſit Franciſcum augere functorum numerum Deus, quinimò integram ei, quamuis paulatim, reſtituit ſanitatem: vnáque Eccleſiaſticæ profeſſionis, cuius antea ingenti flagrabat deſiderio, voluntatem in animo confirmauit. Miraculum dixerunt Medici, rediit in bonorũ omnium corda lætitia, & Franciſcus ipſe dedicatis diuinæ Maieſtati quos reſiduos habebat annis, ſolemnem gratiarum actionem, vt Lutetiæ fecerat ante Virginis Deiparæ ſimulachrum non omiſit, reſtaurauit continuò ſtudia quæ morbus interruperat, & in acquirendis virtutibus, manſuetudine præſertim & humilitate, nec non contemplationis culmine feruentiſſimè incumbebat. Robuſtior factus ſpecioſior etiam euaſit, & omnium quot-quot virtutem amabant ineffabili quadam virtute corda rapiebat. Fuit inter multos Auguſtanus quidam Prætorianus nobilis, cognomento Grangianus, qui tantum pro Saleſio amorem conceperat, vt ab eius laudibus nullibi deſiſteret, vt eum vel ſaltem videret tranſeuntem, ſeruabat excubias, ſimplici eius aſpectu ſe mirum:

Franciſcus ſanitati reſtituitur.

Franciſcus in ſui amorẽ omnium corda rapit.

mirum in modum aiebat recreari, atque vt eiusmodi semper amoris suauitate frueretur, Franciſci congreſſus & familiaritatem fugiebat,ne fortè(inquiebat)casus aliquis, vt in consuetudinibus euenit, ab hac me absoluti Nobilis Adolescentis, quam eximiam cõcepi existimatione deturbet. Agebat quartum supra vigesimum ætatis suæ annum Franciscus, & necessarium Iurisprudentiæ spatium temporis effluxerat,cùm acceptis à Patre litteris, iubente etiam Deagio & consulente, imò auidè expetente Pancirolo, ad recipiendam Doctoris lauream perrexit, Coëgit ergo suis precibus quadraginta & octo Doctores ad spectaculum,examen subiturus. Promouit eum magnis cum laudibus, sed præcipuè cum obseruatæ castitatis exemplo & encomio,quod de Arethusę fonte ferunt,in similitudinem adducens Guidus Pancirolus, & post auditas ad argumentorum omnium tormenta responsiones validissimas,doctorali eum annulo,coronâ,& priuilegio insigniuit, Nonis Septembris anno supra millesimum quingentesimo nonagesimo primo. Tum FranciscusDoctoribus tantillùm sistere, rogatis his verbis gratias egit.Etsi satis apud me reputo quantum existimationis meæ interſit, vt eas vobis gratias agere enitar, quas exigit à me maximas sacrosanctum illud,quod hodierna die in me collocastis,beneficium;Reuerendissime Proantistes, Venerande Prior, Patres Conscripti, cùm tamen iis agendis, vt par est, neque me satis esse,& vos grauissimis occupationibus intentos interesse commodè non posse, cognoscam,vestræ commoditatis quàm meæ ipsius existimationis amantior ab hoc debito grati animi officio libenter abstinuissem. Verùm meum hoc tam alieno loco,& tempore, silentium eiusmodi esse censeo, vt in eo cum meâ vestra quoque coniuncta sit existimatio,si etenim me negligentem, ingratum ac stupidum adeò, vt præsens ac tantum munus non cognoscerem, nobilissimus iste cõfessus iudicaret quales vos esse iudices diceret qui tam præclarum iam iam de me tulistis iudicium? Occurram ergo iis de vobis,ac de me cogitationibus. Agnosco (spectabiles Auditores) hoc in me collatum ab iis eximiis Patribus beneficium eius esse generis,vt maius expectari inhac mortalitate non possit. Cætera enim vel fortunæ vel corporis sunt ornamenta, hoc vnum Doctoratus ipsam exornat virtutem,quæ per se ornatissima est, atque eò maius splendidiúsque munus hoc existimo;

Franciscus laurea doctorali insignitur.

Franciſci ad doctores Patauinos oratio & gratiarum actio.

quòd non ſolùm laurea, ſed laurus ipſa mihi per hoc Gymnaſium collata eſt. Hoc eſt non me ſolùm Doctorē fecit, ſed etiam dignum qui Doctor forem & nuncuparer. Initia ſanè litterarum Patria chariſſima ad naturam addidit, quibus inſtructum parens optimus optimâ ſpe me in dies doctiorem videndi conceptâ, in Academiam Pariſienſem emiſit eo tempore florentiſſimam ac frequentiſſimam. Iam verò heu quæ rerum eſt viciſſitudo! belli terroribus tabeſcit inclyta litterarum parens Lutetiana ſchola, ac ſolitudinem quam Deus optimus auertat, primâ fronte minitatur. In hac humanioribus litteris primò operam nauaui ſedulus, tum vniuerſæ philoſophiæ, eo faciliori negotio ac vberiori fructu, quòd Philoſophiæ ac Theologiæ ſchola illa ita ſit addicta, vt eius tecta propemodum ac parietes philoſophari velle videantur. Verùm huc vſque nullam ſacroſanctæ iuris ſcientiæ operam poſueram: At vbi ponendam poſtea decreui, nullo fuit opus conſilio quò me verterem, quò me conferrem: Ad ſe ſtatim hoc Patauinum Gymnaſium me ſua celebritate pertraxit, planè fauſtis ominibus, quoniam per id tempus doctores ac lectionibus præfectos habebat eos, quibus nunquam habuit nec deinceps eſt habitura maiores, Guidum Pancirolum Iuriſprudētiæ Principem, lumen ac decus veſtrum, Patres, nulla vnquam tempeſtate periturum, tunc mihi Iacobi Menochij voces audire viuas licuit, cuius mortuas, id eſt præclarè ſcripta, cuncti mirantur ac ſuſpiciunt, & cuius receſſus Academiæ magno futurus erat vtique detrimento, niſi in eius locum Angelus Matheaceus vir omni diſciplinarum genere cumulatiſſimus, maturo planè conſilio, non iniquâ permutatione ſuffectus fuiſſet. Quid pulchrius? Iuris Canonici diſciplinam ex eo monticulo deriuatam haurire licebat, cuius verticem veluti Parnaſſum alium ſorores Muſæ dubio procul incolunt. Poſtea doctiſſimum Otellium habuit, qui ita doctrinæ ſoliditatem iucunditate condire ſciat, vt omne punctum tuliſſe videatur, qui ſcilicet miſceat vtile dulci. Docebat prętera excellentiſſimus Caſtellanus, qui mihi eò tantùm nomine extra ordinem docere videtur, quòd extra prætérque ordinem ac captum communem doctus ſit & doceat. Primis denique vt cæteros omittam quamplurimos iuris ſcientiæ iaciendis fundamentis optimè præerat Treuiſanus. Hiſce præceptoribus ferè omnibus, quidquid in me eſt ciuilis diſciplinę ab hoc veſtro Collegio

Franciſcus quos habuit Patauij doctores?

gio Patres ad me deriuatum est, quod tale iudicastis vt ad lauream consequendam satis esse, sententia vestra pronunciaueritis, sententiâ inquam eâ,quæ transeat in rem iudicatam. Duplicem ergo ab hac scholâ beneficentiam sum consecutus,quarum vtra maior sit nescio, vtrámque maximam esse non ignoro. Nimirùm vt Doctor sim,& vt Doctor esse potuerim. Hinc quãtam possem maximam grati animi significationem tempus hoc locúsque postularent, sed quoniam pro tanti beneficij dignitate, eloquentia mihi, nec vobis otium suppetit longioris Orationis, instar coram hoc nobilissimo consessu hanc animi contestationem recipite libenter ac benignè.Ego huic celeberrimo Doctorum Collegio qualiscunque sum, me totum debeo (spectabiles Auditores)ita testor ita profiteor. Tibi Christe Deus immortalis, glorioßissimæ Matri, Angelo præsidi,Beato Francisco,cuius me nomine vocari plurimùm delector, laus, honor, benedictio & gratiarum actio. Tu lex æterna legum omnium regula, legem pone mihi viam iustificationum tuarum, in medio cordis mei, quoniam beatus est quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Quod reliquum est,age quæso Illustrissime Pancirole,Præceptor colendissime,purissimis ac beneficentissimis illis tuis manibus iis me ornamentis insignitum facias, quibus tali loco constitutos Gymnasium hoc alumnos suos dimittere consueuit exornatos. Vt sic loquutus est, resumpsit verba Pancirolus, & laudatum denuò Franciscum cum honoribus qui laureâ decoratis deferri solent ingenti de tali ac tanto discipulo lætitiâ cumulatus dimisit. Comitata est recedentem Augusta Doctorum Candidatorúmque turba fausti‌s ominibus acclamatis. Vniuersi qui iam Franciscum,vt eximiæ spei adolescentem suspexerant,magis ac magis gratulati,& datæ sunt ad fidem patentes litterę cum sigilli appensione,quibus Iulius Vrbanus Vicarius Generalis, Iacobus Malclauellus,& Gaspar Gratianus Cancellarius subscripserunt. Interea Dynasta Salesius Boësiacus de filio maiora semper in dies cogitans,& vacationi quam professurum putabat prouidens, in Tulliano suo Castello amplam Iurisprudentiæ & cæterarum scientiarum Bibliothecam præparabat, ciúsque reditum cum vxore Syonnasiâ impatienter expectabat. At Franciscus quam habuerat ab ipso licentiam, Romam & clariores alias Italiæ ciuitates videndi inutilem nolens, faciebat idcir-

Franciscũ Pancirolus denuò laudat.

cò mo-

cò moras: Iis igitur omnibus, quos sibi familiaritatis, & amicitiæ iure Patauij deuinxerat, valere iussis sexto Nonas Octobris terrestri itinere perrexit Ferrariam, tandémque superatis Appenninorum iugis Romam peruenit, & celeberrimæ illius orbis terrarum Metropolis magnificentiam miratus, ad visitandas Diuorum Basilicas sacrásque reliquias se accinxit, septem autem præcipuas ædes speciali sua pietate replevit, sancti Ioannis Lateranensis in monte Cœlio, ab Constantino magno constructam; Sancti Petri in Vaticano Augustissimum Christianitatis templum, Sancti Pauli via Hostiensi, extra ciuitatem: Sanctæ Mariæ Maioris: Sancti Laurentij extra muros via Tiburtina: Sancti Sebastiani viâ Appiâ, & sanctæ Crucis in Hierusalem. Rigabat lachrymis vicos, dum ad tantam Martyrum, qui terram illam suo sacrarunt sanguine, turbam attẽderet & proiectis ex imo pectore votis in reliquiarum veneratione Beatas animas sollicitabat, sed abhorrebat præterea ab insanis mortalium cogitationibus, dum in superfluas illas Antiquorum Romanorum moles leuaret oculos. Ad quid iam (inquiebat) hi triũphales arcus? Hę thermę? Antinianæ Diocletianæ? hæ columnæ, hæ Pyramydes, hæ Porticus? hæc Theatra, hæc exesa vetustate saxa, hi Circi? hæc trophęa, tot statuæ, tot sepulchra, tot turres? heu quàm vana sunt hominum opera, vbi non in Dei gloriam cedunt? Scribebant miseri illi nomina sua in rupium crustis, & hanc solam putabant immortalitatem, En vt posuerunt in vanitate ciuitates suas. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus, His tactus ęternarum amore rerum Salesius, à Priscis illis, Regibus, Consulibus, Imperatoribus ad sanctissimos Iesu Christi Vicarios, Diúque Petri successores supremos Pontifices animum cõuertebat, & nimis honorificatos Amicos Dei, eorúmq; Principatum nimis confortatum cum Rege Psalte repetebat, sed ecce dum de reditu cogitat, parum abfuit quin Romano sepulchro tegeretur. Hospitium delegerat ad Tiberis ripas, quod cùm ab Hospite Magnatum quorumdã sui loco excipiẽdorum causa, vacuare coactus esset, diuersaretúrque aliò, ipsâ eadem nocte, continuis inflatus imbribus Tiberis, domum illam rapidis percussam fluctibus, cum omnibus in eâ habitantibus ruinâ subitâ in Thyrrenum pelagus exportauit. Euitati periculi gratiis actis non distulit recessum Franciscus, per Spoletum & Maceratam

Franciscus Romam proficiscitur.

Franciscũ Deus mirè conseruat.

Franciscus Lauretanã inuisit Ædem.

ratam Lauretum venit. Ciuitas est vbique terrarum famosissima ob sanctissimum Mariæ Virginis Cubiculum, in quo à Gabriele salutata Filium Dei concepit, in illam Angelorum manibus è Nazaræo oppido ac Dalmatia asportatum. Vouerat sanè iampridem, hanc peregrinationem, sed continua studia siue morbi interdicebant, iam verò voti compos, totis iubilans artubus, pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis recreatus, Cælitîsque potius quàm mortalis speciem præseferens, flexis piè genibus terram sanctam, sacros parietes osculatus est, nec minus quàm Romæ ad teneritudinis lachrymas, cataractam oculorum relaxauit, solemnem ibi fecit sui dedicationem, filio, & Matri, qui castissimi iuuenis mentem, quamplurimis cælestis intelligentiæ radiis illustrarunt: Hæc sunt (inquiebat) ô sponsa Regis æterni, tigna vestra cedrina, laquearia cypressina, & tu aliquando, ô Amor stabas post parietes istos, respiciens per fenestras, prospiciēs per cancellos, pascebaris hîc inter lilia donec aspiraret dies, & inclinarentur vmbræ. Hîc, ô Domine, factus es frater meus, & quis detigitur te fratrem meum, fugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Deus docuisti me à iuuentute mea, sed hîc docebis amplius, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Inter hęc & alia, quæ pius iuuenis animus ex interioris hominis incēdiis velut flammas effundebat, rubentem ore toto, (charitate scilicet diffusa,) vidit Deagius, nec sine peculiari reuerentia ob iniectam sibi sanctitatis reputationem, recedentem comitatus est. Salesius Laureto, vt maritimo rediret itinere Anconam perrexit: hîc visitato portu, inuentoque qui eum in nauim reciperet, nauclero, de pretio conuenit, & sub spe breui soluendi anticipat solutionem. Dum expectat, & modo vicinarum domuum facies, modò maris campos contemplatur, venit illustris quædam Neapolitana mulier parata nauim conscendere, quę cùm alios, præter suos videret intrantes, in iram versa Siccine (inquit) ô nauta, fidelis es? Ego tecum conueneram, ne quis præter me & meos, nauim tuam oneraret, tu verò quoscunque recepisti? tū toruis inflammata luminibus, iussit omnes recedere. Franciscus qua erat humanitate, rogauit eam, sineret tribus suis famulis dumtaxat, locum dari, spopondítque syncera fide, ac promisit nullo ei futuros incommodo, at illa comitatis oblita, ab-

Francisci teneritudines Laureti.

Franciscū extraordinario rubore affectum videt Deagius.

Franciscū Deus à maru vorticibus præseruat.

solutè renuit, & egressos è naui, remigibus debitum imperans, reliquit in littore. Salesius cum Deagio, paratam aliam nauim præstolabatur ad discessum, simúlque copiosis ventis in alto naiuigantem fœminam oculis sequebatur, Cum ortâ repentinâ tempestate, iratum mare, cunctis qui in portuerant videntibus, nauim, nautam, & fœminam cum suis absorbuit. Fremuit horruítque ad spectaculum Franciscus, nihilominus tamen, pacato breui pelago, aliis confisus nautis Catholicam versus, prosperi venti flabris, lætabundus consentiebat, & iam longè relinquebatur terra, ipse Deo quàm mari intentior, de recitando diuini officij residuo, Deagio memoriam excitans, Oremus (inquit) mi Magister ne forte nos etiam demergat tempestas maris, & absorbeat nos profundum. Mox, extractis èpera Breuiariis, recitabant officium, Deagius & Franciscus. Cæteri qui vehebantur hîc cantabant, illic fabulabantur, hîc audiebãt, illic dormiebant, vt in nauibus fieri solet, & dum sic proceditur, ruens paulatim in Notum Eurus, & hic in illum, turbarunt maris pacem. Nauclerus, nescio quo bruto, & scabro ingenio, insolescentibus indulgens, orantium pietatẽ, altis clamoribus interrupit: & hei (inquit) ô Galli, quid tantum mussatis? A quo teritis hæc Breuiaria, non cessauit ventus aduersari nobis, deponite verò, & cæteris conformamini. Irascebatur ad hanc insaniam Deagius, nisi Franciscus sedasset iusurgentis impetum: Non expedit (inquit) mi Magister, quidquam nunc respondere, parcendum est impolito homini, tranquillato mari dabitur aptior correctioni locus. Vbi depressa ventorum rabie, rediit etiam in sanam mentem nauta, Franciscus ad eum sereno vultu non dubitauit accedere: Et quid est (inquit) ô Gubernator, quòd tu modò morti proximus, iratis in nos elementis omnibus, cum improperiis blasphemiisque renunciabas Deo, & nos ab oratione auertisti, cùm debuisses ad implorandam Dei opem prouocare cunctos? Enimuero? (retulit nauta,) si ea, quam prædicas, patientia, nos alij miseri nauiculatores vteremur, sancti essemus omnes. At non hîc ridendum (dixit Salesius) non est tibi speranda salus nisi à Domino, & deinceps temperantiùs mitiúsque agendum est. Profecit hac correctione nauta, & Catholicæ feliciter Anchoram posuerunt. Visa autem Catholica, cùm Venetiam versus, ventorum & remigum impulsibus veherentur, essétque ad oræ conspectum, de quodam Bea-

Francisci mansuetudo, & prudentia.

ræ

tæ Virginis sacello, in quo liberi fluctibus nautæ, vota soluere consueuerant, curiosus sermo: Nauclerus, funes aliquot, calidâ satis manu pertractans, distracti, vi sermonis, Franciſci pileum, in mare deturbauit. Deagius, hoc viso, vt erat ad iræ principia prõptus, increpauit in vtrúmque. At Franciscus suam esse culpam professus, æquo animo, & amissionem pilei, & inuectiuam Deagij tulit, nummo (inquiens) quidquid mali erat, reparari posse, Deagius vero, penes quem suam pecuniam relinquebat, age iam (inquit) imprudentiæ tuæ pœnitentiam, & vt poteris, cranium tuum ab aëre defende. Extraxit è sacculo lecticariam Calanticam Franciscus & eâ caput operuit, sperans in Chiosæ vrbe, ad quam pransuri properabant, Deagium empturum sibi galerum, interim dum ad omnium cachinnos & scommata subridebat. Chiosa vt eos accepit, non intellexit ad Franciſci preces Deagius, sed longiori pœnitentiæ, mansuetum Doctorem condemnans, non solùm ad Venetos mercatores remisit, verùm etiam in hac ridicula maiestate, populo, qui stabat ad Comædiam, reddidit spectabilem, & sic regressus est Franciscus, ingressúsq; Venetiam, vbi empto pileo, ad ea mira, quibus hæc plena est ciuitas, videnda, moram aliquam fecit. Sociauerant se Francisco ad peregrinationem nonnulli Allobroges, equorum numero Camberiensis quidam, iuuenili lubricitate distractus, non erubuit lustrum ingredi: resciuit impium facinus Salesius, & verecundia deiectum scortatorem, acri obiurgatione castigauit, tum madentem, ob commissum peccatum, lachrymis, ad secũdam post naufragium tabulam impulit amplectendam. Vbique Angelicam spirabat vitam, & vbique plenus gratiâ, eximiæ virtutis signa, & prodigia faciebat. Vestierat se floribus terra, à quo Patauio Franciscus egressus, quamplures Italiæ Ciuitates, peregrinatione lustrarat, & auidissimè in patria expectabatur, cùm relicto rursus Patauio, vbi nõnulla agenda, Deagius reliquerat, per Veronam, Mantuam, Crémonam, Papiam, Mediolanum, & Vercellas, Augustam Taurinorum peruenit, Moxque superato Mõte Cinisio, & retrò relicta Centronũ valle, Tulliã fœliciter appulit. Non distulerũt vicini nobiles aliique, vel sanguine, vel amicitia fœderati, salutationis officium, vt nec ille, reuixerúntque charissimi nati præsentia Salesiani Dynastę Boësiacus & Syonasia. Voluebat illè magnos in animo ausus, & suæ senectutis baculum occulta dile-

Franciſci humilitas & patientia.

Franciscus in scortatorem acriter inuehit.

Franciſcus in Sabaudiam redux.

ctione colebat: iſta ſuauiſſimis ſui amoris delectabatur alloquiis, & vt ad verba vigorémq; luminũ rapiebatur, ſic cõuerſantis animũ, in extremas amoris teneritudines rapiebat. Boëſiacus poſtquã ſibi, & Syonnaſiæ ſatisfactũ putauit, Franciſcum, quẽ deinceps à nobili Clientelari prædio Villarogetium vocari voluit, in Aniciẽſem Ciuitatẽ, Claudij Granierij Epiſcopi Gebẽnenſis ſalutandi cauſa miſit. Villarogetius igitur Epiſcopales ædes ingreſſus, Reuerẽdiſſimi Senis togã oſculatus eſt, habitíſq; longis ſatis de rebus variis, Iuriſprudẽtia, Theologia, ac peregrinatione Italica ſermonibus, eximiã de nobili Iuuene exiſtimationẽ, ad id quaſi ipſamet naturâ cõmotus Granierius amplexatus eſt. Hora erat meridiana, & ad ſolemne pro quadam Paræciali Eccleſiâ obtinendá examen, quamplurium Sacerdotum fiebat concurſus. Granieriùs cùm præeſſe deberet concurſui, nec poſſet vlteriùs Villarogetij ſermonibus frui, rogauit eum, ſi fortè placeret intereſſe. Acceptauit ad honorem oblatam ab Antiſtite ſedem Villarogetius, & factus eſt auditor examinis. Accidit autem, Doctoris examinatoris cuiuſdam ſententiam, in controuerſiam ab aliis adduci: cúmque in longum intricaretur potius quæſtio quàm ſolueretur, Granierius ad Villarogetium conuerſus: Deuincires tibi (inquit) mi Domine, totum hunc conſeſſum, ſi quid circa rem hanc ſentias placeret declarare. Excuſauit ſe, quantum potuit, Villarogetius, cæcum eſſe ſe in iis dicens, & rudem nimis tyronem, vt coram tot Doctoribus celeberrimis, præcipuéque coram tanto præſule, loqui auderet, ſed vrgente Graniero, tandem paucis verbis & voluntariam animi deiectionem ſatis ſupérque teſtantibus, quid ſibi videretur, declarauit. Sanè, vt loquutus eſt, ſolutioni Doctores conſenſerunt, proiecítque cum admiratione in vnum illum nobilem, oculos, reliqua auditorum turba, nec enim doctus adeò putabatur, in rebus præſertim Theologicis, vir, adoleſcentiæ limites, vix prætergreſſus, ſæculari incedens habitu, & qui longè alia credebatur meditari. Abſoluto concurſu, cùm ad gradus recedentem, Granierius comitatus fuiſſet, redirétque in ſuum cubiculum, prophetico agitatus ſpiritu, dixit Franciſco Roniſio Doctori Theologo, & Eccleſiæ Cathedralis Canonico, Franciſco Fabro, & Natali Rogeotto ſuis famulis, aliíſque nonnullis. Quid arbitramini de Domino illo, quem vidiſtis? euadet in Illuſtriſſimum virum, & in hoc Epiſcopali

Franciſcus Granieriũ Gebennenſem Epiſcopum ſalutat.

Franciſcus intricatiſſimas Theologiæ difficultates diſſoluit.

Granierius Franciſcũ ſucceſſorem ſuum futurũ prædicit.

pali munere ſuccedet mihi. Creuit deinceps eximius hic erga Franciſcum tanti Præſulis affectus. At Boëſiacus longè alia cogitans,filium ſibi priuatim adhibuit, & Quandoquidem (inquit) fili mi, fratrum tuorum,qui multi ſunt, ortu maximus es, debes etiam illis eſſe adminiculum,& ideò,ad ea prætendere,quæ litterarum cognitio, tuis ſimilibus nunquam denegat. Repleuerunt domum noſtram maiores noſtri, ceris,trophæis,& ſtemmatibus, reditibus verò nonniſi ad mediocritatem:tu ſi vis vtraque inferre potes?Ego tibi meis opibus,quamuis tenuibus,nunquam deero, ſed cooperandum eſt mihi, ô Franciſce; Procurabo aliquando, & cùm expediet, aliquod te dignum munus: interim Mater tua,& ego,maturo capto cõſilio, neceſſarium iudicamus, vt Camberiũ proficiſcaris, ibíque in ſupremæ Curiæ Cauſidicorum album referri te cures. Paruit Patris voluntati Franciſcus,& aſſumpto ſecum Deagio,profectus eſt Camberium. Aderat tunc Senator Clariſſimus Antonius Faber Sebuſianus,purpuræ decus eximium, cui multa cum Saleſiis omnibus, Boëſiaco tamen inprimis, neceſſitudinis iura interceſſerant. Huic Villarogetium ſuum Boëſiacus litteris commendarat: Villarogetius igitur,ſalutato Fabro, rogauit vt inſcribendum Patronorum Catalogo nouum ſeruum dignaretur offerre ſenatui. Faber obſequiorum omnium fidem pollicitus,coacto Conſcriptorum Patrum concilio, primùm Franciſcum Pobello ſupremo Præſidi,tùm demùm Auguſto Cœtui obtulit. Senatus ad eruditionis probationem, Franciſcum Craſſum,virum doctiſſimum commiſit,qui ſolidiſſimis ad interrogata reſponſis auditis, digniſſimum eſſe Saleſium qui cauſas deinceps diceret, ſua ſententia cum encomio retulit: tunc Pobellus, collectis patrum votis, Franciſcum Saleſium, virum Nobilem & Iurium Doctorem, in collegarum ordinem referri iuſſit è ſolio.Saleſius autem, mox vt audiuit Oraculum,ſtriato pileolo amiculatus, actis humaniſſimè gratiis,elegantiſſimã habuit orationem,qua probauit:Iuſtitiam virtutum eſſe præclariſſimam, & ipſam omnem virtutem,mundi vinculum, famæ & commendationis perpetuæ fundamentum,rem inuictam,Cœlo ortam,Deo natam, & denique vt Cyptianus ait, populorum paeem, tutamen patriæ, immunitatem plebis, munimentum gentis, languorum curam,hominum gaudium,tẽperiem aëris, ſerenitatem maris,fæcunditatem terræ,ſolatium pauperum, hæredi-

Franciſcus Camberiũ proficiſcitur.

Franciſcus in Cauſidicorum album refertur.

Franciſci ad Senatores Camberienſes oratio.

tatem filiorum,& ipſis eam adminiſtrantibus, ſpem futuræ beatitudinis. Pobellus tantam cum ſplendore generis eruditionem & facundiam miratus, neminem, qui ſibi dignior videretur, à quo præſidis fulgebat honore recepiſſe, non ſemel profeſſus eſt. At amplius Antonius Faber inter ſpectandū audiēdúmque, neſcio quâ naturæ propenſione adeò ad amandū Saleſium inductus eſt, vt cum ipſo, amicitiæ fraternæ fœdus percuſſerit, & addita eſt huic actioni fama, Saleſium breui ad Senatoriam dignitatem aſcenſurum. Camberienſi negotio ſic cum laude liber Villarogetius,remeauit ad Patrem & dum iter facit Sonnafiámque ſyluam prætergreditur prodigio, à ſæculari ſorte, omninò abducitur. Equus, fallente veſtigio,ad humum inæqualem lapſus, inſidentem, innoxio tamen caſu, effudit in gramen, enſis quoque quo accingebatur, decidit, & euaginatus, cum vagina formauit in via crucem: Terruit eum tantillùm res hæc,non ita tamen, vt impediret magnam, qua pollebat animi libertatem: nam fortuitis huiuſmodi caſibus,non multum tribuebat, & eum nemo vnquam ſuperſtitionis damnare potuit, ſed prodigij cogitationem indiderunt,ſecundus,& tertius caſus,& eadem in vtriuſque crucis formatio: tunc ſtupenti etiam Deagio dixit: non vult Deus, hoc me vitæ genus amplecti, quod Pater intendit, & reuera, nullam ad illud procliuitatem habeo: ſubdidit, de Eccleſiaſtica vita diu iam cogitaſſe, perpendiſſéque ſuum Genium, & valde manſuetioris ſtatus, in quo faciliùs Deo poſſet obſequi,auidum eſſe, & niſi timeret in hac re optimi parentis turbare tranquillum animum, hoc idem illi aperire non dilaturum. Ambigebat an conſentiret,an diſſuaderet Deagius,hærebátque modò cogitabundus, modò ampliorem ſui diſcipuli voluntatis explicationem extrahere conabatur è pectore.His conſultationibus attentis, propior facta eſt Tullia, quàm putarent. Boëſiacus, auditis quæ Villarogetius ſuus Camberij geſſerat,exultauit; ſed nō morâ eius animam, per alienam maximè à ſuis votis propoſitionem multo mœrore repleuit. Ioannes Suchetius, Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis à ſanctiore Conſilio,Caballianæ Prouincię ſupremus Prætor, Dynaſta Vegiacus,è Lauſanenſi ciuitate olim oriundus, ex Philibertâ,Georgij Domini Langinij, & Ludouicæ Cuſinentinæ filia, legitimaque coniuge, formoſiſſimam & cui dotem ampliſſimam conſtituebat, filiam vnicam habebat Franciſcam,

Franciſcus eum Antonio Fabro amicitia fœdus percuſſit.

Franciſcus prodigio omnino à ſæculari vita abſtrahitur.

Franciſcus Deagio Eccleſiaſticum eſſe velle declarat.

illuſtri

illustri alicui viro collocandam. Cogitauit ad luculentam hanc conditionem, pro filio suo primogenito, Dynasta Salesius, réque cum amicis communicatâ, eum ad visendam puellam, genere & virtutibus verè nobilem, Sallãchiam Falcinatum, vbi tunc apud consanguineos morabatur, conduxit. Villarogetius, aliud habens in altâ mente repositum, vix ab itineris recusatione abstinuerat, dilatione tamen & tempore, Patrem, in suum desiderium trahere posse confisus, frigidissimo vultu conducentem est sequutus, nec Sallanchiæ quidquam præter simplex salutationis officium, quasi nullo consilio venisset, agere voluit: Quam rem Boësiacus, ægrè admodum tulit, nec temperare potuit, quin acriter Franciscum, suis (vt aiebat) quantumuis optimis cœptis cõtrarium, corriperet. At Franciscus, demissis in terram oculis, respondebat illi silentio. Postmodum sanè Boësiacus, amicorum aculeos quærens, omnésque recogitans modos, quibus ad ducendam vxorem, filium induceret, non semel luctuosam adhibuit lamentationem: sollicitari eum curabat ab omnibus, nec parcebat quibusuis sumptibus, & industriis: Dynasta Chiuronius Villetanus, necnon Perrucardius Ballonius, cum Antonio Fabro quamplurib́usque aliis, amicitiâ alioquin potentes, suam in eam rem, operam luserunt: non enim ad alias nuptias, quàm cælestes, Franciscus prætendebat, & natalium prerogatiuam flocci pendens, malebat suæ partem hæreditatis habere Dominum, quam diligere vanitatem & quærere mendacium. Hinc, cùm rediret secundò Sallanchiâ, Torentóque transiret, in vico deambulantem offendens Amedeum Bouuardum Sacerdotem Tullianum, cui, ob antiquam necessitudinem Lutetiæ contractam, fidebat maximè; Venio (inquit) Sallanchiâ quò me pater cum absoluta iussione miserat, & vidi puellam illam, cui me sponsum destinauit. Egregiam sanè, & in virtutibus planè compositam, dignámque quæ meâ conditione, meliorem sortiatur. Cæterùm, lætatus sum in his quæ adeò dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, hîc habitabo quoniam elegi eam; Pars mea Deus in æternum, & nunquam, quidquam volui, præter Ecclesiasticæ vitæ professionem. Dum hæc aguntur, Serenissimus Dux Carolus Emanuel, de Franciſci Salesij probitate, & eruditione certior factus, eum ad Senatoriam in suprema Curia dignitatem promouit, litteris patentibus in eam rem datis, quas Taurino, Franciscus Melchior Saniori-

Salesius Dynasta Franciscũ ad nuptias destinat.

Franciscus à Patre corripitur quod frigidè segerat in nuptiarum propositione.

Franciscus Bouuardo se Ecclesiasticum statum amplecti velle declarat.

Franciscũ Dux Sabaudiæ ad senatoriã purpuram promouet.

Saniorícianus, Hermantianus Baro, detulit. Nihilo tamen minùs immotus perstitit in sancto proposito Franciscus, actisque Duci gratiis, non diutiùs immorandum ratus, ad Ludouicum Salesium Patruelem suum charissimum, Cathedralis Ecclesiæ Gebennensis Canonicum accessit, seorsimque tracto, ingenuè quod voluebat in animo, detexit. Ludouicus ingenti cumulatus lætitia, rémque sub secreto habere pollicitus, Coronaberis (inquit) si perseueras, & confide mihi, ego cùm tempus venerit, suggeram quid agendum habeas, & Patruum meum, in piâ hanc voluntatem flectendi modum, satis inueniam. Clauserat diebus præteritis extremum diem, Franciscus Imperaror Cathedralis Ecclesiæ Præpositus, necnon Senator Sabaudus, eiúsque dignitas in Romana curia vacabat. Ludouicus Salesius, occasionem istam arripiens, Franciscum Ronisium, qui Romana negotia apprimè intelligebat, conuenit, rogauítque, Romam, pro patruele suo Francisco Salesio, scriberet, ad obtinendam Cathedralem Præposituram. Ronisius promptissimus fuit ad obsequium, & sic fauebat rei Deus, vt breui temporis spatio, de concessione, certissima nuntia Anicium venerint. Inscio tamen Francisco hebant hæc omnia: Cùm autem in Ronisij manus Pontificiæ litteræ incidissent, Ludouicus Salesius, ipso etiam Ronisio comitatus, Anicio profectus est Tulliam, ostensisque Francisco iis litteris, Ecce (inquit) modum & medium, quo possis id tandem adimplere, quod diu gestis. Somniare se putabat Franciscus: non enim de hac re quidquam cogitauerat, egit tamen gratias tanti fauoris patrueli coniunctissimo, cum quo, Ronisióque de modo, ad patrem accedendi, consultatione facta, his verbis ex improuiso aggressus est. Supplex ad te venio, mi pater, rem vnicam, eámque vltimam petiturus, quam si concedere placuerit, nihil vltra in votis habeo. Boësiacus, prærogatiuam aliquam, matrimonij ratione efflagitaturum arbitratus, Posses fortè (respondit) aliquid petere, quod tuis noceret fratribus, & ego vix concederem. Minimè verò mi Pater (retulit ille,) dic igitur (ait Boësiacus) vt permittas Ecclesiasticum statum amplecti; nec mora, & ecce (subdidit) Apostolicas litteras, quibus supremi Pontificis sanctitas, Illustris illius Cathedralis Ecclesiæ sancti Petri Gebennensis præpositurum, quæ prima post Episcopalem dignitas est, concedit: has Patruelis meus, & Dominus Ronisius, inscio me, mihi

Franciscus Ludouico patrueli suo Ecclesiastica se vita animum habere declarat.

Francisco iussio præpositura Ecclesia Gebennensis procuratus.

Francisci animum suum aperientis oratio ad Patrem

procura

procurarunt. Stupuit ad hęc verba Boëſiacus, ſtupuit & Syonnaſia (nam & ipſa quoque aderat) tum velut ab exſtaſi reuerſus. Quis hanc tibi mentem indidit, mi fili? Quo inductus fuiſti conſilio? Ego ſenectutis meæ baculum ſperabam te fore, & ſic repentè vis à me recedere? Vide quid agas? maturiori fors opus erit deliberatione: Caput habes ad auguſtiorem petaſum: Iuris ſtudiis tot annos inſumpſiſti; inutilis erit hæc tibi ſcientia ſub ſacerdotali togâ. fratres habes quibus deficiente me (vt quotidie euaneſco) pater eſſe debes: Crede mihi, electio talis vitæ, longiores poſtulat moras. Ego mi Pater, (obloquutus eſt Frāciſcus) vſq; ad extremum vitæ ſpiritum tibi inſeruiam, fratribus meis, omne obſequium ſpondeo: de reliquo, non eſt quod in hac re perpendenda diutiùs immorari debeam; nam ab ineunte ætate, procliuem ad ſacerdotium animum ſentiebam: iniecta eſt hæc mihi intentio, cùm me clericali caractere Reuerendiſſimus Balneoriegienſis Epiſcopus inſigniuit: Caſtitatem voui Lutetiæ: Confirmaui Patauij hanc voluntatem: inflammauit ad perſeuerantiam Lauretana ædes: prodigio, hunc mihi ſtatum, quo expeditior ſim ad baiulandam crucem, ſequendúmq; Chriſtum Dominum Deus ſignificauit: denique vt hanc rem vnicam mihi permittas, quâ poſſum ſummiſſione efflagito. His auditis, Boëſiacus, cohibere non potuit impetum lachrymarum, quantumuis forti & virili animo eum natura donaſſet, ſed exhauſto ex imo pectore ſuſpirio, Fac (inquit) authore Deo quod voles, difficile eſt contra ſtimulum recalcitrare: Deus optimus, quo te moueri dicis (& ex verbo tuo credo) benedictionem ſuam ſuper te effundat, ego ab illo, meam tibi impertior. Syonnaſia nequiuit diutius in præſentiarum ſpeciem vultus fingere, ſed auerſa acerbis fletibus corrupit oculorum lumen. At Franciſcus, incuruo genu, ſerenáque facie, datæ licentiæ gratias egit, & iam (dixit cum iubilo) ſit nomen Domini benedictum: diu concupitis fruor amoribus, & neminem ſcio qui me de manu Dei poſſit eruere. Curauit ſibi talarem tunicam confeſtim fieri, quâ amictus petiuit Anicium, diffusâ iam hac de mutatione, quam dexteræ Dei boni omnes dicebant, famâ, & coacto Cathedralium Canonicorum Collegio, quarto Idus Maij, Mercurij die, qui Aſcenſionis Dominicæ ſolemnitatem præcedit, cum litteris Apoſtolicis eo anno Nonis Martij obtentis, apud ſanctum Petrum, Pontificatus

Dynaſtæ Valeſii Boëſiaci mœſtitia & lachrymæ.

Franciſci in electione vitæ cōſtantia.

Franciſci iubilus Patre in ſuā ſententiam adducto.

ſanctiſſimi Domini Papæ Clementis VIII. octauo per Franciſcũ Chiſſæum Canonicum Officialémque Eccleſiæ & Epiſcopatus Gebennenſis ritè recognitis, comparuit. Sacer ille tot Nobilium & Doctorum conuentus, litterarum lectione factâ, & habitis Nobilitatis & doctrinæ probationibus, Franciſcum à Seniori Canonico, Ioanne Tiſſoto, in realem, actualem & corporalem (vt aiunt) Præpoſituræ per maioris altaris oſculum, & reliqua obſeruari ſolita, poſſeſſionem induxit. Accurrerat ad conſpectum vniuerſa ciuitas, cantantibus Muſicis: tunc Franciſcus in hemicyclo ſuo locatus, ſic orauit. Præteritis feſtis (Reuerendi Patres) cùm ipſa dierum ſolemnitas, animum ad ſui ipſius ſollicitudinem reuocaret, de reliquo mortalis huius vitæ tempore, Chriſtianè ac ſanctè tranſigendo cogitabundus, inter alia quæ mare iſtud nauiganti difficilia occurrebant, illud fuit omnium & grauitate, & vicinitate primum, Me Præpoſitum Eccleſiæ ſancti Petri Gebennenſis ex placito ſummi Pontificis fuiſſe renunciatum: Nouum enim, ac ſummoperè videbatur periculoſum, me rudem, inexpertum ac nullius antea notæ militem Chriſtianum, in ipſo tyrocinij limine, Præpoſiturâ donatum, vt antea ferè ſim Præpoſitus quàm poſitus, Præfectus quàm factus, & vt in magna indignitate, veluti carbunculus in cœno, magna dignitas illuceſcat. Quo loco, ſubibat illud Bernardi mellitiſſimi Claræuallẽſis Præpoſiti; Væ Iuueni qui antea ſit peritus quàm nouitius, illúdque ſimile, ſed maioris momenti, Dauidis Regis, Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris. quod licèt ex littera aliter intelligatur, ex ſpiritu tamen qui viuificat, ad eos qui quærunt antea præſidere quàm ſedere, traducendum relinquitur. Atque ſanè fructus præcoces & vernales non diu aſſeruari poſſunt quin putreſcant. Non immeritò ergo ea vrgebat mentem meam increpatio. Siccine, ô Franciſce, qui omnibus, meritis, ingenio ac moribus poſtponendus eras, Primoribus præponendum ducis? An neſcis honores, periculis ac oneribus eſſe, pleniſſimos? Hiſce vocibus, interius diu perterritus, Dauidicum illud voluebam, Deus audiui auditiones tuas & timui, cùm interim ea mihi hodie illuxit dies, in qua & terrori multum detrahit, & rectæ in Deum fiduciæ multum addit mihi, veſtra omnium (Venerandi Patres) tam iucunda, ac ſuauis præſentia, quæ me adeò reficit ac recreat, vt ſi terrorem

Franciſcus in præpoſituræ poſſeſſionem inducitur.

Franciſci ad Canonices Gebennenſes oratio.

terrorem iam antea perceptum, cum eâ voluptate quam sentio conferatis, Quid me magis afficiat, difficile sit ad iudicandum, vt in me etiam illud sentiam, Seruias Domino cum timore & exultes ei cum tremore: sic enim exultatio est ad lætitiam, timor autem ad anxietatem. Anxietatem faciebant, quæ iamiam desino recensere. At verò, nunc video, me trepidasse timore, vbi non erat timor: timendum enim erat illi Præposito, qui iis Præpositus est, qui difficile in officio contineri possunt; mihi autem, iis Præposito, qui eâ pollent modestiâ, fortitudine, prudentia, ac charitate, quæ in quolibet Prælato desiderari potest, vt eorum quilibet Præpositus esse mereatur. Quid in hac causa metuendum est? Quid enim me moretur infantia, imperitia, ac mentis imbecillitas, cum nec monitis, nec disciplinâ, nec correctione in hoc munere mihi futurum sit opus? Nisi quis velit quod dixerunt veteres, Mineruam docere, aut (vt more nostrorum dicam) sanctum Bernardum hortari, vel inter Chordigeros (vt iam sumus) conceptum tegere latinitate. Non opus est Præceptore cui nihil addiscendum est: facile flantibus ventis secundis gubernacula à quolibet Nauclero tenentur. Illud quidem satis aduerto, vos Præpositis doctissimis, grauissimis, fœliciſſimis hactenus assuetos, in tanta eius, quæ huius confessus prima est, dignitatis mutatione, ac declinatione, non posse quin aliquod sentiatis fastidium, illúdque animo subibit quod dixit quispiam. Quis nouus hic nostris succesſit sedibus hospes? Inclyta quis Petri tecta superbus adit? Meritò sanè (Patres) hæc omnia. Verum, & illud in solatium animo mecum repetatis, quæso: Deum eligere solitum infima huius mundi, vt confundat fortia, & ex ore plerumque infantium & lactentium perficere laudem suam, vt ei facilius accepta referantur bona, quæ ab eo cuncta procedunt. His dictis descendit de solio Salesius, plaudentibus omnibus, & deinceps optimam de se existimationem diffudit quaqua versum, vt verè Ecclesiasticorum gemma, & Gebennensis Ecclesiæ decus vocaretur. Sequēti quatuor temporū post Dominicā Pentecostes Sabbatho, cùm sacros generales Ordines in Diui Franciſci Basilica, Præsul Granierius celebraret, quarto Calendas Iunij, ad quatuor Minores, Ostiariatus, Lectoriatus, Exorciſtatus, & Acolytatus, ordines, sacrúmque Hypodiaconatus Franciſcus promotus est. Hinc cùm de eius fortitudine in annunciando Dei

Franciſcus Subdiaconatus ordinem ſuſcipit.

verbo ſpem magnam Granierius cõcepiſſet, iuſſit ad proximum Corporis Chriſti feſtum è ſublimi Cathedra Cõcionem habendam parare. Saleſius, tanto ſe oneri imparem ſentiens, nullas prętermiſit excuſationes, vt ab eo ſe defenderet, & ad ſummum Diaconi munus eſſe dixit, qualis cum nondum eſſet, nulla ratione Euangelium auderet prædicare ſolemniter. Granierius, non alia quàm ſua, ad id opus eſſe diſpenſatione, inquiens, abſoluto vſus eſt imperio, ad quod demiſſo capite Saleſius; Quandoquidem (inquit) ô Domine, tu iubes, & melior eſt obedientia quam victimæ, in verbo tuo laxabo rete, ſi tamen non vt par eſt ſatisfecero, tuo ſanè defectus hic imputabitur, imperio. Dũ, quid ad indictam diem dicendum habeat, meditatur, Aduenit Iacobus Foderæus Beſſanus Maurianenſis, inter Franciſcanos magni nominis Concionator, exiguum temporis ſpatium in vrbe acturus, quem cùm audire Granierius cuperet, nulla alia dies, quam quæ Saleſio indicta erat, poterat huic conuenire deſiderio. Conſenſit liberrimè ad mutationem Saleſius, at Foderæus, cum intellexiſſet, Dominum Præpoſitum, priorem habuiſſe iuſſionem, diu in remittendo hoc onere laborauit: ſed Saleſius, celeberrimo Doctori, & qui ciuitatem permanentem non habebat, abſolutè cedendum eſſe ratus, tantum renuit, vt paratam concionem, in feſti octauam diem, quæ die natiuitatis Diui Ioannis Baptiſtæ occurrebat, diſtuleret. Octaua igitur cùm illuxiſſet expectaretq; ſolitũ Concionis habendæ tempus, vbi primum Cãpanæ ſignum audiuit, ſubito pauore ſic eſt apprehẽſus, vt febris acceſſum ſenſerit violentũ adeò, vt ſuper cubile ſe proijcere ſit coactus. Hac in anxietate, leuauit oculos ſuos in mõtes vnde veniret auxilium ſibi, nec morâ, nimis à Domino cõfortatus, ſurrexit, & Diui Frãciſci tẽplo. (vbi Cathedralis Eccleſia ſua officia perſoluit,) nullibi vacuo, in ſublime pulpitũ eleuatus, aſsũpto, de realitate (vt aiunt) corporis Chriſti in Euchariſtia themate. Hęc eruditiſſimè elegãtiſſimęq; pertractauit. Summum bonũ ſummè ſui cõmunicatiuũ eſſe. Tres autẽ cõmunicationes præcipuas: primã, qua Pater cõmunicat ſe filio, & qua Pater & Filius cõmunicant ſe Spiritui ſancto. Secundam, qua Sacroſancta Trinitas Diuinam perſonam humanæ naturæ, cõmunicauit, Tertiam, qua Deus, non naturæ, ſed omni perſonæ humanæ, in Euchariſtiæ ſacramento, Filij ſui corpus communicat: Tres has communicationes ſic inuicem ligatas,

Franciſcũ Granierius ad habendam concionem ſollicitat.

Franciſci Foderæo cedentis humilitas.

Franciſci concio prima de ſacramẽto.

gatas esse, vt tertia non possit esse absque secunda, neque secunda sine tertia: Tertiam memoriam esse secundæ; & secundam primæ. Hinc Hæreticorum, circa tres has communicationes, errores refutauit, Sabellij, Arrij, Eutichis, & Samosateni, sed præcipuè circa tertiam, cuius causa, primam & secundam in medium producebat, hæreses Vbiquitarum, Sacramentariorum, & Caluinianorum, adductis in eam rem egregiis similitudinibus, Scripturæ locis, Patrum sententiis, & argumentis: & quandoquidem eorum vnusquisque præsumit sibi cœnam suam manducare, ideò vnum esurire, alium vero ebrium esse dixit. Iactis huiusmodi fundamentis, Vicinos Geneuenses ad bellum prouocauit, nullis aliis munitus armis, quàm verbo Domini quod in æternum manere ostendit, quibus sic dimicauit, vt coactis in omnes angulos aduersariis, eos demum ad vitæ petitionem compulerit. Confirmauit præterea validissimis rationibus Catholicorum fidem, & eos ad deuotionem erga tantum Sacramentum, frumentum electorum, vinum germinans virgines, cibum æternitatis, Angelorum panem, ex quo si quis manducauerit, viuet in æternum, adhortatus, tandem feruentissimâ oratione concluſit. Auditores, quos vt statuas videre erat, statim ac finem fecit, variis rumoribus commoueri cœperunt, eorúmque non pauci ad lætitiæ lachrymas prorumpentes simul laudibus abeuntem prosequebantur. Granierius ad pietatem tenet, copiosè fleuit, Et, hic filius meus est (inquit ad Proceres Canonicósque conuersus) Quid vobis videtur de filio? (Et eum sic deinceps appellauit) Numquid mira mirè dixit? Næ nouum habemus Apostolum: Potens ille est verbo & opere, & datus à Deo nobis, ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Continuò Dynastæ Boësiaco, flenti iterum præ teneritudine, gratulatus est, sed & alia circa Syonnasiam Francisci matrem agebantur à fœminis: nam hæ, quod Euangelica illa de turba, assumentes, Beatum aiebant ventrem, qui talem fructum portasset, & beata vbera, quę tantus filius suxisset. Adfuerunt huic concioni tres magni nominis Caluinianæ perfidiæ Hæretici, Antonius Sammichaëlius, Auulliaci Regulus, Bursinius, & alius quidam genere item nobilis, & Auulliacus quidem in errore suo huc vsque pertinacissimus, & qui in Controuersiarum campo assiduè dimicabat, tunc primùm moueri cœpit in animo, nec ita

Granierij præclara de Francisco sententia.

Auulliacus in prima Francisci cõcionẽ motus.

malè postea de Catholicorum fide sensit immò tantum in eo, cum Salesio conferendi, creuit desiderium, vt tandem abiuratis nefariis opinionibus, veritatem postea sit amplexus. Lucebat vbique pietatis splendore Salesius, & omnium animos in sui imitationem rapiebat, domi assiduus erat Doctrinæ hospes: eius modestiam in vrbe nemo superabat: in choro Dei laudes, velut è supremo beatorum spirituum ordine aliquis decantabat, visitandis ægris, conciliandis inimicis, patrandísque cœteris Christianę dilectionis operibus multum temporis insumebat, & in tantis principiis agnoscebant omnes veram ac synceram sanctitatem.

Franciscus fraternitatem sanctæ Crucis Anicij erigit.

Auxit tamen fidem hanc maximè sodalitatis sanctæ Crucis ab ipso facta erectio, quam propositis causis, & futuro toti non solum ciuitati, sed Prouinciæ, ad salutem emolumento, adhibitis etiam Canonicorum suorum votis, solide obfirmauit. Calendis igitur Septembris anni supra millesimum quingentesimi nonagesimi tertij, in solemni conuentu hanc illi formam dedit: Sanctæ crucis nomine vocari primùm voluit, quia (aiebat) sub salutifero crucis vexillo Catholica religio conseruatur, illudque ipse zizaniæ seminator antiquus humani generis hostis perhorrescit, & illo priscis temporibus, non modò beati Patres, pro repellendis tentationibus, sed etiam Imperatores, Reges & Principes, pro oppugnandis infidelibus, & debellandis hæreticis, non sine ingentibus victoriis & triumphis, vsi sunt. Nomine etiam Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, quia intemerata sacratissimáque illa Virgo Saluatoris nostri genitrix, absque originalis peccati labe concepta, iugiter orat pro populo, interuenit pro clero, intercedit pro deuoto fœmineo sexu, subuenit oppressis, hæreticorum & infidelium conatus reprimit, bonósque omnes à malis liberat. Nomine denique Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, glorioforum terræ Principum, quorum hic Doctor gentium, ille Christi Vicarius Ecclesiæ fundamentum, & cuius fides nunquam deficiet, quia ambo sanctam Romanam Ecclesiam, aliarum omnium Ecclesiarum verticem, ac magistram, propriâ morte illustrarunt, & illustris Ecclesiæ Gebennensis titulares patroni, ipsam ac illius ciuitatem, & diœcesim, illarúmque populos, in orthodoxæ fidei professione, ab omni hæresum labe innoxios custodierunt, ab ipso ferè nascentis Ecclesiæ exordio, vsque ad annum Domini millesimum quingẽtesimum trigesimum quintum,

Sodalitatis nomina. 1.

Secundum.

Tertium.

Erectionis causa.

tum, quo Satanas malorum omnium incentor, turbulentissimis hæresum motibus, ciuitatem ipsam, ac illius Diœcesis partem, expulso inde Antistite, Canonicis, toto clero, reliquisque veræ fidei cultoribus, Templis dirutis, imaginibus & ornamentis illorum spoliatis, sacris vasis ereptis, sparsis Sanctorum reliquiis & conculcatis, diuinis omnibus pollutis, ita diuersorum errorum contagione infecit, vt exinde ipsa ciuitas, bellorum alumna, proditionum inuentrix, homicidiorum nutrix, incendiorum & rapinarum sentina, sceleratissimorum totius Europæ azilus, omniúmque malorum quæ Galliam & Sabaudiam vexauerunt, origo, non immeritò censeatur Quocirca (inquiebat Piissimus Franciscus) sperandum est, si inuocato hoc crucis signo, & imploratis beatæ Virginis ac sanctorum Apostolorum suffragiis, ad misericordem Deum, qui pœnitentibus pius est & pacificus, cum cordis compunctione, gemitu, orationibus, ieiuniis, frequenti peccatorum confessione, Eucharistiæ sumptione, aliísque verè Christianis officiis conuertamur, ipse qui (etsi clementissimus) vult rogari, vult cogi, vult quadam importunitate & assiduâ deprecatione vinci, nos ab omni hæreticorum vexatione, militum incursionibus, & deprædationibus, fame, qua premimur, morbis, quibus vexamur, bellis, quibus vrgemur, ac aliis periculis, quæ iam præ foribus sunt, eripiet & liberabit: ac extinctis ab ipsa ciuitate, publicis sui ipsiusmet Dei, naturæ humanæ & hominum hostibus, inibi sacram religionem Catholicam reuiuiscere faciet, nósque pristinis sedibus & propriæ Ecclesiæ, (à quibus expulsi, in hac Anicienſi vrbe, ampliùs quàm per quinquaginta annos, quasi aduenæ & peregrini in mendicata Ecclesia resedimus) restituet. Cúmque assidua plurimorum oratio ipsi Deo existat gratissima, ipsiúsque implorandi auxilij præcipua ratio sit, si plurimorum fidelium, simul, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatorum (in quorum medio se adfuturum promisit, animi, in vnum, cooperante Spiritu sancto, piè consentiant, ad instar aliarum Prouinciarum, & ciuitatum, quæ in similibus necessitatibus & periculis constitutæ, per erectiones diuersarum, sub diuersis tamen piis & sacris nominibus, & inuocationibus, societatum, non modicam consolationem, & leuamen receperunt. Idcircò Franciscus Salesius Ecclesiæ Gebennensis Præpositus, cum suis Canonicis, ad maiorem Dei gloriam,

Sodalitas ad quæ & quot altaria erecta.

riam, totiúſque cœleſtis curiæ decus, ſaluberrimam hanc pœnitentium vtriuſque ſexus, ſocietatem, ad altare ſanctæ Crucis in Gebennenſi Eccleſia ſitum, & ad altare ſancti Germani, in Eccleſia ſancti Franciſci Anicij pro tempore, de conſenſu & authoritate Reuerendiſſimi Patris Claudij Granierij Epiſcopi & Principis Gebennenſis, ac ſub placito ſupremi Pontificis, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſub his ſtatutis & ordinationibus, perpetuò erexit & inſtituit. Quia tam pro diuinis officiis ſodalitatis celebrandis & decantandis, aliiſque piis operibus exercendis, quàm pro ipſius negotiis tractandis, aliquis locus peculiaris omnino liber, extra Eccleſiam, in qua altare erectionis ſitum eſt, vt vbique fieri conſueuit, neceſſarius eſt, Eccleſiáque ſancti Ioannis Baptiſtæ Præceptoriæ (vt aiunt) Gebenneſij, Hoſpitalis Hieroſolymitani, in loco publico Vrbis Anicienſis ſita, propter miniſtrorum eiuſdem defectum, ac temporis iniuriam non multùm frequentatur, ſperandum tamen eſt, incolas (qui aliunde religioſiſſimi fidem Catholicam verbo & opere piè profitentur) ipſam ſancti Ioannis Eccleſiam feruentiùs poſthac viſitaturos, ſi in eadem Miſſæ, aliáque diuina officia frequentiùs decantentur, & peragantur, ac preces publicæ & pię exhortationes, ſeu conciones, ſæpiùs fiant; idcircò de conſenſu Dioniſij Sacconæi Cletarum Baronis, necnon Procuratoris generalis fratris ſui Petri Saccoņi, Equitis Hieroſolymitani, Magni Prioris Aruerniæ, ac Præceptoris Gebenneſiani, Sodalitatis oratorium, dum Gebennenſes Canonici Anicij reſidebunt, in ipſa ſancti Ioannis Eccleſia conſtitutum eſt. Si verò euentu aliquo, Cathedralem Eccleſiam in alium locum quàm ciuitatem Gebennenſem transferri poſteà contingat, ſodalitas, vti eidem Cathedrali Eccleſiæ perpetuò & indiſſolubiliter vnita, & incorporata, cum omnibus ſuis inſignibus, vaſis ſacris, ornamentis, & libris in eundem locum transferatur, cuius tamen aliquod membrum ab eadem ſodalitate perpetuò dependens, ſi ita expedire videbitur remanere poſſit. Speciales & perpetuæ feſtiuitates erunt: Exaltatio ſanctæ Crucis, Conceptio beatæ Mariæ Virginis, Inuentio eiuſdem ſanctę Crucis, & natalis dies ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ vt ſolemniùs celebrentur ſacroſanctum & tremendum Euchariſtiæ Sacramentum qualibet earumdem die ſuper oratorij altare publicè & honorificè collocabitur, & per totam diem integram

Ecleſia sã. cti Ioannis oratorium ſodalitatis.

Sodalitas collegio cathedraliũ Canonicorũ vnita.

Sodalitatis feſtiuitates.

reuerenter

reuerenter (vt decet) asseruabitur, id quoque dominica secunda cuiuslibet mensis exceptis Septembri, Decembri, Maio, & Iunio, propter festiuitates solemnes occurrentes, fiet. Singulis autem illis diebus , duo ex fratribus, per Priorem & illius assessores alternis horis respectiuè constituendi, ante ipsum altare , genibus flexis, in habitu , horam integram sacris precibus, & diuinis meditationibus, singulariter, & iuxta propriam cuiuslibet deuotionem, pro sanctissimo Domino nostro Papa, necnon pro omnibus Ecclesiæ Prælatis, vniuersóque Clero, ac Reipublicę Christianæ tranquillitate, fidei Catholicæ tutela , pace & concordia inter Principes & populos Christianos, conseruatione etiam , ac ampliatione sodalitatis, & in dies ampliori spiritualium fructuum productione , transigere debebunt vsque ad vesperam , & tunc Sacramentum facta prius solemni benedictione , in ordinarium locum referetur. Iisdem festiuis diebus , ac feria quinta in cœna Domini , processiones publicæ , modo & forma secundùm loci commoditatem , & opportunitatem temporis, fient , in quibus, omnes & singuli vtriusque sexus sodales , in habitu interesse , ac bini, piè, grauiter & pedetentim, cum silentio , incedere, precésque tunc indictas distinctè decantare, qui scient ; alij vero, rosarium beatæ Mariæ Virginis secretò recitare debebunt , quapropter omnes ad horam conueniant in oratorium in quo processiones incipient, illucque reuertentur , & in iis vnus adhoc constitutus, crucem magnam, medius inter alios duos, cereos, vel faces accensas gestantes , deferat. Sodales festiuis quatuor diebus, necnon qualibet Dominica secunda mensis, Presbyteri scilicet, sacrum Missæ sacrificium in Oratorio (si fieri possit) sin minus in alia Ecclesia ; Reliqui verò laïci vtriusque sexus , præuia diligenti peccatorum confessione vbi placuerit facta, Sacramentum Corporis & Sanguinis Dominici , in eodem Oratorio sumant. Cuilibet tamen legitimè impedito liceat alia die opportuniori , huic statuto satisfacere, dummodo priùs , impedimentum Priori, qui prouidebit significauerit. Id etiam ad absentes extendatur, dummodo quolibet mense communicent. Vna Missa qualibet die Dominica , in Oratorio , per vnum Presbyterum sodalem, à Priore constituendum, perpetuò celebretur & sodales cæteri (si id fieri potest) intersint, ipsúmque celebrantem suis orationibus iuuent. Omnes & singuli , diebus singulis, ad recitationem quinquies Orationis Dominicæ , & totidem , salutationis

Sodalitatis processiones publicæ.

Cõmunio.

Obligatio quotidiana.

Angelicæ, genibus flexis, & detecto capite, perpetuò astricti erũt & tenebuntur, eâ ad Deum intentione quæ ad lucrandas indulgentias requiritur. Vt ritus antiquus salutationis Angelicæ, genibus flexis, & detecto capite, quando in Aurora, meridie, & occasu Solis, ex antiqua vniuersalis Ecclesiæ traditione pulsatur, religiosè seruetur, ideò salutatio illa Angelica, ter ab vniuersis sodalibus, quotidie, vtroque genu flexo, & detecto capite, recitabitur, vbicunque (etiamsi in viis publicis vel plateis constiterint) quoties in maiori Ecclesia pulsabitur, vt præter indulgentias eam sic recitantibus à summis Pontificibus concessas, ex hoc humili obsequio beatæ Virgini præstito, ipsius meritis & intercessione, à morbis, peste, tempestatibus, grandinibus, aliisque aëris corruptionibus & perturbationibus, Prouinciæ totius Sabaudiæ liberentur. Sodales dum obuiam habebunt sacrum Viaticum, quod ad infirmos defertur, illud, nisi aliis vrgentissimis præpediti fuerint negotiis, piè cum precibus, & mentis intentione ad Deum, pro ipsius infirmi sanitate, sequi debebunt, & tenebuntur: item ipsos infirmos, & incarceratos quantò citiùs visitare, & consolari. Vbi primum aliqua lis, seu discordia inter sodales quantũuis minima, ex quauis causâ prodierit, statim de iis Prior certior fieri debebit, vt ipse deinde cum assessoribus, per seipsum, aut alios, subitò, & antequam alterius accendantur, componere studeat, reliqui interim, pro huiusmodi ineundâ concordiâ, peculiares ad Deum preces effundere tenebuntur. Vbi primùm alicuius sodalis cuiusuis sexus obitus Priori innotuerit; vexillum Crucis, nigro panno paratum, in oratorij foribus apponatur, vnà cum designatione inscriptis, horæ, & nominis Ecclesię, in qua sepelietur, vt reliqui fratres (si aliunde necessariò occupati non fuerint) defuncti corpus, ad sepulturæ locum, cum precibus associare teneantur & debeant, & adhoc tam pium opus obligabuntur: crastinâ verò die obitus, Missa in Oratorio, pro salute animæ, & à Purgatorij pœnis liberatione, celebrabitur. Præterea, vt quotannis aliqua defunctorum sodalium memoria in communi habeatur, die proximiori festo Exaltationis sanctæ Crucis non impeditâ, Anniuersarium generale fieri debebit in Oratorio, in quo omnes in habitu aderunt, Missam, quam Prior celebrabit (si sit Sacerdos) aliásque preces quæ decantabuntur audituri. Ad instar aliarum sodalitatum, maximè verò Archisodalitatis sanctissimi

Vt salutãda Virgo.

Vt comitandum S. Sacramentum.

Vt componenda discordia.

Vt sepeliẽdi mortui.

simi Crucifixi, in Ecclesiâ Sancti Marcelli, ordinis fratrum Seruorum, in alma vrbe ab antiquo erectæ, habitus huius erit, saccus telę nigræ canapis, totum corpus à collo vsque ad talos contegens, simplex, sine sciſſura, serico, ornamento, aut aliquo labore, vnà cum capitio eiusdem telæ & coloris caput & faciem velante præterea cingulum ex filo canapis, mediocris crassitudinis, nodosum, ad instar illius quod Franciscani sodales ferunt, ac rosarium, non tamē pretiosum, ex eodem cingulo pendens, qui habitus, cuilibet sodalitatem ingredienti, sub præscriptâ forma, à Priore imponatur, & ad illius delationem, omnes viri cuiuscumque conditionis extiterint, in oratorio, processionibus, aliisque publicis actibus, cùm sodalitas conuocabitur teneantur, & obligati sint; Mulieres tamen, super vestem candidam, ad solam cinguli & rosarij delationem respectiuè astrictæ erunt. Sodalitatem autem ingredi licebit (præter Ecclesiæ Cathedralis Canonicos) omnibus & singulis vtriusque sexus personis, Catholicis tamen, ac bonæ famæ, emissâ prius fidei professione, & seruatis cæteris de ritu seruandis. Sodalium nomina, & cognomina, ac eorum conditiones cum designatione diei receptionis, & pecuniæ spontè oblatæ, per Secretarium in libro ad hoc solùm destinato describantur. Officiales sodalitatis singulis annis, die proximiori Calendis Septembris non impeditâ, in generali Congregatione mutabuntur. Prior vocabitur primus & præcipuus Officialis, & quodammodo caput, qui (vt fundatorum memoria non pereat) semper assumetur ex Canonicis Ecclesiæ Cathedralis. Is prior solus ex Sodalibus, in Oratorio, processionibus, congregationibus, aliisque publicis actibus, supparum deferat, & ibidem præeminentiam habeat; Officia diuina inchoet; preces & orationes publicas recitet; vltimus in processionibus, sic indutus, medius inter duos assessores sodalitatis habitum deferentes incedat: In oratorio, populo cum Sacramento benedicat: Eos qui missas ordinarias extraordinariásque celebrabunt annotet: Directores processionum & Cantores eligat: Visitatores infirmorum & incarceratorum, ac discordiarum compositores constituat: Sodalitatem ingredi volentes recipiat: pacem inter dissidentes conciliet, & lites componat: Congregationes extraordinarias conuocet: in omnibus congregationibus præsideat, ac in eis vota exquirat, vocésque duas habeat, & cui

Sodalitatis habitus.

Quibus ingredi liceat.

Catalogus.

Aministrationum creatio.

Prior.

omnes cuiuscumque status & conditionis extiterint, in his quæ ad societatem spectant, honorem, reuerentiam & obedientiam deferre & exhibere teneantur; iustitiam diliget & faciet iudicium, poteritque (existente causâ legitimâ) alium Canonicum qui Subprior vocabitur sui loco constituere. Prioris Assessores ei in omnibus necessariis assistant, in habitu tamen sodalitatis, & in processionibus vnusquisque eorum peregrinationis baculum deferat & incedant; primus à dextris, alter à sinistris Prioris. Thesaurarius pecunias, quæ in sodalium receptione dabuntur, alias etiam quæ offerentur recipiat: legata exigat: necessaria tam ad Diuinum cultum, quàm pauperum & infirmorum leuamen ac temporalium administrationem (de mandato tamen Prioris, eius propria manu subscripto, & non aliàs) ministret: déque omnibus exactis, receptis, & insumptis in fine anni rationem reddat, Secretarius, acta scribat, & alia quæ ad huiusmodi munus pertinere dignoscuntur exequatur. Duodecim præterea sint Consiliarij, partim Clerici, partim laici, inter quos Prior, Assessores, Thesaurarius & Secretarius prioris anni assumantur. Si fortè in congregationibus res aliquæ ita arduæ aut dubiæ eueniant, vt facilè diffiniri non possint, ad Canonicorum Conuentum referantur, & quidquid ibi ordinatum fuerit omninò obseruetur. Præcipua sunt hæc Erectionis capita, quam sic tandem clausit Fundator prudentissimus, vocatis testibus Ioanne Chopello, Michaële Seruano, Iacobo Cappa, Sacerdotibus, & Ioanne Guichone Libellione publico. Subscripsitque Præpositi authoritate, adhibitis secũ, Ioanne Tissoto Protonotario Apostolico, Ioanne Copperio, Ludouico Reydeto, Ludouico Salesio, Frãcisco Chissæo, Frãcisco Ronisio, Iacobo Ballo, Ioanne Porterio, Stephano Cõbano, Iano Regardio, Iacobo Bruneto, Ioãne Elosiano, Carolo Aloysio Perneto, Carolo Grosseto, Antonio Bochuto, Claudio Angeuillano, Eustachio Mugnierio & Ioanne Deagio, Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, reliquis vndecim absentibus, curauítque huius rei solemnem authoritatem à Ludouico Palludano publico authoritate Apostolica Libellione recipi: & Antistitis Confirmatione approbationéque muniri. Inchoauit vero sodalitas officia sua, die festo exaltationis Sanctæ Crucis mensis eiusdem sub musicis cantibus, & Episcopi benedictione, iubilante vniuersa Ciuitate. Quantum deinceps Sabaudiæ, ex hac erectione,

Assessores.

Quæstor.

A secretis

Consiliarij.

Erectionis testes.

Sodalitas quando inceperit.

Franciscus Institutor & Prior sodalitatis.

ne,emerserit emolumenti, vix dici potest, & Salesius quidem vt Fundator, ita Prior fuit primus, vbique mirabilis. Posthæc, Sabbatho quatuor temporum Septembris, ad Diaconatus ordinem promotus est,& in Aduentu,post tertiam Dominicam Sacerdos effectus.Collachrymatus est Granierius dum ei manus imponeret, filio suo charissimo, sed Franciscus, præ tantæ dignitatis, ad quam euehebatur consideratione,delapso in terram alicui cæliti simillimus videbatur , tandémque duodecimo Calendas Ianuarij , Diui Thomæ Apostoli festo , in Ecclesia Cathedrali, præsentibus, non sine gaudio Parentibus,& assistente Stephano Combano,à quo cerimoniarum vsum didicerat,ptimum sacrificium solemniter obtulit Deo , habuítque post diei Vesperarum officiumhac de re feruentissimam Concionem.

Franciscus ad diaconatum promouetur.

Franciscus fit sacerdos & celebrat.

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI.

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER SECVNDVS.

QVAM præ Sacerdotali fastigio dignitates cæteras sæcularium Salesius parui faceret ex constanti Senatoriæ recusatione satis ostendit & hoc ipso etiam tempore à quo & præposituram & sacerdotium possidebat. Prouocabatur nẽpe ad id à Gentilibus suis; sed omnium instar erat Antonius Faber amicitia apud illum potentissimus qui callida agendi ratione sic semel eum decipere conabatur. Ais velle te à Theologia impetrare facultatem ad Iurisprudentiæ sacra quæ superiore biennio intermisisti quodam postliminij iure repetenda. Quo nomine non solùm mirabiliter gaudeo,sed etiam si tua causa id facis,vt facere debes , &

Franciscũ constanter senatoriã purpuram recusat.

Franciscũ Faber ad dignitatẽ senatoriam inuitat.

tibi & Iuriſprudentiæ gratulor tibi cui ampliſſimam gloriæ meſſem ex eo conſilio paratam eſſe proſpicio: Iuriſprudentiæ, quam mira ingenij tui fœlicitate ornatam maximè & illuſtratam iri confido, ſi quod facturum te non dubito, ad eam ſic voles incumbere vt quæ te prior diſciplinæ ſuæ alumnum habuit eius laudem cum tuâ putes eſſe coniunctam. Sin vt ais, & ego vt mihi magis placeam credere volo, meâ potius causâ, & quoniam ita ſuadeo idipſum facere voles, equidem perinde gratulabor Iuriſprudentiæ, cùm iam ſic affectus eſſe debeam, vt in eo quod meâ causâ facies non minorem quàm ſi tuâ, diligentiam & induſtriam collaturum te perſuaſum habeã: ſed mihi potiſſimùm cui tam præclara iſta támque facilis obtigerit bene de Iuriſprudentia merendi occaſio, vel hoc ſolo quòd te induxerim vti de eâ benè merereris. Vtcũque verò ſit eſt quòd quãtas poſſum tibi referam gratias, qui meis ſiue precibus ſiue conſiliis tantum indulgere te profitearis vt ſtudiorum tuorum legem ex arbitrio meo non ſolùm inſtituere, quod eſſet facilius, ſed etiam inſtitutam & compoſitam immutare non recuſes. Ego certè ad ſancta mutuæ neceſſitudinis noſtræ fœdera conſtringenda adeò pertinere arbitror vti ſtudiis iiſdem exerceamur vt ni tu mihi hac parte prior conceſſiſſes, fuerim fortaſſis, dum per Senatum & vxorem licuiſſet Theologiam pro Iuriſprudentia ſequuturus. Sed extra iocum, placere tibi inprimis Theologiam nec miror nec doleo. Eſt enim propria illa & peculiaris illorum ſcientia quos Deus Opt. Max. non tam ad ampliſſimas quáſque Eccleſiæ dignitates quas iam tibi ſua ſponte obuias video, quàm ad pietatem informauerit, cuius te grauiſſimum, & ſanctiſſimum non nomen ſed numen præcipuo cultu habere certò ſcio. Atque vtinam eadem mihi quæ tibi in eam rem opportunitas adeſſet, non voluntas, mihi crede, abeſſet non animus. Neque tamen deſpero quin ſi quando vnà nos viuere, & ſecuriore plenioréque otio frui Deus volet, & exemplo & auxilio tuo Theologiæ quoque deguſtandæ deſiderium non paruum ſubeat, quo iampridem titillari me ſentio, in eáque vt in Domino mori diſcam, qui Chriſtianæ vitæ ſcopus eſſe debet, tandem aliquando conſeneſcam. At cum neque Spartam quæ mihi diuinitùs data eſt deſerere vltrò debeam, neque à meipſo tanto abeſſe interuallo, vt qui vel ſoli Iuriſprudentiæ imparem me video, Theologiæ etiam amplecten

plectendæ temerarios spiritus sumere velim, planè conueniens est ea mihi interim studia præcipuè & in amoribus & curæ esse, sine quibus nec officij mei, nec dignitatis ratio satis recta constare possit. Tu vero longè beatior, qui in ista potissimùm ætate, quę vt ais, restitutionis beneficium admittere adhuc posset, iam consecutus sis, vt & vtrámque scientiam & tuâ & vtriusque dignitate capessere possis, si voles, & velle debeas, quia potes. At hîc videor mihi videre hæsitantem te, quænam illa conditio sit quam admisi, si vnà nos viuere Deus volet. An fortassis quòd euenturum sperem, vt in sanctissimo illo vestro Collegio Canonicatum breui ambiam, & liberalitate vestrâ, tuáque præsertim authoritate adipiscar? sed à dilectissima coniuge priùs impetrauerim vt mortem optet & oppetat quàm vt id patiatur. Quid ergo? Ad nostrum ego te, ad nostrum inquam, vereor enim ne non exaudieris, Collegium voco, & quanta possum contentione hortor vt Senatoriam dignitatem non iam ambias, sed summis meritis tuis tam honorificè nouóque exemplo oblatam alacriter suscipias præsentémque vrgeas occasionem, non quòd verendum sit, si te respicis, ne inuitum te vnquam effugiat, sed vt tantò longiores dulcioréque dignitatis tuæ fructus percipias, cuius nec minima pars illa futura sit quòd in tanta rerum omnium perturbatione, támque perdita temporum conditione, tàm citò veréque dignus habitus sis qui ad eam promouereris. Quid verò esse potest quod te remorari aut ad cunctandum mouere debeat? Annon & Episcopos & Abbates habemus? &, vt de re iudicata præscribam, ne dubitationi locus relinquatur, nonne ipsum quoque Ecclesię vestræ Præpositum decessorem tuum, virum Clarissimum mihíque præ cæteris omnibus nescio quo bono fato familiarissimum eumdémque Imperatorem & Theologiæ deditissimum Senatorem habuimus. An non & Sacerdotes sumus, & sacrosancta Diuinarum & humanarum rerum mysteria tractamus? An non denique & breuiariũ, (si inter seria iocari me pateris,) quoties in secreto auditorio lites ex breuiario recitamus? Quid autem vel tibi glorioſius, vel ampliſſimo Ordini honorificentius vel denique bonis omnibus optatiùs, quàm inter eos te sedere quorum dignitas tibi communis, & illustriorem tuam reddere, & ex tua accessione illustrior ipsa fieri possit? At reuocaret te inquies, ea functio ab institutæ vitæ studiorúmque ratione. Imò admoneret potius

potius,quanquam admonitione nulla eges,vti teipſum & tibi & nobis ſemper ad imitandum proponeres, & quibus ſtudiis eam tibi pietatis & ſcientiæ famam comparaſſes, quæ tantæ dignitatis materiam peperiſſet,ea perpetuò ſectareris:nec erit tibi difficilius à Principe & Senatu quàm ab ipsâ Iuriſprudentia impetrare vt & potiores & quantas voles Theologiæ horas largiare. A me etiam, quem in eo pertinaciorem contradictorem vereri deberes,idipſum te facilè impetraturum recipio, quippe qui nimis fœliciter & cum Iuriſprudentia & mecum actum putabo,ſi te aliquando Senatorem, & vt voluntatis ita dignitatis communione fratrem dicere potero. Et verò ſi tantum mihi tribuis, vt quia ſic volo Iuriſprudentiam cui repudium mittere cogitabas in gratiam recipere paratus ſis,quidni ea quoque tibi perſuaderi patiare quæ ſunt prorſus conſequentia, & tibi longè magnificentiora, mihi iucundiora, ipſi quoque Reipublicæ cuius præcipuam rationem ſemper haberi æquum eſt,vtiliora? Non te hortor ad vanam illam gloriam, quam à te tantum abeſſe ſcio quantum à Chriſtiano pióque viro ad veram gloriam nato abeſſe debeat, quæque etiamſi ex hominum exiſtimatione aucupanda eſſet,ſequi tamen non appeti deberet,ſed hoc vnum contendo, nihil eſſe quod tu,vel tuâ,vel meâ,vel denique publicæ vtilitatis causâ libentius concedere & præſtare debeas: quo magis mihi ſperandum eſt,non commiſſurum te vti minorem dignitatis tuę quam voluntatis rationem habuiſſe videaris. His Fabri ſuaſionibus ſuas coniunxit Claudius Guichardus Arandati Dominus Duci ab intimis cõſiliis libellíſque ſupplicibus variis in eam rem ſcriptis epiſtolis. At Franciſcus ſua ſorte contentus huic & illi, duobus Dominis neminem ſeruire poſſe reſpondebat; Imparem eſſe tantis oneribus, nimis diſtare vel Anicio, vel Geneuâ, Camberium: doctioris & in reipublicæ commodum vtilioris ſedem occupaturum cum ſcrupulo: non eſſe miſcenda ſacra profanis, & quamquam ſacroſancta ſit Iuriſprudentia tamen in profanarum plerúmque rerum diſcuſſione occupatam eſſe: neminem militantem Deo implicare ſe debere negotiis ſæcularibus. A litibus & controuerſiis alieniſſimum habere Geniũ: ſacris potius deinceps populo habendis concionibus incumbendum: animarum commiſſam ſibi eſſe curam non corporum: intentum pluribus ſenſum ad ſingula minorem eſſe: denique tacitis quamplurimis

Guichardus Fabrũ imitatur

Franciſci reſponſiones ſolidæ.

plurimis rationibus ab hac sæculari viuendi nonnulla methodo cum Ecclesiastico statu auerti; Senatorias idcircò obtentas à Duce litteras in Archiuum dumtaxat esse reponendas. In tantâ animi demissione ignorare se aiebat Boësiacus quid filius suus haberet in animo. Franciscus tamen argumenta omnia, quæ status vocant, flocci pendens in vnam Dei gloriam animum conuertebat, assiduis concionibus reficiebat fidelium pietatem, sacrum Missæ sacrificium pro se & populorum necessitatibus supremæ Triadi suscipiendum offerebat & ad omnia suæ dignitatis & officij munera animo promptissimo ferebatur. Ad audiendas pœnitentium confessiones peculiarem etiam ab Antistite iussionem habens in Cathedrali Ecclesia non procul ab ostio tribunale erexit, vbi ab Aurora ad meridiem aliquando, magnâ vtriusque sexus fidelium coronâ circumdatus permanebat nullâ personarum habitâ ratione admittebat omnes cuiuscũque conditionis homines, iuuenes & senes, diuites & pauperes; nobiles & rusticos, sanos & ægros, debiles & fortes, immò circa infirmos ignobiles & indoctos occupari suas esse delicias inquiebat. Pauperibus præ contritionis magnitudine amarè flentibus, ad absoluendas muco nares extergẽdásque lacrymas proprium suum strophiolum non semel commodauit. Mulier erat in ciuitate cæca quam cùm solam in incertum porrectis manibus videret venientem è tribunali descendens eam ipsemet ad cubitale fulcum conducebat aiebátque sæpenumerò se mulieris huius conscientiam tantùm amare vt similem sibi cum cæcitate peroptaret. Erat & vir quidam adeò claudus vt paralyticus potius audiret. Hunc Franciscus confiteri cupientem propriis manibus subleuabat quoque poterat modo ad debitam Sacramento reuerentiam compositum cum ineffabili patientia audiebat. Sed & faciebat alia nam pudibundis egenis accedentibus, postquam peccata planxissent amplas in abscondito pecuniarum stipes erogabat, ferebátque idcircò distinctos in perâ sacculos quos secundùm pœnitentium suorum indigentiam & conditionem distribueret. In tantis Christianæ charitatis exercitiis Francisci integritati insidias posuit callidus Satanas; Insano eius amore, impudicæ cuiusdam fœminæ turbauit mentem, quæ cum nullâ faciliori viâ suam detegere concupiscentiam posset, composito ad pietatem vultu, ad eum in iudiciario hoc solio Christi vices ge-

Franciscus ad audiẽdas confessiones tribunale erigit.

Francisci mira erga pœnitentes charitas.

Franciscus pœnitentibus pudibũdis amplas stipes erogat.

Impudica cuiusdam fœminæ erga rancisum temeritas & insania.

rentem non dubitauit accedere, ambiguâ prefatione habitâ tandem ſe tentari & vri dixit, tum ſubdidit, & quidem mi amatiſſime Domine, tui amore cremor, deficio, morior, atque vtinam tu, reciprocis mei miſerereris affectibus. Franciſcus vel poſſeſſam vel obſeſſam à dæmone non ignorans, repetitis crucis ſignis tacita voce exorciſmorum fulmen exeruit, omnibúſque quos in promptu habere potuit modis, miſeram fœminam, in ſanam reducere mentem, & ad pœnitentiam conatus eſt, adhibitis in eam rem terribilium Dei iudiciorum, & æternæ gehennæ minis. At illa detectam ſe & ſpretam videns, dirâ correpta rabie; ô fętidum virum exclamauit: ô illepidum & inſulſum hominem: Franciſcus verò ne tantillum quidem tot opprobriis motus; Immò tu, ô miſera, fœtida es quamdiu ab hac inſaniâ non ceſſabis, corrupta es & olidiſſima quamdiu peccabis, ſed conuertere ad Dominum Deum tuum. Hei mihi quàm digna es miſeratione! Auulſa eſt ab accurrentibus & eiecta ſubitò fœda & impura mulier, & omni deinceps ſuffuſa pudore Anicio exceſſit. Per hæc tempora Louanio redierant Stephanus Durantius, & Claudius Cheuallerius Anicienſes Iuuenes, qui vt ſuorum ſtudiorum in tam celebri Academia & quidem Theologiæ ſchola peractorum rationem redderent, poſitiones in vniuerſam Doctoris Angelici ſummã publicè propugnare voluerunt. Circumſpexerunt quem ſibi Præſidẽ deligerent, & ſanè in hac ciuitate quæ doctrinæ ſemper alumna fuit quamplures ſiue è Canonicorum Collegio, ſiue è Religioſorum conuentibus occurrebãt, ſed eminebat inter omnes vnus Franciſcus Saleſius Eccleſiæ Cathedralis Præpoſitus, qui licèt in ſacræ Theologiæ ſcholis lauream non quæſiuiſſet, dignus tamen iudicabatur qui non Doctor modò ſed Magiſter eſſet, eum itaque rogarunt Theologicis quas indicebant diſputationibus præſidere dignaretur, Saleſius tyrũculum ſe credens, vix conſenſit, vt autem illuxit aſſignata dies cum ſuis candidatis in magna Chapuiſiani Collegij aula comparuit tantas profundens Theologicæ ſcientiæ diuitias, vt qui non ità ſolidè & profundè doctum putabant ſtupentes & attoniti quam de illo ſententiam proferrent ambigerent: intricatiſſimas quæſtiones ſubtiliſſimis diſtinctionibus diſſoluebat, promptis reſponſis retundebat argumentorum aciem, caliginoſas opiniones adhibita veritatis face diſſipabat eáque ratione doctiſſimi ſicut piiſſimi nomen

Franciſci mira in obſeruantia caſtitatis conſtantia.

Franciſcus Theologicas poſitiones cum laude propugnat.

Franciſci exiſtimatio magna.

men conquisiuit,adeò,vt quicunque cum illo auderet congredi insanæ temeritatis notam nequiret effugere. Vacauit etiam non multò post Curionium Paruo-bornandensis Ecclesiæ beneficium,ad quod, cùm nemo esset qui eum non impelleret vt præposituræ dignitatem (cuius fructus ob hæreticorum Geneuensium Generalem de Ecclesiasticis bonis rapinam nulli sunt) aliquo saltem modo sustinere posset, petita prius ab Antistite subeundi examinis licentiâ, Episcopalis curiæ tabulario nomen dedit. Verùm qui concursus viâ ad beneficium illud prætendebant audito à Libellione Francisci Salesij nomine, factâ humili reuerentiâ omnes recesserunt. Tunc Præsul Granierius spectatores concursus dimittere nolens, absque aliqua de filio suo satisfactione,iussit data materia Theologicam habere orationē, quam ille in promptu & Latina lingua eruditione pleniſſimam habuit sicque Ecclesiam illam authoritate & institutione ordinaria cōsequutus est cum benigna tamen Sedis Apostolicæ dispensatione quæ ad pręposituræ fructuum & rediturum nullitatem attendens,facilis fuit,infaustè tamen factum est,vt cùmEpiscopalium vigore litterarum possessionem, legitimè & ritè vellet adipisci, clausas Basilicæ ianuas à Iacobo Ballo , ius in illud beneficium, debili titulo prætendente,inuenerit,vnde graues non in ordinaria dumtaxat Curia,verùm etiam in Senatu Camberiensi,& Romæ controuersias pro Ecclesiastico tuendo iure sustinere sit coactus, vnde certè tandem victor euasit. Sed parum hoc erat præ detrimentis quæ viro innocentissimo inuidia protinus tulit ; Armauit hæc in suum obsequium calumniam, quæ per scelestos homines in Claudij Granierij aures iniecta, in eius corde etiam (adeò callidissimè contexta erat)locum inuenit,obloqui absenti Salesium aiebat, déque nonnullis actibus suam libenter sententiam dubiis verbis proferre. His circumuentus pellaciis bonus Senex,dubitauit,an, de amato Salesio filiíque nomine nuncupato pœnitentiam agere deberet,rem palàm facere absque sui honoris detrimento non poterat, quandoquidem manifestam aliquam in illo actionem quæ virtuti non esset simillima nemo annotauerat;frigidè deinceps agere cœpit,& mœrorem animi mutatione vultus detexit. Salesius,insontem se sentiēs, sinebat tempore deceptum Antistitem ad calumniæ cognitionem venire, solito incedebat suis in rebus agendis passu, nec de cœpta vel

Franciscus Curioniū beneficium Paruo Bornandensis Ecclesiæ in concursu obtinet.

Franciscus multis calumniis apud Granierium oneratur.

concionandi, vel confeſſiones audiendi, vel infirmos viſitandi, vel determinandis Eccleſiaſticis negotiis aſſiſtendi, methodo, quidquam intermittebat; cum tandem fatigatus ſuſpicione Granierius in horti aream ſolum ſecum traxit, & abundè cor ſuum exonerauit. Saleſius, non longo ſermone, calumniatorum nequitiam reddidit Optimo Præſuli notiſſimam, qui ſenili indignatione in nefarios excandeſcens, vix ac ne vix quidem, ſupplici accuſato, pro falſis accuſatoribus petenti, veniam conceſſit, ac in poſterum virulentis huiuſmodi hominum linguis omnem aditum præcludens, Saleſium ſupra quod excogitari poteſt chariſſimum habuit. Serenato tunc ſibi cælo Saleſius retrò obliuionis montes relegauit omnis ſuſpicionis nubes, & virtutem virtuti de die in diem addens, ſecuro pede perrexit. Non ita pridem Camberienſes ad Anicienſium imitationem ſodalitatis pœnitentium ſanctæ Crucis inſignia acceperant, eaſdem leges, eoſdémque ritus, quos ſuis Franciſcus Saleſius præſcripſerat. Qua de re, ab Anicienſibus fratribus, gratiæ cùm primùm renunciatum eſt, Deo immortales actæ. Feruente quoque pietate concluſum eſt ad Aquas, viſendæ & adorandæ ſanctiſſimæ Crucis gratia peregrinationem facere. Indicta eſt tertia Spiritui ſancto ſacra dies, quæ Iunij menſis vltima erat. Quod cùm reſcirent Camberienſes idem ſtatuerunt, nec ſolùm Aquis ſiſtere, ſed & Anicienſibus obuiam procedere vt ſodalitatis perpetuæ iuſiurandum quod iam votis animíſque contraxerant, verbis etiam oréque conteſtarentur. Antonius Faber, ſuo & fratrum nomine per litteras rogauit Saleſium, vti de omnibus ante eum diem certiores faceret, horam diceret, ac quem vellet pœnitentiæ iuberet apparatum: ſic igitur miſſo Tabellario reſcripſit Saleſius. Senatori ampliſſimo Antonio Fabro, Franciſcus Saleſius Eccleſiæ Gebennenſis Præpoſitus ſalutem dicit. Ferè conſcriptam habebam iam Epiſtolam aliam quam ad te mitterem Frater ſuauiſſime cùm Soudanus tuam hanc vltimam vndíque ſpiritus Sancti odorem ſuauiſſimum ſpirantem reddidit: ego illâ dimiſsâ vt ad hanc reſponderem animum adijcio. Laus ergo Deo per Chriſtum pro vobis omnibus (vt Paulino iam vtar ſcribendi modo) quia fides veſtra nunc paſſim vbique annunciatur. Ad Aquas vti ſcribis peregrinationem tertio Spiritui ſancto ſacro die inſtitutam Deo dante faciemus non alio apparatu quam quo vidiſti

Franciſcus purgat ſe à crimine & orat pro calumniatoribus.

Sodalitas pœnitentiũ Camberij arigitur.

Franciſcus peregrinationem ad Aquas Anicienſibus & Camberienſibus indicit.

nuper

nuper cùm adesses easdémque Crucifixi litanias dicemus, calceamenta pedum nostrorum soluemus: locum enim ad quem pergemus sanctum existimamus ligno illo precioſissimo exornatum in quo Deus longè ardentiori charitatis ſpecie quàm in rubo illo Mosaïco maioribus nostris apparuit, non tamen totum iter, ſed quædam tantùm milliaria nudis pedibus conficiemus: ea enim ex non ſine causâ dicta est. Et quoniam recreandis viribus necessarium erit cibum aliquem capere, in vnum omnes idémque hoſpitium ſecedere decreuimus, in quo dum omnes ſimul modeſtiſſimè ac frugaliter prandebimus, pij alicuius libelli lectio audiatur, ne videlicet ſacræ peregrinationi prophana admiſceatur confabulatio. Horam certam vix poſſum ego dicere, cùm turba plurima eidem peregrinationi nobis inuitis ſeſe addixerit, præſertim nonnullæ matronę quas quia ad communionem cæteráque pia exercitia Societas hæc noſtra ab initio admiſit, ab hoc cœpto repellere nullis vnquam potuit verbis. Sanè ante meridiem ad ſanctæ Crucis Aquenſium Eccleſiam Miſſæ ſacra audiemus, atque adeò ante meridiem vel decimâ vel vndecimâ hora adeſſe nos poſſe credimus, vel forſitan citiùs. Veſtrum erit ſiquidem eodem die veniatis, nos, quia viciniores eſtis, nec aliis hominum cuneis impediti ibidem expectare. Ita (mi Frater) non poterit ea non eſſe vera fraternitas quæ ad eius ligni conſpectum iureiurando firmanda eſt quod cœlites ipſos immortales mortalibus hiſce inferioribus conciliauit. Neque verò prætermittam vnum hoc loco mirandum, quod vos eo ipſo ſciuiſtis momento huius noſtræ peregrinationis decretum quo vix dum ſtatutum inter nos fuerat. Extremâ namque Mercurij die hac de re deliberauimus, vt diuinitus factum videri poſſit, vt qui ad eamdem reſpiciebamus Crucem, eumdem ſenſum receperimus. Soli Deo gloria. Leges huius noſtræ Societatis ex ordine deſcriptas iam habeas. Si quid incommodum vobis videbitur pro locorum varietate immutabitis. Hæc vna omninò vobis nobiſque lex ſit perpetua vti fratres hinc inde viciſſim omnes & filij Dei nominemur & ſimus: ſed iam iter ipſum aggrediamur. Benè vale mi Frater Suauiſſime, Amantiſſime, Dulciſſime, ac Crucifixum habeto propitium. Salutamus te iterum quotquot ſumus cæteróſque omnes Sanctiſſimæ Crucis filios ſperantes protinus vos videre & os ad os loqui, vt gaudium omnium noſtrum ſit plenum

Franciſcus leges fraternitatis Camberiæ ſibus porrigit.

in Domino Lectis Faber his Codicillis coram Societate, paranda omnia ad iter ait & aſſignato die hinc inde profectum eſt. Anicienſes quidem audita ſummo manè in Oratorio Miſſa quam Præpoſitus Saleſius celebrauit præcedente inter accenſas faces magna Cruce induti ſacco nudi pedes, bini & bini reſpondentibus Muſicis, litanias recitantes, viam inſtruxerunt. Sequebatur vltimus inter Aſſeſſores Prior Franciſcus detecta ſolus facie, oculis in terram demiſſis, Sacerdotali ſupparo indutus, pedibus ad aliorum morem nudis, & poſt illum ingens vtriuſque ſexus fidelium turba cum roſariis & libellis precariis tanta ſanè in omnibus modeſtiâ vt ad lachrymas ſeſe inuicem ſolo aſpectu prouocarent. Prandium cum præſcripta methodo in Arbiacenſi oppido ad quinque milliaria ſumptũ eſt, hinc ad alia quinque conficiẽda perrectum. Ad decimum ab Aquenſi vrbe lapidẽ Camberienſes obuiã proceſſerunt & ineffabilibus pietatis exhibitis officiis ſociauerunt ſe fratribus. Rectà itum eſt in Baſilicam & expoſito ſuper altare ſacratiſſimo Crucis ligno quod poſteà adorandum oſculo ſingulis eſt exhibitum vnus ex Canonicis ſolemnem Miſſam decantauit. Hîc Franciſcus ſanctè tranſigendæ vitæ propoſitum effuſo in crucem corde renouauit: tum Cherubinus à Maurianâ Capucinus ſacram ad omnes adhortationem habuit tandémque inter ambas Societates fraternæ in Chriſto charitatis fœdus percuſſum eſt & communis omnium velut Pater Franciſcus Saleſius acceptatus. Die poſtero celebrato ſacro omnibúſque ſalutari communione refectis reditum adornarunt. Adfuerat actioni tam celebri Dynaſta clariſſimus Beroldus Pingonius Cuſiacenſium & Bonuillaretinorum Baro qui Saleſium ambabus manibus amplexatus rogauit vti per Cuſiacum ſuum, breuiori etiam itinere Societatem reducere dignaretur; Franciſcus precibus conſentiens, illac igitur tranſibimus, ô fratres (inquit) quandoquidem ea eſt Domini Baronis voluntas & continuò Antonio Fabro, Catharino Hoſtellio, Berterio ex Magiſtris Computorum Sabaudiæ Auditoribus, Franciſco Genando Cauſarum Patrono (qui poſtea in Capucinorum Ordine religioſam vitam profeſſus eſt) Melchiore Batallino Camberienſi Ciue, Andræa, Baſtone Bouiciano, aliiſque nonnullis Camberienſium fratrum comitatus iter ingreſſus eſt. Cuſiacum oppidum olim fuit ad Cheranum fluuium & Caſtrum nunc tantum cum aliquibus domi

Franciſcus pedes ad ſanctam Crucem Aquenſiũ peregrinatur.

Franciſcus Communis Camberiẽſium & Anicienſiũ Pater.

Cuſiacum Baronatus Pingoniorum.

domibus, Baronatus qui ad vicinos quamplures pagos extenditur titulus & caput à Luceburgensibus Marticianis Principibus anteà possessum, modò à Pingoniis Dominis, in colle eminens cuius radices Cheranus suis fluctibus verberat. Huc cùm peruenissent Solque vix quartam à meridie horam notaret; Dum Cœna parabitur (inquit Baro) placet vobis, Domini mei, per circumflexos quos egomet coaptaui calles in solitudines nostras descendere? Placuit omnibus inuitatio. Dato igitur vnicuique scipione præcedentem Baronem sequuti sunt, ac vbi deuenerunt ad infimum quod fluuius rigat fagineis corticibus, sacræ Crucis signum, ac Diui quem quisque Patronum habebat, nomen inscripserunt, tum super obsitam musco humum genibus flexis oratione factâ. Ecce nos (inquit Salesius) in tenebrosis & in vmbrâ mortis constitutos, linquamus iam has abyssos & ascendamus in montem Domini, atqui alius non est mons Domini quàm ille in quem pro humani generis reparatione Crucem baiulans tulit & in ea ignominiosè pependit; huc nos illum sequi oportet: nam qui non baiulat Crucem suam (inquit ille) & sequitur me, non est me dignus; baiulet ergo vnusquisque nostrum suam Crucem, ô Fratres, & Dominum nostrum in Caluariæ mõtem ascendentem meditatione saltem sequamur: nec mora ex lignis quæ à domesticis famulis copiosè cæsa inuenerunt fabricarunt sibi quisque Crucem, quam humeris impositam per eosdem calles in Castrum vsque cum silentio comportarunt. Introeuntibus autẽ cum splendidè instructam cœnã videret Salesius, ad Baronem conuersus; Quid hoc (inquit) mi Pater? (eum sic vocabat) Caluariam ascendere putauimus & Thabor est? At sic tandem per multas tribulationes intratur in regnum Dei, & sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Discumbentibus porrò non alius fuit sermo quàm de cœlesti gloriâ & æterni Regis cœnâ, & Pingonius sacris tot recreatus alloquiis, Abrahamum se, qui Angelos excepisset hospitio profitebatur. Manè Camberiensibus valere iussis Præpositus Salesius, cum suis, Cherano traiecto Anicium remeauit. Interea Ducem Serenissimum Carolum Emanuelem de stabiliendâ Orthodoxæ Religionis fide in Caballianâ sua Prouinciâ Agrisque Ternerienſi & Galliardensi quibus Geneua cingitur grauis & pia cogitatio incessit. Caballium sic dictum à Caballis quos hîc quamplurimos ad

Franciscus ãd Christi imitationẽ inter meditandum Crucem baiulat.

Francisci sancta cum Pingonio cœna.

Caballiani Ducatus descriptio.

ad expeditiones Germanicas olim Romani ali curabant. Antiquissimus est apud Allobroges Ducatus ad Lemanum lacum lõgè latéque porrectus cuius incolas veteres Veragros appellabant. Huius vrbes Præcipuè sunt Tononum, Aquianum, Aquaria, & Hermantia: & Tononum quidem summi Prætoris sedes est; tota Prouincia in sexaginta Parœcias diuiditur & in ea viginti & quinque animarum millia viuunt, Durancia fluuius mediam intersecat, qui in Lemanum diffunditur, & eam à Vallensibus distinguit ad Septentrionem, Vallesiorum tractus ab Oriente finitimus est, ad Meridiem Falcinij montibus terminatur, Arua fluuius & Geneua ad Occidentem sunt ei limites: Cæterum terræ est fertilissimæ, & purissimi aëris circa Tononum præcipuè, Ripalliam, & Aquianum: longitudinis est milliarium viginti quatuor, latitudinis decem, ambitus amplius quinquaginta. Hanc regionem à Zeringuensibus Ducibus Sabaudi olim Comites tum armis cum authoritate Cæsareâ receperant & pacificè possederant ad id vsque tempus quo Franciscus primus Francorum Rex in Sabaudiam impetum faciens, Bernates quoque Heluetij eâ tempestate Lutheri & Zuinglij falsis dogmatibus iam imbuti occasionem arripientes. Quidquid à Geneua ad Valesiorum Prouinciam erat, infestis & Barbaris armis occuparunt, proindéque extirpata Religione Catholica, fœdis in fidem erroribus infecerunt. Et licèt inter Christianissimum Regem Henricum Secundum Francisci filium, & Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem pace facta, Bernates etiam ipsi de restituẽdis, quas inuaserant Prouincijs seriò cogitare coacti sint, eo tamen adduci nequiuerunt vt omnia restituerent, & quæ restituebant nisi prauis adhibitis conditionibus relaxarent, conditiones autem istæ erãt vt Dux quidem Caballianũ Ducatum & Terniacensem Gexensémque agros reciperet nihilhominus tamen nulla prorsus in his Religionis Catholicæ exercitia instaurarentur: Dux temporum iniuria ad iniquam conditionem (inuito licèt animo) adactus occasionem expectabat, qua suos illos populos ad eam quam piissimè profitebatur Orthodoxam fidem reduceret, nihil non cogitabat, vt fœderis Helueticí hunc articulum euerteret: sed tantam ei fœlicitatem diuina prouidentia non destinarat. Religiosissimo Principi eius filio Carolo Emanueli hæc seruabatur gloria. Cùm enim anno supra millesimum quingentesimo octuage-

Caballiũ Sabaudis Zeringuẽsibus receptum.

Caballium ab Hæreticis occupatum.

simo

simo nono, fracta Heluetij fide, cum Gebennensis Ciuitatis hæreticis, in eas iterum Prouincias proditoriè irruerunt; Tunc Carolus Emanuel, tantæ perfidiæ vehementer indignatus, potentissimo Conflato exercitu cœsos fugatósque in suas speluncas Geneuenses & Bernates profligauit, quasque illi vastarant Prouincias, relictis Catholicorum militum præsidiis recuperauit, nec mora de rectæ fidei restitutione absolutè statuit. Hac de causa, Claudium Granierium Episcopum Gebennensem suæ voluntatis per litteras certiorem fecit. Granierius infœlicis sæculi pericula etiam miseratus dolorem suum vlterius cohibere non potuit, quin saltem horum populorum conuersioni iuxta commissam sibi solicitudinem animum impenderet, dignum altissimo, cupiens studiosum ac placidum exhibere famulatum. Circumspexit ergo Præsul optimus vndequáque quos ad impendendam agris illis culturam salubrem spargendúmque verbi diuini semen idoneos videret, latebant ferè omnes periculis territi, in Salesium quidem oculos statim conuerterat, sed quibusdam rationibus quas sibi ipsemet suggerebat dissuasus, hanc ei expeditionem proponere non audebat. At Franciscus, in Concilium, cum præcipuis totius Diœcesis Sacerdotibus, à Granierio vocatus, cùm tantæ rei propositione factâ omnes obmutescerent, surrexerit è sede, &, ego (inquit) Reuerendissime Domine, si iubeas, & ad id iudices idoneum, lubens ibo. Granierius de tanti viri oblatione spontaneâ lætissimus, non tantum ad id eum aptissimum retulit, sed & quasi expediens sibi videri, adhibitâ etiam gratiarum actione quòd sibi seni, cui alioquin hæc tota cura incumberet, subuenire vellet. Parauit confestim omnia ad Apostolicam hanc expeditionem necessaria Salesius, libros scilicet, sed præter sacros codices, & Roberti Cardinalis Bellarmini controuersias, paucos; Assumpsit præterea secum Patruelem coniunctissimum Ludouicum Salesium Canonicum, virum perspicacissimi mansuetissimíque ingenij, quem de sacrâ Theologiâ ac concionandi onere bene meritum iam pridem probauerat, tandémque vniuersis Canonicis, cæterísque siue sæcularibus, siue regularibus Sacerdotibus, vt hanc rem, & cœptum in suis sacrificiis Deo offerrent, rogatis, & Pŏtificis, vnà cum Sereníssimi Ducis codicillis, & missionis suæ patentibus litteris, benedictione acceptâ, lugentibus sanè Anicienſibus, quinto Idus Septembris

Carolus Emanuel Bernates & Geneuenses profligat Caballio.

Scribit ad Granieriũ pro restitutione fidei.

Granierius in Franciscũ oculos conuertit.

Franciscus offert se ad Caballianæ conuersionis opus.

Franciscus in Caballium proficiscitur.

anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, viam iniit. Boëſiacus & Syonnaſia Parentes, non iam Tulliæ, ſed Saleſij morabantur: illuc ad eos tranſiens iuit iuſſa & conſilia accepturus: ſed non aliud quam manere iubebat Boëſiacus, mortis eſſe periculum, inquiens, prætereáque exiguum ingenti cum labore fructum; & quid? (ſubiiciebat) ſi poſt inſumptos multos annos vacuus redire coactus ſis? numquid eris omnium fabula, Præpoſite non poſſum reuera quin pium impetum laudem, ſed (ni fallor) exitum, qui valdè dubius eſt malè conſideras. Ad hæc Franciſcus. Prouidebit Deus, mi Pater, fortes ipſe adiuuat, audendum eſt. non agendum habemus cum Barbaris, nec illic omninò incogniti ſumus: non proficiſcimur ad populandos agros: ſpiritualibus armis eos aggredimur, corporibus non nocebunt: Euangelizantibus nobis dabit Dominus verbum virtute multa. Quid ſi in Indias mitteremur? quid ſi in Angliam? numquid eundum eſſet? Atque hæc profectò deſiderabilis eſſet profectio, & perpeſſa mors pro Chriſto innumeris potior triumphis: Cæterùm, adeſt Principis voluntas, adeſt Paſtoris iuſſio & miſſio. Nihil hîc reluctandum. laborioſa res eſt: nemo diffiteatur: at quid has tunicas gerimus? Quid honorem Sacerdotij ſuſcepimus, ſi onus recuſamus? Confide verò, Pater optime; nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. Dum hæc diceret, flebat Syonnaſia, & Boëſiacus eleuatis præ miſeratione armis, decuſſatiſque brachiis; neſcio quid vobis dicam (inquit) ite quo voletis propitio Deo; ſi tamen ſiniſtri quid acciderit, veſtro id prorſus damno erit. Planè iſte, in Regum & Principum aulis, & medios inter armorum tumultus educatus, res verò, quas ſtatus vocant, longâ experientiâ apprimè intelligens, nihil ſibi proſperum hâc deſumptâ Caballianæ conuerſionis prouinciâ promittebat; ſed Deus, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ, Franciſci & Ludouici animos mirum in modum confortabat. Perrexerunt itaque, & Aruam ſuper Buringianum pontem tranſgreſſi, non procul à Sanciriciani pagi limitibus, Caballij cuſtodem Angelum ſalutarunt, inhabitantéſque Prouinciam Cacodæmones fatigarunt exorciſmis. Eam deinceps methodum (ſubmiſſâ tamen pronunciatione) antequam hæreticos, Miniſtros autem præcipuè, diſputatione aggrederentur, ambo obſeruarunt: nam Hæreticos omnes (aiebat Franciſcus) eos maximè qui docent, & præ

Franciſci aduerſus rationes ſtatus pro pietate cõſtantia.

Franciſcus cuſtodẽ caballij Angelum ſalutat & cacodæmones fatigat exorciſmis.

& prædicant à diabolo vel possessos vel obsessos esse, atque ita primùm in eos exorcismorum fulmen esse contorquendum. Arx est in Regionis ventre rotundo monti velut vmbilico imposita, quam Allingianam vocant, in ea tunc temporis cum præsidiariis Catholicis militibus erat Franciscus Melchior Sanioricianus Hermantiæ Baro, & totius illius Prouinciæ, quæ Lemano adiacet lacui, Gubernator, cui remittendas suæ missionis litteras Salesius habebat. Ad eam arcem cùm accessisset, excubitorum stationi Præfecto ait, agendum nonnihil habere se à Duce cũ Domino Gubernatore, & vt eum curaret accerciri rogauit, Præfectus militem misit, qui à duobus Sacerdotibus se ad clathrum peti Baroni renunciauit. Erat Baro Salesianus totus, qui vbi Salesios duos ad vacerras videt expectantes, accurrens ambos amicissimè amplexatus est, tum à Præposito tres, vnam à Duce, aliam ab Episcopo, tertiam ab intimo sibi Boësiaco, recepit Epistolas. Suâ Dux Sacerdotum, quos ad Conuersionem Caballianam Episcopus Gebennensis mitteret, curam & commendationem habere imperabat: Episcopus ad Ducis iussionem suas addebat preces, & in eandem rem Amicissimum Regulum ob antiquam necessitudinẽ Boësiacus obtestabatur. Lectis litteris nouos Apostolos in arcem introduxit, & ostensis æneis tormentis nil iam (inquit) his opus est machinis, si modò faxit Deus vos ab inferioribus Huguonotis audiri. Ex hoc eminenti loco miseram Prouinciæ faciẽ videre erat, deturbatas pinaculis Cruces, destitutas salutari signo vias, substituta latronum patibula, destructa funditus templa, redactas in noctuarum receptacula sacras Paroecorum ædes, macerias rudera pro muris, vastata incendiis castra, euersas æneis cannis & cuniculis turres, nullas Christianitatis notas sub Christiano quamuis nomine, nam ab annis septuaginta & amplius, ita religionis Catholicæ vestigia Caluiniana impietas suppresserat, vt nulla vllibi ipsius extaret memoria. Franciscus ad hunc conspectum propugnaculi peribolo cubito innixus, & manu mentum apprehendens, amaras emisit lachrymas, illud quoque Isaïæ assumens, ecce (inquit) vt ablata est vineæ sepes, & diruta maceria, en desertam, direptam conculcatam. infecta est terra ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerũt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum; iterúmque illud Hieremiæ: Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad

Allingiana arx.

Franciscus suæ missionis litteras Hermantiano exhibet.

Caballij misera facies.

Francisci ad Caballij conspectum lamentationes.

ſolemnitatem; manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. Non eſt lex, & Prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. O ſi magna eſſet velut mare contritio tua! Et tandem, ô Hieruſalem (ſubdidit) ô Caballium, ô Geneua, conuertere ad Dominum Deum tuum. His lamentationibus cumulatus attentione, inchoandi operis rationem, & modum accuratiùs ab Hermantiano quæſiuit. Hermantianus omnem opem pollicitus eſt, non tamen Tononi, vel alibi, Miſſæ officium inſtituere adhuc conueniens ſibi videri (inquit) cùm nec nocte etiam ad ſomni neceſſitatem extra arcem tutus eſſe poſſet, licere tantùm his rerum primordiis Tononi concionem haberi, ſi verò in arce ſacrum celebrandi non eſſet, vel ex tempore, vel occaſione aliâ commoditas, tunc vel in eo Sacello quod in domo eſt Xenotrophiorum Montiſiouis ad lacus ripam celebrandum, & tunc reparandum illud eſſe, vel trans Duranciam in Eccleſiam Mariniani pagi eundum, ea enim quæ trans Duranciam ad Valeſios pars extenditur, nunquam à rectâ fide defecit, ab ipſis Valeſianis occupata. Interim dum alia ſpes affulgeret noctes in arce omninò eſſe tranſigendas. Sequutus eſt Baronis conſilium Saleſius, captóque in arce cubiculo, manè in eadem celebrabat, poſtea verò ad Conciones deſcendebat, redibátque quotidie dormiturus. Tononenſes ſtatim ac Apoſtolum audierunt inſanis dogmatibus ebrij, variis in eum opprobriis ac irriſionibus cœperunt debacchari, idololatram appellantes Pſeudoprophetam, & hominis pij perſonam vultu ementientem, at ille inclamare non deſiſtebat: Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ad huius viri aduentum Geneuenſium Miniſtri congregati ſunt, conuenerũt in vnum ipſi audientes ſic admirati conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos: illatam aiebant toti Caballio à Duce iniuriam, fractáſque pacis conditiones Proceribus & populo inculcabant, flagellis Papiſtam abigendum, ſeu potiùs publicæ perturbatorem quietis, quouis tandem modo priuare vitâ licitum eſſe: Has planè minas, hos rumores quiuis alius quàm Franciſcus timuiſſet, at ille conſtanti & vultu & verbo patruelem hortabatur, & nunc opus eſt animis inquiebat, nunc pectore firmo. Non in ipſam dumtaxat Tononenſem vrbem, ſed in alios etiam

Hermantiani circa conuerſionis opus inchoandũ conſilium.

Franciſcus Hermãtiani conſiliũ ſequitur.

Franciſcus opprobriis à Tononiẽſibus operitur.

Genouenſium miniſtrorum cõmotio, & in Franciſcũ minæ.

etiam pagos diuini verbi flammas diffundebat ter,quater & amplius in die concionem habens, pedes cum scipione incedens, nullaque alia quàm sacrorum Codicũ, & Breuiarij Sarcina oneratus, peregrinantem Paulum omninò repræsentabat. Cùm in remota ãb arce Sylua,quam transgrediendam habebat,nox eum atra aliquando inuoluisset, diu in hanc & illam partem, cæci in morem, diuagatus,in macerias incidit,& templum fuisse cognouit,cúmque tectum adhuc aliquod sub quo quiescere posset, ab aëris iniuriis immunis restaret, expectandam hîc Auroram statuit, tum muscosis insidens saxis, ô cuicunque Diuorum dicatum sis Templum (inquiebat) in maceriis tuis Viuentem Deum in sæcula sæculorum adoro,eiúsque filium vnigenitum, qui pro me tot & tanta passus, exemplum etiam patiendi dedit. Surge Aquilo,& veni Auster perfla hortum istum,& fluant aromata illius. Benedic ô Domine consilia nostra, Emitte in miserorum horum populorum corda Spiritum tuum sanctum,& tui amoris in eis ignem accende. Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion,vt ædificentur muri Hierusalem, tunc acceptabis sacrificium iustitiæ,oblationes & holocausta. O Deus venerunt Gẽtes in hęreditatem tuam,polluerunt templum sanctum tuum,sed præpara interim corda nostra,vt dignum sancti Spiritus tui habitaculum effici mereantur:Hæc dicentem somnus inuasit, quieuítque velut alter Iacobus,donec discussis tenebris eum Georgius Rollandus, assiduus vbique famulus,excitauit. Insimili rigente etiam hyeme, in pago quodam cum clausis vbique ianuis neminem ad eam inducere misericordiam posset, vt sibi tectum commodaret, in calidum adhuc furnum induti se proiicere, præ nimio frigore, ipse & Ludouicus fuerunt coacti; Noctem aliam pluuio cœlo sub stillicidiis transegerũt, sed & die etiam asperiores labores tolerabat,nam vt ex Allingiis Tononum iret, & Tonono rediret Allingios, quatuor milliaria quotidie per altissimas niues habebat faciẽda.Rigidissima erat anni illius hyems,& ipse vi frigoris pernione laborabat tam insolentibus talorum rimis,vt sanguis tibilia perrumpens innocenti tingeret rubore vias.Mirabatur Domini sui patientiam Rollandus, mirabantur & Præsidiarij milites, quos aliquando ad necessitates varias secum adhibebat.Insuper in arcem redux milites ipsos pietatem,quæ vt plurimùm à castris exulat, mira cum mansuetudine & dexteritate

Franciscus Euangelizanti Paulo similis.

Franciscus media in sylua nocte transigit. Præclara eius verba.

Franciscus Patriarchæ Iacobo similis.

Franciscus cubat in furno.

Franciscl rigidissimæ hyeme labores & patientia.

docebat,& cùm ægrè admodùm ferret dum luderent,siue etiam loquerentur nomen Domini in vanum, & plerúmque cum diris & blasphemiis assumentes audire, id apud Gubernatorem effecit,vt cuilibet imprecanti,execranti vel aliter Dei, & Sanctorũ nomina frustra assumẽti grauis pœna protinùs infligeretur:Præterea duellorum mala penitùs profligauit. Erat hæc in Allingiana arce,vt vbique alibi mos, vt quotiescumque miles aduersùs militem rixandi occasionem haberet,discedendi licentiam à suo quisque duce peteret,qua obtentâ liberè duello dimicare poterant:Salesius rem huiusmodi abominatus, Quovsque tandẽ durabit abusus?Hermantiano dixit, hanc nullo modò discedendi licentiam concedere potes,mi Domine,cùm & eo ipso pugnandi libertatem concedas,atqui non te latet duellum minimè licere, plusquàm bruti est ingenij hæc rabies, edicto vetauit ipse Princeps, nulla huic insaniæ lex suffragatur, sed quòd maximũ, & vnum est,offenditur mortaliter Deus: quamobrem tuum iam erit,ô Gubernator, non abuti,sed authoritate vti tuâ ad interdicendas prouocationes huiusmodi. Quid miseri pro re minima suas animas in inferos detrudunt?Quid nõ suarum ensium acies ad gloriosam mortem pro patriæ & Principis iure, Religionísque tutela seruant? Hæc ille.Tantùm porrò continuis proficiebat hortationibus, vt non iam milites, sed religiosi Alingianam arcem custodirent. Distabat ab arce, in montis quippe radicibus situm Vicanorum templum, in illo antequam ad Tononenses iret Salesius,persæpe concionabatur, Die autem Protomartyri Diuo Stephano festo,qui Natiuitatis Dominicæ solemnitati succedit,sermonem habiturus,solito paganos signo conuocauit: Adfuerunt septem non plures in vasta satis æde audituri, Salesius pusillum gregem contemplatus quid agere deberet, an loqui, an recedere, an maiorem numerum expectare principio ambigebat,in id tandem consilium incidit,quandoquidem paucis æquè debitor erat ac pluribus in pulpitum ascendere, materiam de Sanctorum, qui in cœlo cum Christo regnant, cultu & inuocatione egregiè pertractauit, Caluinianorum impietatem stoliditatémque validissimis commonstrauit argumentis, simúlque Catholicam hac de re veritatem stabiliuit. Aderat septimus insignis quidam in sua Professione Tononensis Procurator, vir sciolus, qui diebus præteritis Caluinianos errores in Francisci

Franciscus pietatẽ in Allingianam arcẽ introducit.

Franciscus duellorum insaniã ex Allingio fugat.

Allingiana per Franciscũ Monasterio similis.

Franciscus ad septem tantũ auditores cõcionem habet.

manibus

manibus fuerat deteſtatus, non ita tamen firmiter Catholicis articulis adhærebat, quin ad eas, quas in eius animum Satanas dubitationes inſtillabat, ſineret ſe facile impelli, Sanctorum in primis inuocatione eius lædebatur intellectus. Vt Saleſius concionem abſoluit, expectabam (inquit ille) quid Saleſius faceret, an taceret, an differret, ego autem iuro ſi quid horum feciſſet, aut ſi ſermonem habens hac de materia quam profectò eruditiſſimè tractauit, non fuiſſet cõcionatus, à Romana fide recedere & Geneuenſia dogmata rurſus amplexari, in diem craſtinam non diſtuliſſem: His auditis Saleſius de habita concione quamplurimùm gauiſus eſt in Domino, deincepsque hoc edoctus exẽplo, à nullo vnquam quantumuis exiguo Auditorum numero abhorruit. Sed qui in Protomartyris laudem tam benè dixerat, non multo poſt penè Martyr fuit; Hæreticorum Miniſtri in rabiem verſi, quòd Saleſius tanta in dies patraret, vt non modica conuerſorum in Eccleſiæ Romanæ caulas fieret acceſſio, magum eſſe & veneficum publicè etiam ex peſtitentiæ cathedra prædicabant. Acceſſit ad hęc homuncionis cuiuſdam impietas, qui ſe vidiſſe Papiſtam in nocturnis veneficorum conuentibus iuramento aſſerebat. Hac ratione populo multorum capitum belluæ facile fuit imponere, tradendum ignibus Saleſium (aiebant) & immolandum Cacodæmoni. Prudentiores aliquot ex iis, qui hæreſim abiurarant, non parùm fidei rebus hanc nocere famam aduertentes, Saleſio vti prouideret dixerant; Miniſtros iuraſſe ſolemniter eum diaboli familiaritate vti, & ab ipſo quæcunque die agenda haberet edoceri. Quemdam de populo velle ſe adfurcam damnari exclamaſſe, ſi notam aliquam à dæmone impreſſam in ſuo corpore non præſeferret. Riſit his auditis Saleſius, & magnum Crucis ſignum manu formans, ecce (inquit) notam meam, & omnes incantationes meas: hoc potenti ſigno dæmones ſubiicio, aërias fugo tempeſtates, timorem nocturnum & negotium perambulans in tenebris. Hoc ſigno munitus non timebo quid faciat mihi homo, ſi conſiſtant aduersùm me caſtra in hoc ego ſperabo. Si autem Miniſtris aliqua mira patrandi eſt voluntas, & ego cum hoc ſigno docebo quidquid volent, nõ immeritò vocant me ſabbathi hominem, cur ad ſanctificandum illud me impellunt? Repleuit ſtupore hæc dicentem audientes, Verumtamen pergebant hæretici machinationes ſtruere in eius necem,

Franciſcus ab Hæreticis veneficus appellatur.

Franciſci veneficium. Crux Domini.

necem Ganeones inutile terrę pondus subornant. Hi Papistam se occisuros soluto pretio promittunt, nocte igitur quadã cùm Salesius insolẽtissima tẽpestate Allingios ne rediret impeditus fuisset, & in cubiculo solus ad studia & preces seruaret vigilias, audiuit submissum traditorum murmur, persuasit sibi protinus non esse

Franciscus ab hæreticis se abscondit.

securum, captóque hac de re cum Deo consilio, ad Christi imitationem à Iudæis quæsiti se abscondit. Hæretici hac opimâ prędâ frustrati, frendebant, ringebántque tantò altiùs Magum & Veneficum Salesium inclamantes quantò vindictæ rabies turbulentiùs in visceribus efferbebat, ignominiosum verò putabãt, si tentata eius nece non vlteriùs procederetur. Quamobrem exspectandum à Sicariis in Allingiorum itinere rato consilio definiunt. Salesius machinationum variarum in ipsum, per regeneratos suos certior factus pericula non aspernabatur quidem, sed ad regressum in arcem necessitate compulsus, infracto animo respondebat, Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cœli commorabitur, scuto circumdabit me veritas eius. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Vnius tamen & alterius comitatum non recusauit. Abierat iam penè dies, cùm positi in insidiis sicarij duo subitò è rubis in inermẽ irruerunt nudo ferro horridísque in Deum blasphemiis. Salesius Comitibus à percussione dissuasis latronum animos verborum suauitate & maiestate vultus ita coërcuit, vt ipsi petitâ venia, nihil iam ampliùs quàm de præstando pro viribus obsequio cogitauerint. Quę res ad Ministrorum aures delata, parùm abfuit quin eos ad insaniam adegerit, in arcem autẽ vt receptus est Salesius, Rollandus abstinere non potuit, quin ea quæ in Domini periculum euenerant, Hermantiano renunciaret, & Hermantianus Salesium vt deinceps à suis sineret se conduci militibus adhortatus est. Salesius verò non alium vitæ terminum habere professus, quàm eum quem æterna prouidentia destinarat, militum satellitio non habere opus dixit, Paulum cæteróque Saluatoris Apostolos, sola diuini verbi machęra confregisse potẽtias arcuum, scutum, gladium & bellum, Lutherum & Caluinum suas cũ armis plantasse perfidias, solo eas verbo euellendas & extirpandas esse, voce Domini confringendos cedros & commouendum desertum Cades. Gloriossimum porrò illud sibi futurum, si pro Christi syncerâ tuendâ fide mortem

Franciscus expectatur à Sicariis in itinere.

Franciscus propè martyr.

Francisci fortitudo & fidẽtia.

subire

subire contingeret. His afficiebatur vir Apostolicus. Hermantianus tamen plus solito, deinceps sollicitus suis militibus imperauit, vt Salesium quaterni, quini, & seni aliquando eminus saltem ad prædicationis opus euntem sequerentur, & Mullinius Manipularius ductor, cum Daniele Nicodo & Ludouico Grauerio, peculiari iussione in eam curam sunt commissi. Volauit statim horum discriminum fama ad Boësiaci aures, qui nihil firmius quàm quod prædixerat cogitans, cæterùm de filij sui morte fortem in animo apprehensionem assumens, repetitis per litteras iussionibus Franciſci fortitudinem verbearabat. Plura quam oporteret facta iam esse, stupidæ obstinationis nomen (inquiebat) hanc perseuerātiam iam apud cautiores sapientioresque homines acquisiuisse, Tentari Deum, solo tormentorum impetu ad fidem adigendos populos illos. Hæc & alia subijciebat. At Franciſcus retundebat argumētorum aciem responsione breui. Qui perseuerauerit saluus erit; non coronabitur nisi qui legitimè certauerit: Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur. Boësiacus non indignatus quidem, verumtamen graui molestia conflictatus conscendit equum, & Anicium ad Episcopum Granierium rectâ profectus est, de primogenito suo sicut ouem in luporū medium misso longam lamentationem contexuit. Malle se dixit habere filium Confessorem quàm Martyrem, planè hæc irati voce pronunciabat: rogabátque postremò Antistitem, vt Præpositi nauatâ iam operâ satisfactum sibi crederet. Granierius, quâ potuit meliori methodo commotum sedauit. Omnia quibus bono animo esset pollicitus, non esse tamen in proxima messe ob ventorum rabiem proijciendas falculas, nec parata vindemia relinquendos volatilibus & vulpibus racemos. Eximiam spem affulgere ex ipsiusmet Præpositi Epistolis commonstrauit, nec honorificum fore si quis dicere incipiat, quòd de imprudente illo parabolico. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Scriptum est vtrinque in Caballium ad Salesium, at ille Victori similis inter labores & pericula exultabat, & quis esset rerum suarum status demonstrādo & Patri & Antistiti & cæteris amicis timore percussis animum in spem bonam erexit, Dicam quod est (inquiebat,) Tanta est huius populi pertinacia, vt communi decreto prohibitum sit ne vllus ad Catholicas conciones accedat,

Salesius Boësiacus Franciſco suo metuit.

Lamentatur apud Granierium.

Franciſcus inter labores & pericula exultat.

& cùm pleróſque ad audiendum partim curioſos, partim quibus ineſt adhuc antiquæ religionis ſapor, venturos ſperaremus, obfirmatam mutuis cohortationibus omnium mentem reperimus, eámque ſui ſceleris excuſationem prętendunt, quòd ſi in Catholicam Eccleſiam tantiſper ferri videantur, à Bernenſibus & Geneuenſibus inter quos ſunt, durè non vt Catholici tantùm, ſed vt deſertores tractarentur: Itáque ſe niſi pace compoſitâ nunquam expectandos, ita nimirùm trepidauerunt timore vbi non erat timor; Ac nobis non hæreſis tantùm, ſed huius quoque ſæculi amor primùm ab iis hominibus auellendus eſt, Alioquin per priuata colloquia ipſe etiam Miniſter, in myſterio auguſtiſſimi altaris Sacramenti, nos ex ſcripturis rectè pro fide noſtra concludere confeſſus eſt, confiterentúrque cæteri, niſi timor ille immodicus terrenus obſtaret; At nos patientiâ fortem illum armatum, qui cuſtodit atrium ſuum, fortiore fauente Chriſto tandem expulſum iri ſperamus. Hic eſt rerum noſtrarum ſtatus. Non eſt oblitus Boëſiacus Fabrum in eam ſententiam de reuocando Franciſco adducere, ſcripſit igitur Faber ſed hanc non aliã reſponſionẽ habuit. Onus meſſis Tononiẽſis meis impar humeris, ſi ab Antiſtite iuſſus fuero deponam, in eam tamen rem alios operarios, iiſdémque commeatum dum parare cogito nullum inter infinitas hoſtis generis humani verſutias exitum, nullum finem facio. Illud me non leuiter torquet; Imminent certè capitibus noſtris tot clades, mi frater, vt interea vix vllus pietati procurandæ, cùm ipſa maximà ſit neceſſaria, ſupereſſe locus videatur: animus tamen in meliorem ſpem Chriſto propitio attollendus eſt; Cùm audieritis bella & ſeditiones nolite terreri. Ante omnia inijcient vobis manus. Interim mi frater, hos inter tumultus patriæ noſtræ dicamne? an tumulos? dum circum circa oculis noſtris ingrata quæque ſeſe offerunt, in patriam illam cœleſtem oculos intẽtiſſimè figamus, cogitemúſque perpetuò Eliam illum Thesbitem non aliter quàm per turbinem ad cœlum aſcendiſſe. Lectis his litteris Faber tantùm abeſt vt diſſuaſionibus plus temporis inſumpſerit quin potius & hortari & ſuadere ad perſeuerantiam cœpit. Sic tamen lento proceſſit paſſu. Habebo (inquit) vt ſpero crebriores poſthac tabellarios qui meas ad te litteras perferent non in iſtam ſolitudinem in qua nunc degis, ſed in vrbem hanc (Anicij tũc erat Camberiũ breui profecturus) ad

Tononienſium obſtinatio.

Miniſter circa Sacramẽtum Euchariſtiæ conuictus.

Franciſci humilitas & obedientia.

ad quam te breui vt præuideo reuocabit non ſolùm Parentis noſtri obſeruandiſſimi votum ſed etiam Epiſcopi amantiſſimi iuſſus: ſic enim inter eos me præſente multis ſermonibus actum eſt de te reuocando, tibíq; dando ſucceſſore. Miram animaduerti Patris impatientiam dum & ſaluti tuæ diffidit & ſe diutiùs tantis Baronis noſtri erga te beneficiis aut potiùs officiis onerari premíque moleſtè fert. Epiſcopus pro ſua prudentia verebatur ne multum de tuis laudibus detraheretur, ſi quo tempore magis enitendum eſſet vt pietatis induſtriæque tuæ frúctus aliquis conſtaret eam de te homines opinionem conciperent vt peragendi animum tibi potiùs quàm facultatem defuiſſe ſuſpicarentur: ego verò cuius maximè intereſt non tantùm te ſaluum eſſe, ſed etiam ſic de me ſentire vt neque minùs te amare videar, quàm à parente ipſo ameris: neque minùs prudens prouidénſque quàm Senatorem deceat, id vnum verebar ne aut minus amare viderer parenti noſtro ſi cum Epiſcopo ſentirē, aut minus prudens Epiſcopo ſi parentis conſilium adprobarem. Dixi tandem videri mihi totam rem iſtam tui eſſe debere conſilij & iudicij, vt ſi nihil iſtic profici poſſe videres, maiorem ſalutis tuę paternique deſiderij, quàm tuę laudis rationem haberes (neque enim dubito quin ex conatibus iſtis, tametſi, quod abominor, irriti forent, eò maior tibi laudis materia paretur, quò longiores erunt & vt ita dicam quando tibi cum obſtinatiſſimis res eſt, obſtinatiores) ſin verò benè ſperares non committeres vt ex præcipuis laboribus & victoriis tuis ſucceſſori tuo quiſquis ille futurus ſit triumphus quæreretur, aut etiam quod te magis vt ſcio mouebit, vt tanti momenti res proſperè inchoata, ſucceſſoris tui ſiue inſcitia ſiue minùs fœlici induſtria concideret. Vides quàm egerim ex bona fide, & vt amicum decebat qui aduerſus mea commoda pro tua dignitate etiam contra patrem laborarim. In quo tamen ſatis mihi fuit officio paruiſſe: ſuccubuiſſe verò etiam periucundum: placuit enim communibus vtriuſque parētis votis nec me valde repugnante vt iāiam redire & ſucceſſorē accipere iubereris. Cupio ex tuis litteris intelligere quid tu aut feceris aut facere conſtitueris. Mihi probabuntur omnia quæ tu è re & dignitate tua eſſe putabis: ſi tamen primam ſalutis tuæ quæ mihi mea charior eſt, habueris, vt par eſt, rationem. Benè vale mi ſuauiſſimè, & me vt ſoles ama. Satis erat Saleſium à reditu auertere rem omnem ſuis in manibus & iudicio relinquere

Franciſci arbitrio Granierij & Boëſtaci ſententia relinquuntur.

& quamuis sanè difficultatibus quamplurimis hoc fuerit initio intricatus, ita vt quiuis alius terga vertisset, nihilominus in angustiis vires acquirere videbatur. Hæc rescripsit ad Fabrum. Non anteà potui mi frater illis tuis litteris respondere quàm hic idem qui tuas attulerat Camberium versus rediret, feciſſem id quidem libentissimè nulla enim cogitatio alia me dulciùs recreat quàm ea qua quotidie te mihi præsentem quoad expressissimè fieri potest efficio. Enimuerò tum post densissimas tenebras mihi lux quædam oboriri videtur, adeò mihi caliginosus est hic aër cui proculdubiò princeps tenebrarum harum de quibus loqueris præest. Post tuum enim discessum non cessauit animos horum hominum in deterius quodque obuoluere. Gubernator cum cęteris his Catholicis rusticos nec non & ciues secretis suasionibus ad conciones nostras conuocauit, rem Christianam rectè ac impensissimè promouit, sed quam primùm vidit Dæmon. Enimuerò tunc aduocato suorum Concilio per summam perfidiam fidem vicissim Tononenses quotquot sunt ex primariis sibi faciunt nullis se vnquam adfuturos Catholicis prædicationibus, nimirum satis non esset priuata cuiusque pertinacia nisi nefaria ac communi cohortatione in suam perniciem, Principis desiderio ac nostris conatibus illudant ac omninò ceruices opponant temulentas. Id actum est nudius tertius in vrbis ipsius ædibus publicis, cùm iam anteà abiissent in concilium impiorum hoc est per speciem matrimonij cuiusdam vti solet dirimendi conuenissent in suo quod appellant Consistorio in quo idem iam plerique inter se decreuerant. Quid faceres mi frater? Induratum est cor eorum, dixerunt Deo, Non seruiemus, recede à nobis, viam mandatorum tuorum nolumus. Nolunt audire nos qui nolunt audire Deum. Mihi autem videre videor quò huiusmodi perditissimi homines tendant. Nimirum vellent nos tandem rerum agendarum spe amissa ad discessum quodammodo compellere. At apud nos contra, quandiu per inducias & Principis vtriusque tum Ecclesiastici tum sæcularis licuerit voluntatem, operi instandum, nullum non mouendum lapidem, obsecrandum, increpandum, in omni qua nos Deus donauerit patientia & doctrina omninò ac firmissimè statutum est. Atque non modò conciones imo verò sacrificia si quis me iudice certare in hac palæstra velit quamprimùm fieri poterit instituenda sunt vti non tam animos demere nobis quàm addere suis artibus sentiat:

Francisci ad Fabrũ Epistola de statu Tononiensium.

Tononiensium pertinacia ob firmata.

Franciscus perseuerãdum, & instandum sunt.

sentiat inimicus homo. Verum ea in re magnam requiri video prudentiam. Non difficile erat Fabro quid de Franciſci reuocatione ſentire deberet ex his litteris intelligere; inconcuſſam molem medios inter fluctus aiebat eſſe neque præterea laborandum putauit niſi vt quo cœperat pede Saleſius pergeret, dubius tamen videri cupiebat in omnibus. Quæ de Sacroſancti Epiſcopi noſtri optimorúmque omnium gratulatione ſcribi poſſunt (aiebat denuò) ea tu & reputare tecum pro prudentia tua debes, mi frater, & ex conſobrini tui fideliſſimi relatione iã cogn oſcere potuiſti. Quę verò propriè mea ſunt, id eſt, quem ex abſentia tua dolorem capio etſi non ab alio quàm à me ipſo te intelligere æquum eſt, vereor tamen ne videar importunus ſi hanc amoris erga te mei ſignificationem adferam quæ tam inſigne pietatis tuæ officium aut quam ex officio percipis voluptatem incommode interpellet. Illud ſcito in ſumma omnium expectatione eſſe, quid præclarus iſte conatus enixurus ſit, nõ quod quiſquam, verendum exiſtimet ne tu ea omnia præſtare non poſſis quæ ab eximio & omni ex parte præſtantiſſimo viro expectari debeant ſed quoniam tibi cum eo genere hominum res eſt vt verendum ſit potius ne cum omnia præſtiteris margaritas ante porcos ſparſiſſe videaris. Itaque ſic pleróſque omnes affectos video vt ſi fœliciter cedet laudatores, habiturus ſis etiam improbos & perditos viros, non laudandi tui ſtudio vel impetu elatos, quod eſſet infamiæ proximum, ſed virtutis veritatiſque viribus fractos: ſin quod abominor, aliter eueniet boni ſanè conatum laudabunt, nec niſi hæreticorum inſaniam accuſabunt, peſſimi temeritati tribuẽt quod induſtriæ potiùs & charitati Chriſtianæ acceptum ferre deberent, omnes planè fatebuntur neque animum tibi defuiſſe ad audendam rem maximam, neque ingenium ad agendam, ſed ſæculi potius fœlicitatem ad peragendam, nec vllos fore puto tam iniquos bonarum rerum & alienæ ſolertiæ æſtimatores vt non plus tibi laudis ex propriâ induſtriâ quàm opprobrij ex aliena infamia accedere debere exiſtiment. Me hoc vnum malè habet quòd parentem noſtrum optimum de tuâ ſalute adeo anxiè laborare animaduerto vt vix perſuaderi à me poſſit nullo te vrgeri periculo; at ne quidem (ſic enim exiſtimo) vllâ periculi ſuſpicione. Confirmo tamen quantũ in me eſt & bono animo eſſe iubeo, id ſæpiſſimè aſſeuerãs de quo te nõ puto dubi-

Franciſcũ Faber ad perſeuerãtiam cohortatur.

Franciſcũ quàm Faber amaret.

tare nunquam me abs te discessurum fuisse si quam tibi vel minimam suspicandi periculi causam relictam existimassem. Te interim valere & bono animo esse cupio; nam si iuberem vereor ne tu me Gallicè potiùs quàm Latinè loquutum putares quasi prudentiæ & constantiæ tuæ diffiderem quæ mihi omnium maximè est explorata. Rem similem ex Bonauillano Falcinatum oppido scribebat Allingios. Nebulones istos Deus malâ perdat si diutiùs in tenebris versabuntur quarum fugandarum gratia lux mihi mea erepta est. Quamquam idipsum est quod me maximè consolatur, quod de præclaris tuis conatibus tàm benè spero quàm qui optimè, nec dubito quin tuam & industriam & diligentiam sed præcipuè pietatem Deus Optimus Maximus sit fortunaturus Camberio porrò sic mittebat. Tuas de hæreticis præclaras victorias plures maiorésque in singulos dies audio, tibique eo nomine vt & toti Christianæ Relligioni mirificè gratulor, vel ob id maximè quod ex ipsis Episcopi nostri litteris intellexi conatus istos Sereniſſimo Principi nostro non tantùm perspectos esse sed etiam probatos dignósque visos quos omni studio ac voluntate prosequi & adiuuare deberet. Venio ad posteriores tuas litteras, in quibus iucundissimum illud fuit quòd te video nihil de pristina ista animi alacritate remittere, nihílque non tentare vt si (quod abominor) minus fœliciter res succedet, ea sola tibi culpa obijci possit, quòd plus animi & ingenij habueris ad audendum, quàm ij omnes, quorum hac parte præcipua authoritas est, voluntatis ad adiuuandum. Sed illud sanè molestissimum est, quod conquereris nec immeritò, tam frigidè tantam rem ab istis tractari qui tàm præclaros conatus tuos & modis & artibus omnibus fouere deberent. Nihil autem miseriùs, quàm quod hoc tempore in quo pax ista precaria aut vt Virgilius loquitur sequestra tótque mensium firmatæ induciæ facere deberent vt benè sperare liceret, vix quisquam est qui præter te in hanc curam velit incumbere. Sed tamen si tibi mihique credis perge vt cœpisti in id vsque tempus quo desperatio non minùs probatam omnibúsque cognitam, quàm iustam habitura sit excusationem. Habebis tuæ fortitudinis virtutísque non modò testes sed etiam admitatores eos ipsos quos fautores habere vt decebat, non potuisti. Deum verò Optimum Maximum retributorem qui laborum tuorum æstimationem non ex perceptis fructibus

Francisci conatus Sereniſſimo Duci probati.

ctibus sed ex iis qui percipi potuerunt & debuerunt pro pietate sua initurus est. Quamquam vix mihi in animum cadere potest vt de tam piis, & quod præcipuum est piè habitis conatibus desperandum putem. Hæc scribebat magnus Faber, Boësiaco igitur in spem tum ab Episcopo cùm à Fabro aliisque synceræ dilectionis amicis adducto. Perrexit Cõuersionis Caballianę operi sedulã nauare operam Franciscus cúmque tãtisper auctum filiorum suorum numerum videret ita vt mediocrem iam Parœciam constituere possent figẽdum Tononi pedem statuit ne variis tẽtati necessitatibus noui Catholici ipso absente & ad auxiliũ tardo animo fortè deficerent. Fuit eiusdem Consilij Hermantianus Baro qui quanquam ægrè ferret tanti viri prẹsentiâ arcem suam destitui non mediocri tamen affectus est gaudio, quòd Catholicæ fidei res melius semper incederent. Tononi morabatur Nobilis Matrona Ioanna Manæa, Franciſci Faginei Principis procuratoris vidua cuius amicitia ex innumeris obsequiis iampridem toti Salesiorum genti comprobata erat, & Franciscum eo primo anno sæpius tum ad mensam cum ad pij studij conclaue exceperat. Hæc Apostolo quem filij nomine vt & eam ille matris vocabat, domum suam obtulit ad constantiores; quas vellet moras, atque ingens protinus lætitiâ Conuersorum animos incessit, quippe aiebãt, non est quod à luporum rabie tantoperè deinceps timeamus Pastoris nostri excubiis tuti, & reuerâ nullum in eis excolendis prætermittebat laborem Salesius & cum nulli omnino adhuc illis in tractibus essent Curiones ipse illorum officio optimè fungebatur: nam præter prædicationis munus infirmos visitabat exposcebátque singulorum necessitates, quo posteà & corpori & animæ prouideretur. Confessiones audiebat, Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum deferebat mira sanè cum industria, quia enim nondum religionis Orthodoxæ vllum actum publicè & solemniter exercere licebat, nec etiam sacrosanctum viaticum apertâ Catholici ritus reuerentiâ poterat absque periculo deferri. Franciscus tamen hunc modum inuenit. Argenteam thecam quam è catenulis pendentem collo imponeret fieri curauit suisque accersitis. Ecce (inquit) vbi Domini nostri Iesu Christi corpus infirmis communicandum reponemus, scitote verò & animaduertite, quotiescunque me graui procedentem passu opertum pallio, neminique salutem pileo refe

Franciscus Tononi pedem figit.

Conuersorum gaudium & lætitia.

Franciscus optimè Curionis fungitur officio.

Franciscus SS. sacramentum quam prudenter deferat ad infirmos.

referentem videbitis, Regem maiestatis mecum esse signum esto. Tunc sequimini tanquã aliud agentes & ego vos ad ægrum ducam. Prorsus res erat ob suam industriam laude dignissima, & pia plebs vt Pastorem suum sic euntem aduertebat non mora Sacramentum sequebatur, & vbi ad Catholicam domum accessisset positis genibus adorabat, interim dum Salesius excellentissimum hoc perficiebat officium. Ferebat semel hoc modo, cum Claudium Marinium virum Nobilem & Patronum Principalem offendisset in via, ille sæcularium quorumdam negotiorum cogitatione distractus subitò congressum, iniit, & hominis insolitam grauitatem non parum fixis in eius vultum oculis miratus est. At Salesius ne falleretur, vir alioquin probus, auri suæ admoto, ne mirère (dixit) Regem Regum & Dominum Dominãtium mecum porto, loquemur tuis de rebus aliàs nunc recede paulisper quæso, nec te mihi adhibeas perinde ac compar esses. Anhelabat inter hæc cœlesti amore totus, nec à lachrymis nisi vix temperare poterat: & ô (inquiebat) Domine, dominare in medio inimicorum tuorum, tum ad sui considerationem versus proferebat cum suspiriis quod aliàs non semel in simili repetiuit, etenim passer inuenit sibi domum & turtur nidum sibi vbi reponat pullos suos. Itáne ô Regina cœli, ô castissima Turtur, quî fieri potest vt pectus meum pro nido suo habeat pullus tuus? Dilectus meus mihi & ego illi inter vbera mea commorabitur. Addebat ad eximios istos pietatis & sanctimoniæ actus etiam amplarum stipium erogationem & quidquid à victu & vestitu erat illi residuum pauperibus liberalissimè distribuebat, immò cùm non haberet quod ex suo largiretur, ad extremam ferè ipse paupertatem redactus scribebat ad matrem vt ad tantũ opus quod placeret mittere dignaretur, Illa Egenorũ verè nutrix & mater, inscio siue cõscio Boësiaco ad chariss imum suum natum quos penes se reperiebat nummos mittebat protinus, & Franciscus acceptum totum erogabat. Rem agebat præterea quæ non modicum hæreticorum animos confusione perculit & conuersorum confirmauit, dum ad Diuinæ venerationis inflammatum quod habebat ardenti amore studium attenderent. Hyems erat rigidissima hoc etiam secundo anno, & Duranciæ pons lapideus in medio ruptus, traductitius tamen assis peditibus transitum dabat, sed aliquando glacie concretus inijciebat horrorem sese offerentibus.

Francisci in deferendo sacramento grauitas & Maiestas.

Francisci inter deferendum sacramẽtum teneritudines.

Franciscus erga pauperes munificentissimus.

Francisci ardentissimus zelus.

bus. Quid ageret Salesius? si celebrare vellet transeundum erat vt Ecclesię sancti Stephani Mariniani pagi commoditatem haberet. Facto prius Crucis signo, trabali illi ponticulo velut eques insidebat manibúsque & pedibus reptans non sine videntium stupore sese per illud lubricum adigebat eadémque cum industria Tononum reuertebatur. Secundam Quadragesimam assiduis concionibus non in vrbe dumtaxat verùm etiam in vicinis pagis peregit potenti adeò verborum virtute, vt eos quos obstinatissimos crediderat ad curiositatem saltem sibi alliceret, vnde sic ad fidissimum suum Fabrum scripsit. Iam mi frater latior simul & lætior patet ad Christianam hanc messem aditus. Heri námque parum abfuit quin Auulliacus cum vrbis Syndicis vti vocant ad concionem palam veniret, quod me de augustissimo Eucharistiæ Sacramento disputaturum audiuisset quo de mysterio sententiam rationésque Catholicorum ex me audiendi tanto tenebantur desiderio, vt qui palam nondum venire ne legis suæ immemores viderentur ausi sunt me ex diuerticulo quodam secreto audiuerint, si tamen per vocis meæ tenuitatem licuit. Ego hac iterum egi venatione, vt promitterem me sequenti concione ex scripturis luce meridianâ clarius dogma commonstraturum ac adeò tantis rationum momentis propugnaturum nullus vt futurus sit ex aduersariis qui non cognoscat densissimis se tenebris excæcatum, nisi qui humanitati ac rationi nuntium remiserit, his nimirum Rodomontæis propositionibus se ingeniúmq; suum ad arenam vocari rectè cognoscunt, ne videlicet si non veniant existimentur imbelles omninò, qui Catholicam vel homuncionis nescio cuius impressionem reformident. Res est in tuto: iam enim ad colloquia descendunt, mox (vt ex prouerbio dicam) ad deditionem venturi. Sic enim Crescanus Aduocatus nos docuit, Tononenses communi consilio confessionem (vti vocant) suæ fidei scriptis prolaturos, vti si quid à nobis differant, eâ de re familiari ac priuato colloquio vel priuatis scriptis agamus. Cúmque legationem hanc Ministro suo quidam imponere vellent, alij tutiùs contra fuere, ne nobiscum palęstram ingrediatur, ne subtilitatibus scholasticis vincatur, cum philosophiæ sit ignarus. Benè sanè, quandoquidem & per Vicarium pugnam suscipiunt; & tam exiguis copiis nostris aguntur, & de conditionibus proponendis cogitant. Nos verò erectis per Dei gratiam

Franciscus secundam quadragesimam cõcionibus peragit.

Auullia-cus & Cõsules Frãciscum audiunt ex diuerticulo.

Franciscum Tononiensium ingenium in arenã prouocat.

Tononiensẽs deponẽdis cum Francisco conditionibus cogitant.

animis concertationem hanc bona ſpe gaudentes expectamus. Hæc ille. Et Faber ſic reſcripſit. De tuo mi Frater ad Anicienſes noſtros reditu etſi ex multorum ſermonibus audiebam, ne tamen facilè poſſem credere illud faciebat quod nullis à te litteris de eo certior factus eſſem: quas cùm multis de cauſis auidiſſimè expectabam, tum ob hoc maximè vt ſcirem veniſſésne tantùm an etiam rediiſſes. Occurrebat enim quod de Attilio Regulo apud Pomponium noſtrum quodam loco legiſſe memineram, cùm à Carthaginenſibus Romam miſſus eſſet, non viſum eum poſtliminio rediiſſe quia dixerat ſe reuerſurum, nec animum habuerat Romæ remanendi. Etſi námque ſubuerebar ne qua temporis prorogatio & deſiderio meo & labori tuo accederet, malebámque te vbiuis gentium quàm inter perditos, & deſperatos iſtos helluones viuere, tamen non dubitabam quin ſi quid aut iam proficeres aut longiore moleſtiâ profici poſſe ſperares, nihil tibi adeò durum aut difficile videretur, quod non facilè concoqueres, ne tam præclari inſtituti te vnquam pœniteret. Nunc verò mirificam capio voluptatem ex conſtantia conſilij tui, cuius maiores quotidie fructus tibi totique Reipublicæ Chriſtianæ conſtare, inclinata iam ad partes noſtras victoriâ paratoque triumpho de Auulliaco cæteríſque non minorum dumtaxat gentium vt ſibi videntur Diis, ſed melioris etiam notæ aduerſariis, quorum alios intelligo argumentorum tuorum ſola recitatione fractos aſpectum congreſſumque tuum fugere (quid verò Deus bone, ſi dicentem & differentẽ audiſſent?) alios oblatæ diſputationi impares ſcripto agere decreuiſſe, hoc ipſo impudentes, quòd chartam quantumuis mendacem & impudentem non putant erubeſcere poſſe. Hæc Faber. Per hæc tempora Miniſtrum Tononi agebat Ludouicus Viretus vir non tam doctus quàm verſutus & decipiendis incautis animabus multum idoneus, ille multa de Saleſio tum inter concionandum cùm in priuatis colloquiis malè pronunciauerat, nec ita doctum aiebat vt primâ fronte videbatur, ſed Sophiſtam potius eſſe & Rhetorum figuras ſatis noſſe. Quid ergo ſi ita eſt (inquit ex ſuis non nemo) eum ad diſputationem non aggrederis? Quid pateris tandiu inſoleſcere? Iactat ſe publicè argumenta in promptu habere quibus nec Dæmon quidem reſpondere poſſit. Elicienda ab illo ſunt, vt ſi ſic ſe res habet non diutius contrariũ credamus. Animo

Tononienſes ſola argumentorum Franciſci recitatione fracti.

Viretus Miniſter Tononienſis Franciſcum Sophiſtam dicit.

nos

nos deficere ait,& pusillanimitatis damnat. Tentandus porrò est & tua interest ô Minister si quid in hoc negotio boni vel mali successerit. Actus his aculeis Viretus Ministerialis sui oneris socios conuocauit: Qui omnes opprimendum disputationibus Franciscum Salesium concluserũt. Demandata est præcipua aggressionis prouincia Vireto, reliqui suggestores, & susurratores sunt constituti. Indicta dies vt aduenit Tononensibus ad rei conspectum curiosè congregatis comparuit Ministrorum ictus expectaturus Salesius, at Ministri sua spe frustrati, (non enim Salesium solum compariturum existimarant) tergiuersatione hîc opus esse censuerunt, ne tamen inscitiæ aut pusillanimitati tribueretur, Viretum ad congregatos spectatores & Iudices mittendum esse qui renunciaret paratos se ad certamen. Veruntamen rem tanti momenti absque Principis consensu disertaque permissione nulla ratione aggrediendam, ne fortè in grauius detrimentum emergeret. Risit ad excusationem Salesius quam debilem nec recipiendam ostendit, testésque, quotquot aderant appellauit, si tamen in eam conditionem deueniendum esset & eam quoque se obtenturum promisit. Accessit mox ad Hermantianum Regulum qui Producis authoritate omnimodã eis cum Salesio, disserendi, disceptandi, conferendi, tractandique de suis controuersiis, publicè, priuatim, in vrbe, extra vrbem, quando & quomodo libêret licentiam dedit, necnon suo & signo & sigillo munitam inscriptis porrexit: verum nouas quotidie excusationes Ministris prætexentibus, ad pugnam nunquam eos Salesius potuit adducere. Quæ sanè socordia multum hæresi detraxit & Catholicæ fidei profuit, dum scilicet Hæretici suos Ministros de suorum dogmatum veritate diffidere iudicarunt, & Catholici suum Apostolum validissimum & constantissimum viderunt. Interea non parcebat labori Vir Angelicus, pergebátque seipsum & alios ornare virtutibus, Christianam humilitatem perfectissimè excolebat, noctes ferè integras in oratione trãsigebat, ipsúmque Deus cælesti sæpissimè suauitate consolabatur. Octauo Calendas Iunij die sacrosancto Domini nostri Corpori Festo hora tertia matutinâ, cùm de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento profundiùs meditaretur, in tantam rapi se sensit suauitatis abundantiam à Spiritu sancto qui eum aliqua cælestium gaudiorum scintilla, pro tantis susceptis laboribus in mercedem afficiebat, vt

Viretus disputationẽ Francisco indicit.

Comparet Frãciscus.

Viretus cæterique Ministri animo deficiunt.

Franciscus authoritatem pro Ministris ab Hermantiano obtinet.

Ministrorum socordia.

Franciscus suauissimè à Deo visitatur.

liquefacto tandem præ nimiis deliciis corde, ceciderit in terram, ſeſeque volutans exclamauerit; Domine, contine vndas gratiæ tuæ, recede à me, quia ſuſtinere non poſſum tuæ dulcedinis magnitudinem, vnde proſternere me cogor. Hoc voluptatis torrente potatus, ad ſacrificium mox ad concionem perrexit quam cum tanta peregit verborum efficacia, vt vibrare flammas rubente toto vultu videretur; Tononenſes quamplures ad dogmatum veritatem tracti, in odorem vnguentorum eius cucurrerunt vnus autem maximè vir doctiſſimus déque Iuriſprudentia meritiſſimus Petrus Poncetus Gexenſis Cauſarum Patronus qui tactus trahi etiam voluit. Quia tamen ampliorem Controuerſiarum explicationem quàm concionis tempus permitterret geſtiebat, Saleſium ſæpius adiuit, ſua dubia propoſuit, ſolutiones accepit iurauítque ſe breui palàm hæreſim poſiturum, ſed rei familiaris perdendæ timor, antiquorum amicorum obiurgatio, induciarum incerta duratio, currenti alioquin compedem iniecerunt. Tamen Saleſij ſuaſionibus rationúmque momentis fractus eius in manibus Catholicæ fidei profeſſionem publicè emiſit; Præſentibus ſpecialiter Simone Rupterio Sacetdote, & Petro Creſcano Iurium Doctore, decimotertio Calendas Septembris Tononi. Mouit cœterorum animos vir iſte clariſſimus, ingentíque mœſtitia cumulauit Geneuates apud quos magni nominis erat. Illi ſubitò vt ſunt mendaciorum ſubtiliſſimi artifices impudentiſſimíque, aſſeuerare auſi ſunt, ob relictam religionem ſuam non multò poſt eum crudeliſſimè à Dæmone vexari & pari petulantia Saleſium nocturnis exorciſmis abigendo immundo ſpiritui operam ſecretam nauare. Eodem tempore, Spondanum aiebant in pœnam fractæ fidei amentatum & furioſum in angulo quodam Galliæ deliteſcere, quin & gloriabantur quendam ex ſua ſchola Demoſthenem tanta verborum ac rerum vi Spondani rationes oppugnaſſe vt ſuſceptam ille religionem primùm, mox mentem ipſam abieciſſet. Cùm verò ſtatim Saleſius à Franciſco Girardo Eccleſiæ Sebuſianæ Præpoſito Spondanum ſeu eius librum, opportunè cum ſua recenti præfatione recepiſſet. Videte (inquit) ô populi Geneuenſium fidem! Quid non audeant de homine tot interuallis diſiuncto comminiſci qui in tantâ vicinitate tã audacter mentiuntur? Porrò de Põceto recuperato multi Franciſco gratulati ſunt, ambigebántque maiórne eſſet voluptas an

Poncetus Cauſidicus à Franciſco mouetur.

Publicè remittit hareſi nuntium.

Geneuates mendaciſſimi.

Franciſcus Geneuates mendacij coarguit.

an admiratio, non eorum dumtaxat, qui negotio magis quàm illi diffidebant, sed illorum etiam qui cum rem probarẽt vix tamen persuaderi poterant futurum vt tam citò tam vberes diligentiæ & contentionis suæ fructus constarent; quod minus ei opis & auxilij parari viderent ab iis quorum authoritate præcipuè geri res debebat, quàm necesse esset ad tantam rem fœliciter aggrediendam gerendâmque. Sic enim iam omnibus ferè persuasum erat, fore breui vt sacrosancta religio per tot annos ab iis populis explosa pristinam suam per eum recuperaret dignitatem, indéque tanquam ex armario munitissimo potentissimæ ad expugnandam Babylonem machinæ tandem depromerentur: non parui esse momenti virum tantum ac talem attractum vt sperare liceret non defuturos permultos qui exempli authoritate mouerentur; Quàm præ cæteris gratulatus sit Hermantianus Baro vix dici potest. Quasi certâ iam & exploratâ nedum inclinatâ victoriâ triumphum canebat, agénsque Camberij, Põcetum Salesij operâ & eruditione prædicabat ab inferis reuocatum, sacra Religionis Catholicæ tã seriò amplexatum esse vt tot Ministellis in posterum nullo negotio profligandis, pro ea qua inter ipsos fuerat authoritate, sibi vnus sufficere posse videretur. Aderat etiam tunc Camberij Antonius Possevinus Societatis Iesu, qui tot & tanta de filio suo Francisco Salesio audiensa, liorum congratulationibus suas adiecit, testabatúrque nihil se aut antiquius aut optatius vnquam habuisse quàm vt eum videret deque toto illo negotio alloqueretur, non solùm ne dubitare posset quin id consilij capiẽdum esset quod optimum vterque probaret, sed etiam vt quantum haberet ingenij, virium, & authoritatis totum id conatibus illis adiuuandis, fouendísque conferret. Misit ille velut messorem, selectum suum libellum de poëси & pictura, misit & Cherubinus à Mauriana Capucinus in congratulationem icunculam Virginis Matris Christum infantem dormiẽtem adorantis, in quorum munerum considerationem scripsit ad Fabrum Salesius. Ego cum nihil propemodum aliud hîc oculis reficiendis haberem, identidem præ manibus charum piúmque munus amantissimi viri sumebam. Libellum verò perelegantem dum primùm aperio næniola venustissima Virginis ad Christum infantem Horatij Torcellini sese obijcit. Hic ergo picturam pictam & dictam, ille picturam veram & factam dedit:

Possevinus Salesio gratulatur.

Cherubinus à Mauriana Capucinus Francisco gratulatur.

alter oculos templorum ſolitudine & vaſtitate obtuſos oblectauit, alter aures dudum horrendis blaſphemiis tinnientes recreauit. Quo nimirum ambo tam ſanctis piiſque muneribus pro ſua erga me beneuolentia altius mentis meæ oculis Chriſtum Dominum imprimerent. Hæc ille Miſit & Faber libellum ſuum de pœnitentia & amore diuino, quem cum Tononenſibus Saleſius oſtendiſſet cum encomio, mirati ſunt omnes. Inſanus tantum Miniſtellus cum in eo fœlicem culpam quæ tantum ac talem meruit habere redemptorẽ legeret. O blaſphemiam, ô Atheiſmum, Papiſmum inclamauit homo ſtultiſſimus & amentiſſimus. Saleſius verò quantâ potuit modeſtiâ per interloquutorem (quando ne quidem cum ipſo manus conſerere hactenus auſus fuerat) hominis petulantiam ratione caſtigauit. Non prætermiſit Congratulationem ipſe etiam Claudius Granierius Epiſcopus, ſub cuius authoritate hæc fiebant. Tabellarium non cum litteris tantum ſed cum muneribus quoque: miſit verè filium vocabat eum, & ſuæ ſenectutis baculum, immò baculum ſuum paſtoralem quo perditas oues reduceret, & quandoquidem tã benè cœperat ad perſeuerantiam hortabatur, multas eſſe inquiens tribulationes iuſtorum ſed de his omnibus Dominum liberaturum eos, tandémque ſuam illi denuò benedictionem impertiebatur. Franciſcus ad eum de rerum Caballianarum ſtatu reſcripſit in hunc ſenſum. Si quid hic actum ſit, quid nunc fiat ſcire cupis (vt te ſcire par eſt) mi Domine, ex Epiſtolarum diui Pauli lectione totum habebis. Indignus ſum qui ſim ei compar, ſed infirmitatem noſtram in ſuam gloriam Dominus coaptauit. Progredimur, ſed ægri in modum qui poſtquam lectum reliquit pedum ſuorum vſum amiſit & in infirma ſanitate neſcit plus nè ſit ſanus quàm æger. Ita eſt ſanè, Præſul digniſſime, Paralytica eſt hæc prouincia, & ego antequàm rectè ambulet de diſceſſu in veram patriam cogitare potero. Tuæ ſimilis pietas poteſt in ſuis ſacrificiis quod nunquam merebor, obtinere. Peccator ſum, præterea nihil, & gratiarum quas in me Deus ſpargit, omninò indignus. Scis hoc ſuper omnes (mi Domine) & æquè ac veritatem iſtam, omnia me in dies tuum tuumque facere humillimum obedientiſſimúmque filium & ſeruum. Dum hæc aguntur, Antonius Sammichaëlius Dynaſta Auulliacus qui iam in prima Saleſij cõcione Sancti Spiritus radios in in-

Franciſcus Miniſtri petulantiã caſtigat.

Granierius Franciſco gratulatur.

Franciſcus ad Granierium de ſtatu Caballij ſcribit.

Auullia cus de Cal. uipianis

terioris

terioris hominis præcordiis senserat, Ponceti exemplo motus, de Ministrorum socordia indignatus, de Sereniſſimi Ducis voluntate certior, pietatis & doctrinæ quam vbique Salesius præ se ferebat luculentus approbator, & ipse de Caluinianis dogmatibus malè cogitare cœpit. Salesium primò concionantem aliquoties audiuit, mox secum in disputationem descendit: erat enim oppidò de litteris benè meritus, & qui cum Bernensibus Geneuensibúsque hæreticis sæpissimè de rebus variis contulerat, Salesius hunc aliter à cæteris tractandum ratus, non tantùm in refutandis apud eum Caluini erroribus quàm in exponenda Catholicæ fidei veritate, antiquitate, soliditate, maiestate, & synceritate laborauit. Præterea nouatorum mendacia quæ passim tum in sacris bibliis tum in aliorum authorum editis libris reperiuntur ad digitum commonstrauit, ille tantò ardentior quantò profundiùs secum voluebat omnia, Salesij congressu & consuetudine satiari non poterat, & quia variis in vrbe occupationibus ambo distracti à suis collationibus desistere cogebantur, de solitudine consilium inierunt. Sylua erat ad duo circiter milliaria Tonono densis arboribus quercubúsque vt plurimum consita in cuius medio pratum liberam deambulandi commoditatem præbebat, in hãc Salesius & Auulliacus quotidiè ferè ibant, adhibitis duobus tantum seruis, quibus cum ad locũ peruenissent eminus stare iussis, duarum & trium aliquando horarum spatio disputabant. Tandẽ Auulliacus fortioribus quibus se concuti sentiebat argumentis chartæ confisis ad Ministros Geneuenses & Bernenses misit cum obtestatione vt ad minimum seriò responderent, aliter abiuraturum se quidquid ab iis didicerat. Tulit aliquas suæ conuersioni moras res hæc quam Salesius prudentissimè in conditionem acceptarat, ne scilicet deinceps tergiuersationis materiam vllam præsumeret, & vt de rebus omnibus in integrum informatus posset ipse fidei vallum esse, verùm cum nullam haberet responsionem, ad Salesium rediit & ab ipso pleniſſimè instructus Romanæ Ecclesiæ vnitatem recognouit, ex eóque verã esse professus est: voluit autem ad conuersionis suæ solemnem actum vniuersum populum conuenire. Quare publicè corã Tononensibus quamplurimísque ex Geneuensi spelæo non mediocris notæ hominibus, peccatorum generali confessione ad Francisci pedes prius factâ, Caluinianos errores detestatus est, & se Catholicum Apostolicum

dogmatibus malè cogitare incipit.

Disputat cũ Francisco.

Mittit ad Geneuẽses & Bernat. Francisci argumẽta.

Auulliacus publicè abiurat hæresim.

ſtolicum & Romanum lætabundus pronunciauit. Tononenſium plurimi idem quoque exemplo fecerũt. Hoc recuperato euerſa hæreſis & è Caballio recedere coacta dicebatur; mirum quàm breui tempore creuerit conuerſorum numerus. Gauiſus eſt Poncetus de adiũcto ſibi Auulliaco, & Auulliacus deinceps totos conatus pro tuendâ ſuſceptâ fide expugnandáque abiuratâ impendebat, Saleſiumque ſupremis extollebat encomiis. At Geneuates incantatum eum à venefico Saleſio inquiebant, & Antonius Fayanus ſecundus à Beza Miniſter, poſt tentatas omnes vias vt in barathrum rurſum deturbaret, Iturum ſe Tononum promiſit, oſtenſurúmque luce meridiana clariùs in Saleſij præſentia quàm vana eum doctrina in Romanam religionem abſtuliſſet. Auulliacus Fayani verba Saleſio confeſtim retulit, & Saleſius mira Fayanum videndi audiendíque cupiditate inflammatus ſollicitare nõ deſtitit vt ad diſputationẽ veniret, ſed ille ter, quater & pluries ab Auulliaco ad tenendum promiſſum ſuum inuitatus, per ſocordiam Viretanæ ſimilem nunquam è ſua ſpelunca auſus eſt mouere pedem. Tunc Saleſius aggrediendum ipſum ratus, aſſumptis ſecum Auulliaco, Petro Creſcano Cauſidico, & fidiſſimo Achate ſuo Ludouico Saleſio, nonnullíſque aliis Tononenſibus ſpecialiter ad teſtimoniũ rogatis, Geneuam profectus eſt, & recta diuerſatus ad Fayanũ. Territus eſt hoc aduentu Fayanus verumtamen niſi omnium ludibrio exponi vellet diſputandum erat. Adduco ad te, ô Miniſter (inquit Saleſius) Auulliacũ cui me conueniendi iampridem fidem dederas, vt peſſimè à me inſtructum vanáque informatum doctrinâ commonſtrares, & quandoquidem mutaſti conſilium, ego ad te veniendum cenſui, vt viderem num tu potiùs conuinci poſſes, elige ergo quos voles articulos, ego (propitio Deo) ſpero validis argumentis facturum vt videat te & tuos, vbi à Romana fide alieni eſtis ſtolidè, errare. Electis poſitionibus, trium horarum ſpatio de Eccleſiæ vnitate, Euchariſtiæ Sacramento, Bonis operibus, Purgatorio, Sanctorũ inuocatione aliíſque cõtrouerſis dogmatibus calidè admodum diſceptatum eſt. Fayanus ad aſinorum pontem (vt vocant Logici) redactum ſe ſentiens quærebat ſubterfugia: verum Saleſius acrius & inſtantius arctatum premens ſic tandem perculit, vt in iram ſeu potius furorem verſus Miniſter, inſanis verbis interruperit diſputationis ſeriem. Auulliacus tunc ab obiurgationibus abſti

Geneuates incantatũ Auulliacũ inquiunt.

Fayani miniſtri ſocordia.

Franciſcus Geuenam proficiſcitur cum Auulliaco.

Diſputat cũ Fayano

Fayanus conuictus in furorem vertitur.

abstinere non potuit & quòd tandiu à Ministris seductus fuisset, amaro prorsus animo lamentatus est, scripsit deinde de sua ad veram fidem conuersione libellum perelegantem, quem Lugduni typis mandari curauit, & Salesius hac de re non tantũ ad Episcopum Granierium, verum etiam ad Sereniſſimum Ducem & Supremum Pontificem litteras misit, qui sanè Pontifex per Apostolicum suum Nuntium Iulium Cæsarem Riccardum Archiepiscopum Barensem Taurini residentem Salesio congratulatus est, & ad Auulliacum has sub forma Breuis litterasdirexit. Dilecto filio Antonio à Sancto Michaële, Domino Auulliaco. Clemens Papa Octauus. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Ex litteris venerabilis fratris Archiepiscopi Barensis nuntij nostri Apostolici apud filium nostrum singulariter dilectum Sabaudiæ Ducem accepimus multo cum spirituali gaudio quanta fecerit tibi qui potens est, & diues in misericordia. Qui te ab ineunte ætate mortiferâ hæresum doctrinâ imbutum ex profunda illa & densissima errorum caligine dexterâ sua potenti eduxit & transtulit in admirabile lumen suum, vt Catholicam veritatem agnosceres & reciperes, & ad hanc vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, extra quam non est salus, confugeres, quæ te intra maternum gremium cupidè excepit ex eisdem litteris cognouimus, quemadmodum omnes hæreses & veteres errores detestatus sis & magnam verè pœnitentis & contriti cordis significationem dederis. Benedicimus Deum cœli qui fecit tecum secundùm magnam misericordiam suam, neque est passus te diutius iacere in tenebris & vmbra mortis, virum istâ generis nobilitate, belli pacísque artibus instructum & iis animi ornamentis excultum, quæ nobis nõ sunt ignota. Gratulamur Ecclesiæ Catholicæ, Gratulamur Principi tuo Duci, qui te meritò amat & plurimi facit: gratulamur etiam fœminæ primariæ coniugi tuæ, cuius lachrymæ & orationes ascenderunt in conspectu Dei & eius diuina ope te Christo lucrifecit. Tu verò fili vade & narra quanta fecerit tibi Deus, & qui antea cum Saũlo Ecclesiam Dei persequutus es, & nunc cum Paulo quantùm pro tua virili potes eamdem defende & ædifica, interea has ad te nostras dare voluimus indices & testes nostræ in te beneuolentiæ, tibíque nostram paternam & Apostolicam benedictionem amanter impartimur. Datum Romæ apud sanctum

Pontificis ad Auulliacum Apostolica littera.

Marcùm ſub annulo piſcatoris die vigeſima Septembris milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, pontificatus noſtri anno quinto. Syluius Antonianus. Hæc ad Auulliacum Pontifex quæ dum ſcriberentur ampla meſſis in Eccleſiæ horrea à Saleſio inferebatur. Accurrebant ſapientiores hæreſim abiuraturi è præcipuis autem fuerunt Gabriel Sammichaëlius Auulliaci gentilis, Ferdinandus Prezius, Dominus Corſellanus, Ioannes ſapiens Dralliantinus, Stephanus Villanus Aquianenſis, Iacobus Perrinus Montagniacenſis, Anſelmus Querneus Margencellenſis, Petrus Grangia Lugrinenſis, Andræas Creſcanus Maxilliacenſis, Gulielmus Cocho, Alingianus, Ludouicus Carralis Montignienſis aliique benè multi. Eodem tempore coniecturarum iuris ciuilis librum ſuum duodecimum conſcripſit Antonius Faber quem cùm per varias litteras Saleſio promiſiſſet, tandem cum hac Epiſtola dedicauit. Nobiliſſimo & Clariſſimo viro Fratrique ſuauiſſimo Franciſco Saleſio Eccleſiæ Cathedralis Gebennenſis Præpoſito Antonius Faber ſalutem plurimam dicit. Amaui te mi Saleſi, & pro eo ſanè ac debui, colui plurimùm, prius etiam quàm vel tu mihi de facie notus eſſes, vel ego tibi. Inuitatus nimirum permotúſque ſolâ percelebris tui nominis famâ, & admiratione virtutis, quâ nihil eſt vt ego quidem exiſtimo, ad ſociandas conſtringendáſque hominum vel diſiunctiſſimorum mentes efficacius. Poſteà verò quàm per humanitatem tuam aditus mihi ad amicitiæ tuæ ſacra, & familiaritatis penetralia liber patuit, tantam ſenſi voluntatis erga te meæ factam acceſſionem, vt mirarer, puderétque non ità me iam ante affectum fuiſſe, nullus vt acceſſioni locus relinqueretur. Sic enim quaſi ea quæ oculis cernuntur mihi viſus ſum intueri, non ſolùm quàm me amares, ſed etiam quàm amari deberes ab iis quoque quos nulla tibi neque neceſſitudinis neque officiorum magnitudine deuinxiſſes. Nam quis obſecro, niſi planè inſulſus, καὶ ἄμουσος tam multa, támque præclara ingenij tui decora & ornamenta non ſuſpiciat, amet, veneretur? Illud verò quàm mirabile, nouúmque in iſta ætate, quæ in integrum reſtitutionis auxilium implorare adhuc poſſet, ſi quid fortè ſuperioribus annis per inconſultam facilitatem peccaſſes, eam te ſapientiæ, eruditionis, & eloquentiæ laudem aſſequutum, vt coniunctis Theologiæ ac Iuriſprudentiæ grauiſſimis diſſimillimiſque ſtudiis, vt cùm in vtraque ſcientia excellere te omnes

Caballianorũ multi Franciſci in manibus hæreſim abiurant.

Faber conſecturarũ ſuarũ librũ duodecimũ Fraciſco nuncupat.

omnes videant, in vtrâ tamen excellas discernere nemo possit. Sed sunt istę fœcundi excultique ingenij, potiùs quàm recti animi dotes, quas licèt non nisi perpaucis datas, quos æquus amauit Iupiter, faciliùs tamen admirari, fortassis inuidere tibi etiam amici possent, quàm ob eas amare te cæteri, qui aliam amandi rationem non haberent. Amo ego magis tuam illam probitatem, prudentiam, temperantiam, æquanimitatem, cæteráque id genus beati, optiméque à naturâ & Philosophiâ subornati animi bona, quæ in aliis non nisi rarissimè singula, in te vno sic elucent vniuersa, vt neque maleuolorum, inuidorúmve calumniis obscurari queant, neque non amari & coli ab omnibus, præterquam si qui essent tam malè nati, vt virtutem ipsam odisse, summæ virtutis opus esse arbitrarentur: etsi hoc quoque ad felicitatem tuam accedit, quòd tuis laudibus omnes, vt æquum est, fauent. Hinc illa singularis erga te propensio Sereniſſimi Ducis nostri, qui Senatoriam dignitatem, quam plerique alij ambire tam anxiè solent, tibi nuper nihil minùs cogitanti vltrò iam destinauit, confestim haud dubiè collaturus, si plus apud te prudentissimi Principis iudicium, totiúsque amplissimi ordinis nostri expectatio, ipsa denique ratio quàm modestia tua valuisset. Inde etiã quod aspernatus es hucúsque verecundiore, quàm par esset, cunctatione, ac nescio quo ætatis prætextu (quasi ætatis vitium, aut delictum illud sit, quòd antè ætatem perfectè sapere didiceris) eximia ista virtutis insignia, ideò fortasse, quòd eiusmodi pleráque non pauci etiam sine virtute sunt assecuti: Hoc vnum tibi ad veram gloriam satis esse ducens, quòd tanti Principis, optimorum etiam & eruditissimorum omnium qui te norunt, conspirantia studia iudiciáque merueris, quæ sanè virtus sola & assequi potuit & promereri. Ego verò qui semper pluris faciendum credidi, si virtutum ac scientiarum præmia quis mereretur, quàm si possideret, sic te amo & obseruo, tanquam iis quoque plenum honoribus, à quibus temperasti: nec quicquam est quod té malim esse quàm Salesium, vt eâ te prosequar obseruantiâ, quæ & Sanctissimo Episcopo debetur, & grauissimo Senatori. Taceo quàm multas habeam proprias, planéque meas colendi tui causas, quas innumeris tuis in me beneficiis publicè priuatimque testatas vellem ego maximè, si per ingenioli mei tenuitatem liceret, publico etiam aliquo testimonio ingenuè profiteri, & iustâ con-

Virtutes omnes in Francisco.

stantique gratiarum actione sic complecti, vt non minùs gratum me ac memorem, quàm tibi deuinctum possies agnoscere. Neque rursum ignoro, quantum amori tuo, vel ob id maximè debeam, quòd dulcissimum fratris nomen inter nos commune ac familiare esse voluisti, vt quod vnum, honestissimo vtriusque desiderio negabatur, quoniam à naturâ impetrari non poterat, validioribus amicitiæ artibus extorqueremus: nec dubitare quisquam posset, quin verè fraternus esset amor, qui & abs te in me proficisceretur, & à me tibi vicissim redderetur. En igitur leuidense tibi in eam rem munusculum ex promptuario coniecturarum mearum, in quibus etsi scio nihil esse quòd vel tuis meritis, vel cupiditati meæ, vel denique mutuæ necessitudinis nostræ dignitati respondeat, omnia tamen consecutum me putabo, si efficere potero, vt hoc quantulocúnque monumento arctissimæ coniunctionis nostræ memoria feliciter ad posteros perferatur: nó quòd vsque adeò mihi blandiar, vt ista sperem, vel coniiciam aut æterna fore, aut longiores annos ferre posse, sed quia nihil est quod tam in optatis habeam, quàm vt si quod nominis mei post cineres vestigium extabit, neminem tibi me amiciorem fuisse, aut amicitiam tuam pluris vnquam feciisse omnes intelligant. Id pro incredibili tua erga me beneuolentia æquè tibi optatissimum & iucundissimum vt esse cupio, ita fore spero & confido. Benè vale, frater suauissime, & me, vt facis, ama. Sic scribebat & sic amabat Faber dum Salesius Apostolico Caballianæ cõuersionis operi addictus noctes atque dies sacris concionibus, priuatis colloquiis, peregrinationibus, sacrificiis, precibus, ac scriptis Theologicis impenderet. Dux Sereniſſimus de omnibus quæ ab ipso fiebant certior factus ipsum etiam propensionis suæ vt optimæ sic maximæ certiorem facere per litteras voluit, vnáque media quibus vltima adhiberetur manus quæsiuit. Salesius in hũc modum respondit. Quandoquidem, ô Dux, media quæ potiora ad hoc vt desiderium illud piissimum quod habes restitutos Ecclesiæ Catholicæ hos populos videndi suum habeat effectum, putarem, à me scire cupis, ego absolutè & syncerè dicam quod existimo. Necessarij sunt omninò certi reditus, qui alendis Concionatoribus sufficiant ad hoc, vt nulla alia occupentur cogitatione quàm vt populo Verbi diuini panem frangant. Quibus deficientibus ecce secundus transit annus, à quo absque interruptione vel

Francisci ad Serenissimũ Ducẽ Epistola pro restitutione religionis Catholicæ.

vel minimâ Tononi Conciones habuimus modico fructu, tùm quòd noluerint incolæ nos imperio tuo missos credere, quandoquidem miserè de diem in diem vitam nostram velut mendicare vident; Cùm etiam quòd in hanc rem operarios habere nequiuerimus, deficiente & domuum copia, & necessariis ad victum sumptibus, omninò extra spem positis. Cum & factæ huc vsque expensæ nequidem in solutionis speciem transierint. Huic autem rei attributæ Ministris hæreticis viginti & pluribus, antè bellum in his prouinciis pensiones sufficere possent, si tuæ celsitudini placeret, ô Dux, vt Concionatoribus Catholicis cum absoluta iussione addicerentur. Necessarium etiam esset restaurari & reparari templa, Curionibúsque qui Ecclesiarum curam habebunt competentes, eosque certos reditus assignari. Cùm Concionatores nulli peculiari loco addici possint, sed liberi esse debeant vt huc & illuc prout feret necessitas ad spargendum sacri verbi semen currant. Parandæ sunt inprimis Ecclesiæ Tononẽsis & Alingiensis constituendique in hac & illa Curiones, qui Sacramenta ministrent, quandoquidem in vna & in altera quamplures iam sunt Catholici, aliique in bona dispositione positi, qui his destituti spiritualibus commoditatibus miserè pereunt. Præterquam quòd non mediocriter res hæc ad Catholicæ religionis exercitium populum alliciet & assuefaciet, præcipuè si decenter celebrari officia possint, veluti cum organis, musica, cæterisque huiusmodi solemnitatibus in hac saltem vrbe, quæ totius Ducatus centrum est. Verùm quia frustrà spargeretur verbi Diuini semen, si vt hactenus in hac vrbe factum est, Pastorum consuetudinem populi euitarent & ab eorum prædicationibus fugerent. Credo firmiter, si ad vrbis Consules scribas, si Senatori alicui iubeas, ô Dux, huc vt veniat, tuæque Celsitudinis nomine ciues omnes in concilium cogat cum solemni habitu. Inuitet ad audiendas, ponderandas, serióque perpendendas rationes à Concionatoribus Catholicis pro ea religione propositas, è cuius gremio absque vlla vel ratione, vel persuasione, sed sola Bernatum violentia auulsi fuerunt. Et hoc quidem cum iis verbis fiat, quæ amorem & authoritatem boni Principis erga aberrantem populum sapiant: credo inquam, ô Dux, futurum vt leni violentiâ impulsi, iugũ tandem ardentissimi tui in eos studij libenter subeant, & à sua obstinatione deturbentur. Ad hoc autem maximè ido-

neus esset Antonius Faber Senator, pro ea qua pollet & virtute, & scientia, & industria, si à tua Celsitudine cõstitueretur. Non parum proficiet Auulliacus si præter exemplum familiari sollicitatione apud singulares agat, quod ipsum futurum ex optimâ dispositione certò scio. Post hæc erigenda est societas militum, siue peditum, siue equitum, quod vltimum melius erit ad hoc vt Caballiana pubes occupetur, & hæc quidem societas sub piis aliquibus statutis religiosè formari debet. Obstinati & contumaces Hæretici vt edicta sonant, quibuscunque muneribus priuandi sunt. Postremò, qui his omnibus Collegium Patrum Societatis Iesu adderet, totam viciniam, valde etiam in religione titubantem pietate perfunderet. Supereſt, ô Dux, vt Deo gratias agam, qui tot tantásque offert tibi occasiones excitátque & inflammat in corde tuo desideria præstandi illi obsequium, pro quo te dedit esse Principem & Dominum populorum. Non sine magnis sumptibus perfici potest hoc negotium fateor, verùm animarum salutem procurare supremus est Christianæ liberalitatis gradus. Tuus erit apud Deum Patronus Diuus Mauritius, quem tanto cultu prosequeris, & qui pro eiusdem fidei cõfessione hanc eamdem Prouinciam suis sudoribus rigauit & sanguine, ille in te vti præcipuũ & maximũ religionis Catholicæ restitutæ instrumentũ cælestium gratiarũ imbrem à supremo bonorũ omniũ fonte Deo deriuabit, sic pro tua prosperitate & incolumitate, ô Dux, oro, vt debeo quãdoquidẽ natus sum & educatus, viuã & moriar tuæ Celsitudinis humillimus obsequentissimúsq; seruus, subditus & Orator. Dux lectâ hac Salesij Epistolâ seriò ad omnia animũ applicauit, réque Apostolico Nuntio cõmunicatâ accersendum illum Consilio fuit scripsitque idcircò non multo temporis interiecto spatio. Interea magno cum huius negotij detrimento diem clausit extremum Sanioricianus Hermantianus Baro, & suffectus est in eius locum Toparches, Petrus Hyeronimus Lambertus, vir sanè optimus, sed qui Caballianorum animos non vti Hermãtianus possidebat, & Salesius nouis curis iisque prægrandibus oneratus est, quippe laudauerat Romæ eius in reuocandis ad Ecclesiæ caulas Hæreticis diligentiam, impensissimúmque studium supremo Pontifici Pater Spiritus Balmensis Ordinis Capucinorum Religiosus, miríque cum encomiis eius suauitatem ingenij, sapientiam, eruditionem, pietatem, industriam,

Dux per litteras Francisci accersit.

Hermantianus obit.

Spiritus Balmensis Capucinus Romæ Frãciscum laudat.

duſtriam, cœteráſque dotes extulerat, necnon de tentando per ipſum Theodoro Beza ſecundò Geneuenſis Babylonis Antichriſto conſilium Papæ optimo dederat. Ardua res erat, verùm quæ Caluinianã ſectam debilitaret admodum ſi in fœlicem exitum ſuccederet. Quare Pontifex nihil intactum relinquendum ratus, ſecretis Patri Spiritui confiſis has Apoſtolicas ad Saleſium litteras dedit. Dilecto filio Franciſco de Sales Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Gebennenſis Clemens Papa Octauus. Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Narrauit nobis vir religioſus frater Spiritus ex Ordine Capucinorum verbi Dei concionator, de tua pietate & zelo diuini honoris, quod pergratum nobis accidit. Idem autem quædam noſtro nomine tibi exponet, quæ ad Dei gloriam pertinent, quæque nobis cordi ſunt maximè. Tu fidē illi cumulatam habebis, perinde ac nobis ipſis, eámq; diligentiam adhibebis, quam à tua prudentia, & deuotione erga nos atque hanc ſanctam Sedem expectamus, tibíque paternè benedicimus. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo piſcatoris, die prima Octobris milleſimo quingentiſimo nonageſimo ſexto. Pontificatus noſtri anno quinto. Syluius Antonianus.

Clementis Octaui Apoſtolicæ ad Franciſcũ litteræ.

Accepit has Saleſius ab eodem Spiritu Balmenſi, vnáque Pontificis deſiderium quod in ſecretis erat, de modo, ratione, ac conditionibus Bezam tentandi & iam de itinere Geneuenſi cogitabat, cùm ecce aliæ à Sereniſſimo Duce profectæ litteræ aliam etiam profectionem iuſſerunt. Iubebat Dux vt quàm cito fieri poſſet ad ſe veniret, vt de modo ſtabiliendæ apud Veragros religionis Catholicæ ſuis conſiliis ſeriò & amplius prouideretur. Ille de tam pia Principis voluntate & opportunâ occaſione lætiſſimus, Bezámque aliàs tutiùs fortè & maturiùs tentari poſſe ratus præcipuè ſi quid egregij in Caballio ſupremâ authoritate fieret, paruit Ducis imperio. Exibat menſis Nouember, & ſæuiebat iam diris cum frigoribus rapidiſſimíſque Aquilonibus Hyems, nihilominus tamen viam iniit per Penninarum Alpium præruptos calles, & æterna pene glacie concretos. Cúmque in eum veniſſet locum vbi Monaſterium olim ſeu Xenodochium Diuus Bernardus Mentonius conſtruxerat, Montem Iouis veteres appellabant, tam inſolenti circumactus eſt tempeſtate, (quippe ventorum rabies altiſſimas niues huc & illuc diſpergebat, inuiáſque reddebat vias) vt in incerto quò tenderet ignoraret, nimióque

Franciſcus accipit à Sereniſſimo Duce litteras.

Franciſcus Taurinorũ Auguſtam proficiſcitur.

Franciſcus in Peninis alpibus penè congelatus.

que præ frigore penè ſeruaret animam; Tandem in Xenodochium appulit ſtatuę ſimilis quàm vix equus ferret. Religioſi nullum in eo fouendo prætermiſerunt obſequium, conatíque ſunt quouſque depreſſa eſſet elementorum ſæuitia retinere ne fortè peius accideret narrabant ſe diebus proximè præteritis homines in viis reperiſſe mortuos congelatos. Hæc ſanè Rollandum qui eum ſequebatur terrebant, & quemuis alium terruiſſent: Verùm ille prægrandi ſalutis animarum ſtudio inflammatus, ſub Dei prouidentia vlterius procedendum aſſeruit, & ſic ſuperatis tot rudibus iugis Auguſtam Taurinorum fœliciter peruenit. Dux eo viſo, humaniſſimeque excepto Iulium Cæſarem Riccardum Archiepiſcopum Barenſem nuntiúmque Apoſtolicum, Cancellarium ſuum cæteróſque ab intimis conſiliis viros Clariſſimos accerſiuit, datáque Saleſio loquendi iuſſione ſic differentem audiuit. Reſpondi nuper tuæ Celſitudini, Dux Sereniſſime, ad ea quæ

Franciſcus fusè coram Duce de Caballij ſtatu diſſerit.

à me ſcire geſtiebas circa piiſſimum illud Conuerſionis Caballianæ negotium, aperuíque quod ſentiebam. Nunc ad ampliſſimam explicationem vocatus repeto neceſſarios omnimodè eſſe

Pro Concionatoribus.

alendis concionatoribus reditus; Reſtaurandas ſacras ædes, ad-

Pro Curionibus.

uocandos ſtabiliendóſque Curiones: terrendos diplomate incolas, abigendos ab Officiis hæreticos, occupandam Catholicis armis iuuentutem; Fugandos Tonono præſertim, Miniſtros; Fun-

Pro Ieſuitis.

dandum Ieſuitarum Collegium: fouendos ornandóſque dignitatibus viros Catholicos: & liberali comitate cõuerſos proſequendos. Addo iam ſi rem per partes habere cupis, concionatores octo ad minus impræſentiarum eſſe debere, qui liberi ſint, nec vllis aliis negotiis impediti, vnicuique verò centum aureos nummos quò viuere queant quotannis aſſignandos. Quod ad Curio-

De Paræciis vniendis.

nes attinet & ſacras ædes. Quia cùm pleræque penitus deſtructæ ſint & euerſæ, in immenſum procederent ſumptus ſi quis eas reſtruere vellet, ideò plures parœcias in vnam iungendas, atque ita

Pro Vicarijs.

ſufficere ſi quindecim aut ſexdecim Curiones ſint. Quia tamen iis Curionibus ſic conſtitutis neceſſarium erit habere Vicarios, qui in diſtantes Eccleſias ſiue Parœcias pro Sacramentorum adminiſtratione, ſolatióque & leuamine Curionis eant, duplicem idcircò portionem dandam eſſe, tum prętęr hoc officium vt concionatores poſſint excipere cùm etiam vt ſiue ad exemplum ſiue ad obligationem ſtipem pauperibus erogent. Vnuſquiſque

ergo

ergo sub tali onere Curio præter domum, hortum, pratum & agrum aliquem centum & sexaginta aureos nummos habere deber. Vrbs tamen Tononiensis aliud postulat cùm sit Caballij Metropolis: nam in ea vt decenter diuina peragantur, Curioni sex vel plures necessarij sunt sacerdotes, propterea quadringẽtis aureis nummis opus habebit. Ante omnia, ô Dux, ducenti nummi aurei, quos hactenus insumpsimus soluendi sunt. Quod de Iesuitis dixi, si tam citò haberi nequeunt, at saltem Catholicus interea ludimagister habendus est. Censeo præterea. Est apud Hæreticos Concilium quoddam (Consistorium vocant) ex laicis hominibus sub vno Præside conflatum, in eo correctiones fiunt iis qui ebrij inuenti fuerint, choræas cum excessu duxerint, superflui vel in vestibus, vel in conuiuiis sint, in rixis vel cum coniunge coniux, vel cum filio pater, vel cum patre filius diu morentur, obscæna verba protulerint, fescennina carmina cecinerint, Dei nomen in vanum sumpserint, aut in his aliis similibus quæ magistratus negligit deliquerint. Quæ res in quantum per prauæ religionis fundamentum permittitur, populum aliqua saltem ratione coërcet. Bonum erit si populo ad Catholicam fidem conuerso nonnulla huius consistorij forma relinquatur. Cum hac tamen mutatione vt præsideat vnus ex Concionatoribus ab Episcopo constitutus. A Consiliis habeat Seniores & nobiliores partim Ecclesiasticos partim laicos, & inter laicos quidem sit vnus ex tuæ Celsitudinis Officialibus qui decidere possit. Hîc fiat correctio secundùm præceptum Euangelicum cum charitate, infligatur cùm expedire videbitur aliqua leuis pœna, pecuniaria etiam quę pauperibus, & Ecclesiarum reparationibus applicetur, corporeâ verò non vltra ieiunia, & incarcerationem, quæ tamen nullam afferat infamiæ notam extendatur. Hæc sunt quæ vrgent, & quorum exequutioni nulla facienda est mora. Iam verò scire debes, Dux Sereniſſime, si vlterius tua pietas procedendum omninóque Caballium tuum in pristinarum rerum statum reducendũ statuit, vt Paroeciales Ecclesię olim citra Durantiã ad numerũ quinquaginta duarũ vsque ad Geneuam & in agro Terniacensi ad numerũ nouemdecim ascendebant, præter Abbatias, Prioratus, Conuentus, vt vocant, & sacella quamplura, & bona quidem stabilia ferè omnia à Bernatibus alienata fuerunt. Quædam personæ Ecclesiasticæ nonnulla ex eisdem

Pro vrbe Tononiẽsi.

Pro Consistorio.

Amplior de Caballij statu instructio.

beneficiis Canonicè obtinent, reliqui verò fructus militiæ Ordinis ſanctorum Mauritij & Lazari à Gregorio Papa decimotertio, decima tertia menſis Iunij anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi noni, ſui Pontificatus anno octauo vniti ſunt, & ex eis quędam Præceptorię erectæ. Vides quò tēdam Dux,& quid agendum; ſumendi ſunt neceſſariò ex his fructibus,alendis Curionibus & concionatoribus, reſtaurandiſque dirutis Eccleſiis reditus.Quid enim aliter?Tu ſupremam hac in re poteſtatem & authoritatem habes tanquam illius miſitiæ Magnus Magiſter. Atque hic eſt Caballij tui ſtatus, ô Dux.Vaſtatam penitus Prouinciam ſi dicam non mentiar, Tuum eſt de reſtauratione prouidere; ego pro virili meâ viginti ſeptem iam menſes in miſera illa regione propriis ſumptibus tranſegi, vt Diuini verbi ſemen ex tuæ Celſitudinis voluntate Epiſcopo meo ſignificata ſpargerem inter vepres dicámne,an ſuper ſaxa? Certè præter recuperatos viros duos Poncetum & Auulliacum parum eſt de reliquis, ſed Deus meliora; & tu Princeps religioſiſſime, non ſines conatus iſtos euaneſcere,immò qui magni nomen iam ex ipſa pietate tibi comparaſti, hanc de crudeliſſima Hæreſi victoriam paratis tuæ virtuti cæteris antepones. Hæc primò egit Saleſius & Dux quidem Apoſtolici viri ſapientiam,ſtudium, ſolertiam,ac ſynceram pietatem cum encomio miratus, iuſſit mandari chartis quæ dixerat, darique & ſibi, & Nuntio, & Cancellario. Accerſiuit mox ex Lazareanis Equitibus præcipuos, inter quos fuerunt Thomas Bergera & Ioſephus Ruffianus,viri de multarum rerum experiētia bene meriti,& Bergera quidem à ſua Religione commiſſus fuit & conſtitutus non tantùm vt ampliſſimè de rebus omnibus cum Saleſio conferret, verùm etiam vt in Sabaudiam hac de cauſa proficiſcererur. Interim data eſt Saleſio fides de omnimoda cooperatione tam pio operi permiſſumque eſt ei cùm redierit ſex Curiones à militia alendos eligere. Rē omnem Barenſis Archiepiſcopus proſequi pollicitus eſt, & ſic à Concilio Equites ſunt dimiſſi. At Dux Sereniſſimus, qui dum Franciſcus loqueretur,leonem (vt aiunt)ex vngue cognouerat,plura ab ipſo ſcire voluit, interrogauit de omnibus quæ agebantur & agenda erant in Sabaudia pro communi populorum ſuorum bono.Inter cætera autem de Geneua quid exiſtimaret,ſcire voluit. Saleſius certè qui rem vt erat perpendebat ingenuè dixit; Hac

Dux mirum in modū Franciſcum laudat.

Franciſco Dux fidem dat omnimodam.

ciuitate

ciuitate domitâ non dubium esse quin Europæana Hæresis vehementi deinceps concussione & debilitate laboraret: est enim sedes Satanæ, & qua Hæresim per vniuersum orbem dispergit, qood ex his capitibus patet. Primò. Geneua Caput est Caluinismi, nam in ea Caluinus & Beza domicilij sedē elegerunt. Secundò. Omnes reformatæ, vt prætendunt, Gallicanę Ecclesiæ in iis quæ ad doctrinam, imò verò in multis quæ ad politicam spectant Geneuates consulere solent. Tertiò. Reliquæ omnes Hæreticæ vrbes Geneuam velut asylum & Ciuitatem sanctam venerantur, & hoc ipso anno venit è Tectosagum Prouincia insignis Hæreticus vt Geneuam videret, non secus ac Catholici Romam petere solent. Quartò: non est in Europa ciuitas, quæ maiora habeat ad fouendam Hæresim commoda. Non enim te latet Dux, quàm optimè sita sit in ipsis si sic dicendum est, Galliæ, Italiæ, & Germaniæ foribus, adeò vt in ea ex vniuersis Prouinciis hæretici homines viuant, Itali, Galli, Germani, Poloni, Hispani, Angli, & ex ipsis etiam remotioribus regionibus. Quanto præterea Ministrorū numero scateat palàm est omnibus: elapso anno viginti ex ea Babylone in Galliam emerserunt. Anglia ipsa Ministros Geneuenses aduocat. Quid dicā de prelis quę habent amplissima & munitissima, vnde in omnem terram pestiferos libros spargunt. Expensis etiam publicis in varias vrbes distribui curant: & hoc anno pessimus Rupichandieuij libellus ad septingentorum aureorum summam liberalibus donis cucurrit. Accedunt ad hæc scholæ, ad quas plerique nobili sanguine orti iuuenes aduolant ex Francia. Testis Spondanus, ex Germania. Testis Pater Ludouicus Capucinus Magni Saxoniæ Cancellarij filius, qui in iis studuit. Nec mittenda sunt assidua concionum, lectionum, collationum, disputationum, & librorum compositionum exercitia & alia his similia quæ hæresim mirum in modum fouent. Quintò: Quæcumque in sanctam Sedem & Catholicos Principes consilia capi possunt ea Geneuę capiuntur: Quid autem hac de re te alloquar Dux Serenissime? qui toties perduellionum horum fraudes & pellacias detexisti? Sextò: Estne in Europa Ciuitas, quæ tot Apostatas ex omni Ecclesiastico, siue sæculari siue regulari gradu recipiat? Res seipsâ patet. Ex his capitibus concludo tandem euersâ Geneuâ Hæresim deinceps dissipatum iri. Et nî fallor prodessent huic consilio quæ diu cogi-

Franciſci de Ciuitate Geneuenſi ſententia apud Ducem.

Geneua euerſa diſſipari Caluinianam hæreſim neceſſe eſt.

taui. Nimirum si in Caballium agrósque Gexensem, Galliardensem & Terniensem egregij Concionatores mittantur, quales extrahi è Societate Iesu possent, aut Capucinorum ordine, verùm & permanentes esse oportet & calentes. Quomodo autem permanere possint nisi viuant & absolutam habeant à supremo Pontifice iussionem non satis impræsentiarum video. Qua etiam de causa necessarium esset Tononi Iesuitarum Collegium. Præterea habendus est Anicij Typographus, qui possit multa in lucem edere quæ à Viris doctis in Hæreticos scribũtur, & sic clauum clauo pellere. Quæres vnde ali possit Typographus iste in parua vrbe? Cõtribuet quod poterit Collegium Chapuisianum. Et summus Pontifex facilè fortè dabit exoratus pensionem centum nummorum ex superfluis Abbatiæ alicuius seu Prioratus reditibus capiendam; Quidni tam pio operi applicari possit præbenda illa (vt vocant) quam Tallorienses Monachi viro laico ad cædenda ligna cõcedunt? Multi cõuersionis tenentur desiderio, sed timore paupertatis detinentur, & hoc ego experientia cõpetum habeo. Quod verò remedium? Erigenda esset Anicij vel Tononi domus vna ex earum nomine quas Misericordiæ dicimus, vt qui mechanici sunt laborare hîc & viuere queãt; & præterea Seminarium pro iis qui litteris vel incumbũt, vel iam de iis bene meriti sunt. Quot habes, ô Dux, in tua Sabaudia opimas Abbatias huic rei ex summi Pontificis beneplacito applicandas, in quibus Monachi solo dumtaxat hoc nomine destruunt potius quàm ædificant? Quid moror? deficientibus sanè pecuniis animo plerique deficiunt. Vbi ad vitam necessaria suppetent videbis quàm multi Geneuẽses cęteras alias vrbes incolent. Sunt ista exigua & lentissima remedia fateor; sed quid aliud? cùm per sęculi plusquam ferrei infœlicitatem potiora nõ liceant? Rectè dicis, (inquit Dux) simúlque eleuatis præ miseratione armis, amaram de temporis iniuriis lamentationem contexuit. Salesius tamen sermonem continuare iussus. Cætera (inquit) ad Geneuensis hæresis destructionem propria, minimè sunt ex ratione genij ingeniíque mei; Habet in promptu, tua Celsitudo, plura quàm vnquam excogitare possem. Verumtamen vt ab Geneuensi argumento non egrediar, quandoquidem tua mihi benignitas, Princeps optime, fusioris sermonis faciendi facultatẽ concedit, nonnihil quod attinet ad humillimos tuos obsequentissimósque

Typographus Anicij habendus.

Domus misericordiæ Anicij vel Tononi erigenda. Seminarium item.

móſque ſeruos & oratores Canonicos Eccleſiæ Cathedralis ſancti Petri Gebennenſis exponam. Præteritis annis Dux, cùm in Sabaudiam veniſſes gerendi in Hæreticos belli cauſa ardenti propagandæ religionis ſtudio inductus, datis in eam rem patentibus litteris, declaraueras velle te vniuerſa quibus ſpoliata fuerat bona Eccleſiæ reſtitui, ſpecialiter Cathedrali Eccleſiæ Gebennenſi quæ ex præcipuis tuæ ditionis eſt, & inter præcipuas ſplendore & antiquitate prima, & hanc tuam voluntatem tuæ ſupremæ Curiæ Senatus & Rationum ratam habuerunt. Nunc cùm in Caballio ſacroſancta fides locum inueniat. Rogamus tuam Celſitudinem, dignetur ſcilicet iuſſionem eamdem facere ſeu extendere, qua miſerum illud Canonicorum Collegium in ea quæ antiquitus iure poſſidebat, præcipuè autẽ in Beneficium Curionium Eccleſiæ Armoënſis à longo tempore Capitulo vt vocare ſolemus vnitum. Niſi hæc ſcires, ô Dux, narrarem quanta paſſi ſint patiãtúrque quotidie miſeri illi humanis ferè omnibus ſubſidiis per ſummam perfidiam ſpoliati, & ciuitate tãquam fures eiecti, in mendicata Eccleſia diuina coguntur celebrare, quæ tamen ſic Dei gratia peragunt vt in nulla totius Europę Eccleſia, abſque inuidia dixerim, attenta extrema pene paupertate vnquam ſolemnius. Paulus tertius Pontifex maximus eorum ærumnas miſeratus conceſſerat quidem medietatem fructuum cuiuſlibet beneficij in Diœceſi vacantis primo anno vt aliqua ſaltem ratione reliquæ Eccleſiæ Matrici opem ferrent, Pius quoque quartus & Gregorius decimus tertius à decimarum perſolutione quęcumque tandem foret neceſſitas exemerunt: Nihilominus tamen elapſis annis octuageſimo nono, Nonageſimo & nonageſimo primo, omnia illius Eccleſiæ grana per ſuæ Celſitudinis Miniſtros ablata ſunt, adeò vt nullus Canonicus abſque emendicata vt ita dicam parẽtum aut conſanguineorum ope viuere vllo modo potuerit. Suprema tamen Rationum Curia pro iis ablatis granis deberi Capitulo pluſquam bis mille & ſexcentos florenos iudicauit. Quocirca, Dux Sereniſſime, Ratas vt habere digneris Pontificum voluntates rogaris humillimè, & pro duorum illorum millium ſexcentorúmque florenorum perſolutione ſi tua Celſitudo ſacras veſtes ad Eccleſiaſticum vſum curaret confici, glorioſiſſimè ſanè pietatem & munificentiam imitaretur, inclytorum Maiorum ſuorum, Sapientiſſimi præſertim Prin-

Franciſcus multa duci exponit pro Canonicis Eccleſiæ Gebennenſis.

Eccleſia Gebennẽſis antiquitate, ſanctitate, & ſplendore Allobrogicarũ prima.

Apoſtolicæ ſedis erga Gebennenſes Canonicos miſeratio & paterna amor.

Sabaudiæ Ducũ erga Gebennenſem Eccleſiam munificentia.

cipis Amedei Ducis primi, qui postquam Pontificatu in totius orbis tranquillitatem & pacem cessisset Gebennensis Antistes Ecclesiæ relictus cum augustissimis illius insulis diem in Domino clausit extremum. His dictis profundè inclinatus Salesius petiuit à Duce veniam si tantarum miseriarum molesto negotio. suæ Celsitudinis aures fusiùs fortè quàm data differendi facultas postulabat, occupasset: verùm tãtum Principem nihil horum latere debere inquiens, expectauit Ducis ad omnia voluntatem.

Ducis voluntas circa res Caballianas.

Dux velle se inprimis dixit Tononi in maiori Ecclesia sacrosanctum Missæ sacrificium ritu Romano & Catholico celebrari. Ecclesiastica bona Curionibus restitui. Tononenses in Concilium suarum intentionum capiendarum ergo ab senatore vno vocari. Amplissimam sibi redituum vniuersorum Ecclesiasticorum in Caballio instructionem exhiberi, vt deinceps omni meliori modo prouideat. Cathedralem Ecclesiam Gebennensem in Curionij beneficij Armoënsis à Geneuatibus hactenus vsurpati possessionem redire. Eamdémque à decimarum persolutione secundùm summorum Pontificum voluntatem exemptam censeri. De reliquo benè sperandum ait, sicque cum huius argumenti Epistola dimisit Salesium. Carolus Emanuel Dei gratia Dux Sabaudiæ dilectis Consulibus & Ciuibus Vrbis nostræ Tononensis. Habuisse vos continuò ab aliquibus mensibus sacros quos audiuistis verbi Diuini & synceræ nostræ fidei Catholicæ Concionatores cum ingenti gaudio accepimus. Speranres autem hãc vobis opportunitatem vestræ salutis iter patefacturam, eodem studio quo bonum illud vobis procurauimus vt eo bene vtamini etiam exhortamur: benè verò vtemini si ad rationum quæ vobis exponentur momenta attendatis, illarum pondera æquâ lance libretis, & vbi vobis difficultates superuenient eas concionatoribus proponatis. Nihil enim magis habemus in votis, nihil quod existat gratius quàm quòd vos in sancta Religione Catholica proficere audimus. Sic vos Deus seruet incolumes. Accepit præterea Salesius litteras alias ad Dynastam Lambertum Caballij Producem & ad Primarium Prætorem, quibus suam fusioribus verbis voluntatem Princeps optimus declarabat, tandémque per Alpes, quas paruo-Sambernardianas appellant, quia minus insolentes hoc itinere niues cogitauit Tononum faustus & incolumis rediit.

Ducis ad Tononienses Epistola.

Salesius Tononum redit.

DE

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI.

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER TERTIVS.

IRIPVDIABANT præ lætitia noui Catholici quæ Salesius gesserat audientes, extollentésque in cœlum manus & oculos laudabãt Deum, qui talem ac tantum dedisset negotiatorem. Hæretici verò frendebant, & cùm de Missæ celebratione in Vrbe fama inualuisset. Impediemus inquiebant tantum nefas; & si non carebimus oculis erectorem altaris videbimus. Franciscus tamen reparãdæ sancti Hyppoliti Ecclesiæ, erigendóque altari operarios & diem designauit; Cúmque illi animo penè deficerent eos ipse sua præsentia reficiebat. Populus non esse iocum videns ab Hæreticis Primariis ad seditiosum tumultum excitatus, cum fustibus & armis expectabat ad templi aream pium cœptũ impediturus, iámque de ingenti strage ab vniuersis timebatur, armatis aliunde qui Salesio opem ferrent nouis Catholicis, cùm ecce vir Apostolicus medius inter suos sub ridentibus oculis serenáque facie comparuit, tantáque vultus maiestate & lenitate verborum, impiorum animos flexit, vt quamuis hinc & inde mussarent minas, liberum tamen in Ecclesiam aditum reliquerint. Sed agebat hæc Populus. Consules verò & Proceres vbi templum patere viderunt, in aliud mox consilium inducti, & ipsi rem violentiùs impedituri properarunt. Quid hîc agis, inquiunt, publicæ pacis perturbator? An nescis Niuidunensi fœdere relictam hanc vrbem suæ libertati, hoc est, vt nisi consentientibus nobis nulla habeatur Missæ vestræ celebratio: Ego, respondit Salesius, quid agam ex Sereniſſimi

Franciscus Tononiensẽ Ecclesiam Catholico ritu reparat.

Tononiensium seditio in Fr. ciscum.

Franciscus populum pacat.

Consulum Tononiensium in Franciscũ insolentia.

ſimi Principis voluntate ſcire iam non eſt veſtrum, legite quas ſuis litteris facultates dedit, & potius quid agendum ſit vos ipſi videritis, ne fortè de omnibus mihi capita veſtra reſpondeant. Occupaſti non opinantem Ducem (exclamarunt.) Atque ita nequidquam vlterius patrare audeas formaliter opponimus. Vocatis mox libellionibus publicis ſolemne teſtimonium poſtularũt. Saleſius data ſua etiam voce de rebellione proteſtatus eſt. Quia tamen iuſſionem Ducis habebat in manibus, fiduciarię poſſeſſionis iure ſaluo veſtro Altare erigam (dixit) & celebrabo. Sed nequis ſit fraudi locus ſcribam ego hac de re non mora ad Ducem, ſcribite & vos, quod relatum fuerit ratum eſto: Hac verborum audacia territi Conſules amplius turbare Saleſium non auſi ſunt, ille tamen ſumpta penna ſic ſcripſit ad Principem. Sereniſſimo Duci Frãciſcus Saleſius. Domine dum hoc in Caballiano Ducatu pro religionis Catholicæ reſtitutione voluntatem expecto tuam, Altare in Eccleſia ſancti Hyppoliti, in qua à duobus annis & ampliùs iugiter concionem habui, decreui erigere, vt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium his ſolemnibus Dominicæ Natiuitatis feſtis celebrarem. Vrbis autem Conſules ne id agerem ſuam oppoſitionem attulere. Quo fundamento neſcio: Cùm nequaquam hoc pacto Niuidunenſe violetur fœdus, & ſi violaretur quid hîc cognoſcendum habent? Nemini fit iniuria dum in priſtinum ſtatum à quo vi deiecti fuerant, ſuauiter & lubenter reducuntur. Quidni quotieſcunque volent redibunt in matris gremium? Ego Domine, Crucem candidam cordi impreſſam gero, & ardentiſſimo in tuæ Celſitudinis obſequium ſtudio feror, propterea libenter & audacter dico quod ſentio. Multum intereſt quòd Niuidunenſis pacis articulos ſeruando, libertatémque conſcientiæ vt vocant, populis iſtis relinquendo, Catholicos tamen omnimodis & præcipuis proſequare fauoribus. Quamobrem iube Dux, abſolutè tuis ſubditis vt Catholicos Concionatores audiant, & ne deinceps eos, qui & ratione & exemplo tuo veram fidem & amplectuntur & propagant turbare audeant prohibe. Audies hac methodo amicis æquè ac inimicis bonus & prudens, & nihil aduerto quod huius boni ſollicitationi debeat moras iniicere, nihílque quod eam obſtinatiſſimis etiam mirabilem non reddat & amabilem. Iuſſionem verò & voluntatẽ hîc impatiens præſtolor tuam, nec deſino precari Deum vt te quamdiutiſſimè

Franciſci inuicta fortitudo.

Franciſci Epiſtola ad Sereniſſimum Ducem.

ſui

sui orbis bono seruet incolumen. Scripsit & ad Nuntium Apostolicum Barensem Archiepiscopum, vt subitum responsum tam instanti rei procuraret, aiebâtque præterea vltimum hunc esse Satanæ impetum, qui in fumum desineret, & diu esse quòd si Catholicorum rituum habuisset exercitium, multorum cordibus natus fuisset Saluator mundi Tyrannúmque eiecisset foras. Rogauit denique iterum Principem pro Ministro quodam ad fidē Orthodoxam parato (Is erat Petrus Petitius) vt liberaliter in eius gratiam ageretur. Tabellario igitur Salesius valere iusso, quod aggressus fuerat fortiter perduxit ad exitum, Ecclesiámque quo per illius principij incommoda meliori potuit modo sacris imaginibus, sericis & lineis paramētis, cereisque & lampadibus adornauit, ac vbi Dominicæ Natiuitatis solemnitas fidelium cordibus gaudium attulit, ipse nocte mediâ suis præ gaudio flentibus sacrosanctum Missæ sacrificium celebrauit, necnon refectis salutari cibo, finitâ Missa è medio altaris Natiuitatis illius diuinissimæ historiam tanta cum teneritudine & amoris affectu exposuit, vt rigidissima licèt hyeme audientium corda cœlestibus in natum Christum viuicomburiis inflammarit. Celebrauit & ad Auroram, tertióque ad clarissimum diem, quâ horâ cùm nō Tononenses modò, sed etiam ex vicinis pagis Catholici omnes accurrissent septingentos circiter aut octingentos Neophitos Ecclesia continuit, ac deinceps de die in diem numerus creuit, adeò vt plures iam parœcias cōstituere fuerit opus. Mezingenses omnes cum Alingianis Brentinorúmque parte maxima rectam fidei professionem tandem emiserunt, postquam de extremo hæresi remittendo nuntio in Marclianis ædibus cum Salesio, præsente etiamnum Antonio Fabro Senatore egissent, qua de causa immunitatem à Principe consequuti sunt, & Salesius communicatâ sibi ordinariâ ab Episcopo suo authoritate, iis in locis Curiones instituit, Allingiis quidem Petrum Monjonerium hactenus rectorem Larrigiensis Ecclesiæ trans Duranciam, quam propterea sponte dimisit, virum de sacra Verbi Diuini Prædicatione Pastoralique onere iampridem benè meritum; & cum ea beatæ Mariæ Virginis Allingiorum Ecclesia, vnita est Parœcialis sancti Mauritij Mezingensis nonobstante oppositione Canonicorum Regularium ordinis sancti Augustini, hospitalis sanctorum Nicolai & Bernardi, Sedunensis Diœcesis, ius in iis patronatus prætē-

Franciscus etiam ad Apostolicū nuntium scribit.

Franciscus pro Petitio Ministro rogat.

Franciscus in Tononiensi ade sacrum facit.

Septingēti circiter aut octingenti neophitæ.

Allingiani Mezingēses & Brētini cōuertuntur.

Franciscus Curiones instituit.

dentium, Brenti in Paroeciali Diui Mauritij Martyris ſocium ſuum & adiutorem fidiſſimum Ludouicum Saleſium collocauit, eâ maximè ratione, quòd cùm loci illius Dominus in temporalibus eſſet, cum Gaſpare Saleſio fratre indiuiſo iure multum inde vtilitatis ad populorum conuerſionem emerſurum certiſſimum erat. Tononenſem ipſe rexit Eccleſiam donec aliud Antiſtiti videretur. Dũ hæc fœliciter aguntur, Sereniſſimi Ducis reſponſoriæ litteræ fœliciùs ſunt allatæ, quas cùm Saleſius aperuiſſet, præſentibus Tononenſium Primariis illarum argumentũ legit, Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ Reuerendo & dilecto Oratori ſuo Franciſco Saleſio Eccleſiæ Gebennenſis Præpoſito. Reſpondemus ad ea quæ ſcripſiſti, & dicimus: Nos, quod tu in Eccleſia ſancti Hyppoliti altare erexeris rectè factum iudicare & habere ratum. Cætera quoque pia opera quæ ad Dei Opt. Maximi laudem, & hæreſum extirpationem illic exerces, quantum poſſumus approbamus. Diſplicet verò maximè quòd in hanc rẽ oppoſitiones tibi interiectæ ſint, placet tamen admodum quòd eas vt ſcribis ſuperaueris. Perge quâ induſtriâ cœpiſti, prudentia & ſtudio. Scribimus ad Lambertum opem vt Miniſtro ad conuerſionem parato ferat, vt iam tulit. Te autem Deus ſeruet incolumen. Taurini, Septimo Idus Ianuarij anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo & ſubſcripſerat inferiùs ad læuam Ripa. Nemo deinceps fuit qui Saleſio ſit contradicere auſus, perſpectâ Principis voluntate, & ſingulari in eum affectus propenſione. Quinimo plurimi ſeſe Tononenſibus, Alingianíſque addicere cogitarunt. Intereà voluebat in animo Saleſius quâ meliori methodo Theodorum Bezam ex ſupremi Pontificis imperio tentaret, re cum amicis prudentioribus communicata, difficillimum omnibus videbatur negotium, tũ quia Geneua in id opus diutiùs incolenda eſſet, cum propter diligentiſſimam quam circa Hæreſiarcham Geneuates cuſtodiam obſeruabant. Parendũ tamen eſſe aſſeruit, idque rato conſilio definiuit. Verùm obfirmauit animum ad ſubeundum Martyrium, ſi fortè aduertentibus Geneuatibus reus ageretur vt pleróſque anteà ficti criminis accuſatos, vt ſunt mendacij patres Hæretici, nunc flagellis, nunc capite damnarant. Commendauit præterea totum negotium ſanctiſſimi Epiſcopi ſui, Canonicorum, reliquórumque ſecreto dignorum Sacerdotum, necnon & piorum religioſorum precibus

Franciſcus Tononienſẽ regit Eccleſiam.

Reſponſoria Ducis littera ad Franciſcũ

Franciſcus de modo Bezam tẽtandi cogitat.

Franciſcus ad Martyriũ animũ obfirmat.

bus & sacrificiis,ac demum solus Geneuam se contulit Rollando tantùm suo fisus.Erat Beza septuaginta circiter annorum senex,magnâmque & vultu & habitu præseferebat Majestatẽ. Salesius in eius aulam introductus nulla vrbanitatis in salutatione præcepta omisit,vti vicissim omne humanitatis(quam iam pridẽ affectabat)genus Beza exercuit.Principio indifferentes variis de rebus sermones fuerunt ; Cúmque viri suauissimi consuetudine senex mirum in modum delectaretur , obtulit ei comiter introitum cubiculi sui. Salesius fauorem protestatus intrauit,nec multò post in consilium suum catenas nectens sic tandem graui sermone aggressus est. Non in obscuro adeò loco hactenus latui Domine, quin eruditionis tuæ & eloquentiæ fama ad meas aures peruenerit,laudaris tamen præcipuè quòd humanissimè (& id ego iam experior) cum iis agas qui ad te visitationis officio accedunt. Hæc me mouerunt indiderúntque animo meo libertatem te conueniendi,sistendíque me ante te, ac pariter detegẽdi tibi arcana cordis mei. Iuuenem vides,magno conferendi tecum iampridem desiderio teneor, speróque futurum te mihi facilem,nec quid circa ea quæ tibi decreui proponere, sentias, mihi dicere denegaturum. Quod supereſt , quæso te inspice me in frontem , videbis enim me candidum esse,nec deceptoris speciem præferre. Beza hac oratione attonitus , nescién sque quo suus hospes tendere vellet paululùm hæsitabundo similis conticuit, tandémque.Deuincis me,inquit,Domine,humanitate nimiâ,& procedis erga me vt semper ab omnibus desideraui, nihil enim adeò in pretio est apud me quàm animi candor & syncerita s,de reliquo pro ingenij mei & acquisitæ tot annis eruditionis tenuitate tuis propositionibus satisfacere enitar. Vide tantùm quid à me velis. Tunc Salesius,Estne Domine (inquit) in Ecclesia Romana salus? Affecit graui stupore Bezam hæc inexpectata propositio.Oculis tantillo tempore in angulum defixis , permitte , retulit, antequã satisfaciam vt hac de re profundiùs cogitem. Optimè,inquit Salesius, mox accepto eius manibus nouo quodã libello vt occuparetur , in aliud conclaue interioribus furiis agitato Ministro recedendi petitam licẽtiam fecit. Toto horæ quadrante expectauit,subaudiebátque concitato & interrupto passu deambulantem,quæ causa fuit vt cogitauerit protinus miserum illum diris corruptæ conscientiæ morsibus conflictatum in du-

Franciscus Geneuam secũdo proficiscitur.

Franciſci ad Bezam ſermo.

Interrogatio.

Beza interioribus motibus & exterioribus conflictatus.

bio eſſe quid reſponderet, fortè enim ad eam vſque horam nunquam alias ad conſequens ex hac propoſitione enthymema attentionem fecerat. Interim Saleſius in imo cordis agebat gratias Deo quòd in eius ſacroſancta Vniuerſali Eccleſia viueret, & in eadem mori velle ardentiſſimis affectibus proponebat. Demum rediit pallidus ſenex, factíſque de tam longa mora excuſationibus. Volo, inquit, mi Domine, cor tibi meum patefacere pari ſynceritate quâ tuum mihi aperire dignatus es. Quæſtio fuit, An ſit in Eccleſia Romana ſalus, ſcilicet an in ea quis ſalutem æternam poſſit adipiſci? Ego ſanè affirmatiuè reſpondeo, ita eſt procul dubio, nec cum veritate negari poteſt quin ea ſit Mater Eccleſia. Rectiſſimè ſentis ait Saleſius, cùm ita ſit, & cum in Romana Eccleſia ſit ſalus. Quare prætenſam reformationem veſtrã (Exemplum ſumamus in Gallia) cum tot bellis, cladibus, ſtragibus, incendiis, ruinis, ſeditionibus, rapinis, tumultibus, cædibus, templorum deſtructionibus, cæteríſque malis innumeris plantauiſtis? Corripiebatur horrore Beza dum hæc audiret, reſpondit tamen emiſſo prius alto ſuſpirio tremebunda voce. Non diffiteor quin in religione veſtra ſaluemini: verumtamen hoc in ea malum eſt, nimiis cerimoniis & difficultatibus animas implicatis. Dicitis enim neceſſaria eſſe opera bona, quæ tamen non niſi ex decentia ſeu cõuenientia ſunt: vnde innumera emergunt mala, populi enim prædicationibus veſtris credentes hanc circa bonorum operum neceſſitatem, nec ea plerunque facientes damnationem conſequuntur, quandoquidem conſcientiæ ſuæ contraueniunt. Idcircò nos vt his malis adhiberemus remedium religionem ſtabilire noſtram conati ſumus, in qua facilis eſt fidelibus ad cœlum via, iacto hoc ex præcipuis fundamento; fidem abſque operibus ſaluare, bona opera nequaquam de ſalutis neceſſitate eſſe, immò verò vt dixi ex conuenientia dumtaxat. Siquidem retulit Catholicus Athleta, ſed non aduertis reiiciendo opera bona in pluſquam labyrinthæos anfractus te cadere, vnde difficillime extricabere & egredieris. Neceſſitatem negare bonorum operum ad ſalutem quid aliud eſt quàm humanas omnes naturales & diuinas leges ſubuertere, quæ contrauenientibus de crudeliſſimis ſuppliciis minas intentant, & æternas obſeruaturis promittunt lauros? An verò ignorare potes quamobrem Dominus noſter Ieſus-Chriſtus apud diuum Matthæum quæ de extremo

Beza ad Franciſci interrogationem reſponſio.

Franciſcus inſtat.

Ambigit Beza.

Franciſcus neceſſitatẽ bonorum operum oſtendit.

mo iudicio credenda vellet, Apostolos suos docens nullam patratorum facinorum mentionem facit, sed malos se condemnaturum ait, ea tantùm ratione quòd opera bona omiserint ? Ecce verba. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim, & nõ dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum : hospes eram, & non collegistis me : nudus, & non cooperuistis me : infirmus, & in carcere, & non visitastis me Viden' vt ex bonorum operũ omissione sequitur æterna damnatio ? si ex decentiâ, vt ais, ea tantùm essent, putásne tam rigidâ pœnâ puniri eos qui ea non exercuerint? Ego certè vel solutionem vltimam vel tuum votũ meo iungendum symbolo expecto. Stoïcum vbique affectabat videri Beza ex longísque & frequentatis actibus grauem habitum induerat. Verumtamen non hîc potuit dissimulare amplius, Simium verè esse se ostendit, nam cùm non haberet quo laqueis irretitus Salesianam obiectionem solueret, promptus ei fuit ad hæreticorum morem recursus. Erubuit primò, mox in vehementissimam iram versus multa protulit indigna Philosopho quem hucusque finxerat. At Salesius postquam mansuetissimè irati vocibus aures præbuisset, serenâ fronte compositus his eum verbis tranquillauit. Non huc veni Domine, vt aliquo vel minimo fastidio te afficerem, planè hoc abominor. Veni tantùm vt tecum circa nonnulla controuersa inter vos & nos dogmata conferrem, meásque tibi ingenuè obiectiones exponerem. Gaudebam quid circa hæc sentias scire posse. Verùm quandoquidem irasceris vt video, rogo te habe me excusatum, non deinceps accidet quid simile mea culpa, nec vnquam de cõtrouersiis tecum agam. His auditis peccasse se cognouit Beza omninóque sedatus rogauit commissæ inurbanitatis veniam, flagrantissimum Religionis studium quo æstuare se sentiebat hoc effecisse dixit, Primos motus non esse in potestate hominis. Cœterùm in excusationes effusus Salesium vt rediret sæpius obtestatus est, nec mediocriter hunc se affectare fauorem, si modò per innumera quibus propemodum deprimebatur negotia liceret. Hunc modum, hos habuit terminos primus Salesij cum Beza congressus qui trium horarum tempus insumpsit: Serui aliique nonnulli ciues, qui in anteriori cubiculo expectabant in suspicionem adducti recedentem Salesium toruis oculis sunt prosequuti, nec callidum hominem seditionibus-

Beza laqueis irretitus furit.

Franciscus Bezã tranquillat.

Francisci cum Beza disputatio trium horarũ fuit.

que mouendis maximè idoneum dicere distulerunt; ille tamen vultu vt animo constans spernebat nequissimorum hominum vanos ictus, & cùm ab vno ex Allingianis militibus in via reperto Catholicum quemdam sibi notum in Abrahami Ioliti Hospitio ad mortem intellexisset infirmari, ad eum non dubitauit accedere. Iolitianas itaque ingressus ædes salutauit ægrum, deiectum doloribus animum consolatione recreauit tandémque (quod magnæ fortitudinis & christianæ charitatis opus fuit) Adstantibus cubiculo egredi iussis Pœnitentis longam satis confessionem audiuit, & moribundo Sacramentalem absolutionem est impertitus. Certè non fieri poterat quin tot tantísque actibus Geneuatum in se inuidiam indignationémque concitaret. Senserat iam antea Minister Fayanus Catholici Athletæ fortitudinem. Senserat Viretus & Veragrorum cæteri, quamobrem emerunt stipendiis scribas, qui eius sermones reciperent, vt deinde altercandi haberent materiam, si fortè contradictionem aliquam vel rem minus probabilem publicatam reperirent. Frustra tamen hac intentione miseri laborarunt: nam sic sibi aduertebat Salesius, sic dicenda præparabat vt à censuris vel minimis non in rebus tantùm, verùm etiam in verbis & ipsâ orandi methodo immunis esset. Tononum reuersus diu coram Deo suis in sacrificiis de Bezanæ tentationis exitu consuluit. Nihil tamen futurum boni vnquam persuasum habuit. Inquiebat enim, si potest Ethiops mutare pellem suam, aut Pardus varietatem suam, & hic benefacere cùm didicerit malum? Illaudatus fortè pudor vulgatæque iampridem spurcitiæ infixionem in volutabro luti indicent. Nequaquam verò desperabat penitus. Deum enim dixisse protinus recordabatur, nolle se peccatoris mortẽ, sed magis vt cõuertatur & viuat, & in quacũque hora peccator ingemuerit paratũ pœnitẽti parcere. Supremũ Pontificẽ hac de tota negotiatione per litteras certiorẽ fecit, expectauítque quid vlterius sua Sanctitas vellet. Scribebat autem. Cùm anno præterito de Theodori Bezæ primarij inter Caluinianos hæretici ad Ecclesiam Catholicam reditu & conuersione tum Pater Spiritus Balmensis ex Ordine Capucinorum insignis, & probitate & doctrina Concionator, tum etiam ego ipse multorum non leuibus permoti sermonibus bene sperare cœpissemus: Ne in re tam desideranda, aut industria nostra aut adminicula cætera desiderarentur, ita inter nos con

Franciscus infirmum Geneuæ militẽ inuisit & Sacramentaliter absoluit.

Geneuates Francisci Conciones scribi curant.

Franciscus Deum de Beza consulit.

Francisci ad Pontificem Rom. Epistola de Beza.

conuentum fuit, vti scilicet ille quidem qui per ea tempora ad capitulum (quod vocant) generale sui Ordinis, Romæ indictum, properabat de re tota coram Beatitudine tua differeret peteretque ne (si rumorem sequatur euentus) redeunti Hæresiarchæ Apostolica prouidentia desit. Mihi verò ea cõtigit cura vti quàm diligentissimè & cautissimè fieri queat, intimos Bezæ sensus aliquâ acceptâ (vt fit) occasione commodâ, ipsiusmet ore detegerem ac explicarem. Id autem vt facerem varia prætexens negotia sæpius Geneuam eam ob causam ingressus sum, sed nullus mihi patuit aditus ad hominis quem quærebam priuata & secreta colloquia, præterquam hoc vltimo tertio Paschatis die, cum & solum & satis primo accessu facilem inueni. Sed tandem aliquãdo postquam extorquendæ illius animi sententiæ gratia omnem quoad per me fieri potuit mouissem lapidem, lapideum tamẽ cor eius immotum adhuc aut sanè non omninò conuersum deprehendi, inueteratum scilicet dierum malorum. Qua de re tota Beatitudinem tuam monuisse debui, ne vel minus diligens videar, vel minus obediens mandatis quæ mihi Sanctitatis tuæ litteris & Patris Spiritus sermone sunt exposita. Meum verò de homine illo iudicium est, si paulò frequentior, tutior ac commodior ad eius colloquia pateret accessus forsitan fore vt reducatur ad caulas Domini. Sed præcipuè si quod speramus Beatitudine tua annuente Geneuæ instituatur cum Ministris disputatio. Atque quidẽ Beatissime Pater, in rebus arduis & magni momenti etiam periculum feciisse operæ pretium est. Verùm quando per Beatitudinis tuę Clementiam licet cõmittendum non duxi quin eam certiorem faciam, vndequaque passim finitimos Geneuensium populos hactenus in hæresim abductos Ditionum Gexensis & Galliardensis, ritúsque & rei Catholicæ restitutionem demississimè postulare, quo deinceps Catholicam vitam agere queant, atque quotidianam plurimorum inter eos audiri quærimoniam, qui Catholici cùm sint, Geneuensis Reipublicæ tyrannide prohibeantur ritu Catholico viuere, cùm alioquin Geneuenses non suo, sed Christianissimi Francorum Regis nomine in eiusmodi populos imperium ac vim exerceant; neque probabile sit eius tyrannidis qua conscientiæ Catholicorũ opprimantur conscium esse Regem, qui tanta contentione Catholicam communionem nuper obtinuit. Quare credibile admodum est, si à Beatitudine tua his de rebus Rex ipse admoneatur, fore vti quampri-

Francisci de Bezæ iudicium.

mùm longè rectiùs res habeat. Quin etiam ſi paulò preſſiùs idem ipſe Rex à Geneuenſi Republica contenderet vt libertas (quam vocant) conſcientiæ intrà Ciuitatis ipſius Geneuenſis mœnia permittatur, ſperandum eſſet rem eam, qua vix alia magis hiſce temporibus optãda occurrit, fœlicem habituram euentum. Hæc ita, Beatiſſime Pater, fuſiùs explicare ſum auſus, quòd non ſim neſcius quàm fidei ac diſciplinæ Chriſtianæ inſtaurandæ clementia tua libenter incumbat, & abſentia non niſi per præſentes poſſit cognoſcere. Interim dum currit Epiſtola aduertens Tononenſium plurimos, Saleſius à ſuis Concionibus ita auerſos, vt vel omninò abſtinerent, vel quàm rariſſimè fieri poſſet ad eas accederent: cogitauit nonnullas præcipuas & electas Catholicæ fidei rationes ſcriptis publicis, libellis etiam demandare, quibus Caluinianos à via illa eſſe alieniſſimos quam tenuerunt Apoſtoli, vt in cæleſtem Hieroſolymam peruenirent luce meridiana clariùs oſtenderet. Sua autem peculiaria commoda ſcripturam hanc habere. Primò enim (inquiebat) quod apud nos accipere renuitis, apud vos deferet. Secundò, ſatisfaciet iis qui cùm ad rationes meas reſpondere neſciant, velle ſe (inquiunt) eas coram Miniſtris videre nũ pallore aut rubore ſuffunderentur? num etiã potius euaneſcerent? nã eas nunc ad quoſcunq; Miniſtros conducere liberũ erit. Tertiò, cum otioſè ſcripta mea teretis veſtris manibus rationũ momenta profundiùs & attentiùs perpendetis. Quartò: Vt cognoſcatis omnes nihil me Tononi dicere, quod nõ liberè Anicij vel Romę ſi res ita ferret, dicerem. Hoc verò inquiebat vir Apoſtolicus quia nõnullis de Religionis Catholicæ fide non niſi per Miniſtrorum impoſitáſque impietates informatis minus Catholicus videbatur, cùm diceret opera noſtra nullius eſſe meriti, niſi in quantum Dominico tincta ſunt ſanguine: Corpus Chriſti ſubſtantialiter eſſe (vt aiunt Theologi) realiter & verè ſub ſpeciebus panis & vini in Sanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, ſed carnaliter. Sanctos maiorem habere excellentiam eámque eminẽtioris qualitatis quam mortales Viatores habeant, ſed nullius alterius eſſe proportionis cum Diuina quàm Creaturæ ad Creatorem, & finiti ad infinitum. Hiſque ſimiles veritates. Cùm enim Tononenſes aliter Saleſium de religione Catholica prædicantem audiebant, quàm à ſuis hactenus Miniſtris didiciſſent. Quid hic ait? exclamabant vt adularentur ſibi, An à pugna fugam

Franciſcus cum Tononienſibus ſcriptis agendum ſtatuit.

Miniſter ſtolidus Franciſcũ minus Catholicum ait.

fugam adornat? Certè non loquitur vt Papista. Salesius ergo scriptis etiam agendum ratus adhibuit statim operi manum, quod tamen cõtinuis prædicationibus, priuatis colloquiis, morbis item distractus imperfectum reliquit, nec nisi pauci codices iique non sibi inuicem ordine cohærentes ad nos peruenerunt. In vno fragmento tractat de notis Ecclesiæ per has regulas & capita, aitque Scripturam sacram veram esse regulam Christianæ fidei, & probat Ministros eam violasse. Quod vt faciat enumeratis libris quantum in vnoquoque corruperint fusissimè recenset. Hinc quantum scripturarum maiestas Ministrorum seu versionibus seu interpretationibus detrimenti acceperit ostendit; agit postea de earumdem per prætensam in intelligentia facilitatem prophanatione per psalmos præsertim Dauidicos à Clemente Maroto & Bezâ versibus redditos: tandémque ad obiectiones solidissimè respondet. Ad hæc secundam Christianæ fidei regulam Traditiones Apostolicas subijcit, probátque à Nouatorum Ecclesia violatas. Plura nondum reperire potuimus. In alio fragmento octo probationibus Diui Petri primatum confirmat. Quo facto habuisse in suo munere successores ait, continuò conditiones ad Diui Petri successionem necessarias enumerat, & successiuè Romanum Episcopum verum esse Diui Petri successorem & Ecclesiæ caput ostendit. Adductis in medium nouem testibus, Diuo Clemente in Epistola prima ad Iacobum fratrem Domini, Diuo Irenæo, Tertulliano, Diuo Cypriano, Eusebio in Chronico, Epiphanio, Optato Mileuitano, Diuo Hyeronymo ad Damasum, & Diuo Augustino ad Generosum. Quorum ponderatis sententiis refert quasdam in hanc rem Conciliorum Calcedonensis, Nicęni & Alexãdrini historias, ac demùm breui facta vitę Beati Petri & successorum eius institutionis descriptione, omnia ex nominibus ab antiquis Patribus Papæ datis confirmat; primò quidem: Quod ad Romanam Ecclesiam attinet, nominatam asserit, Petri Cathedram; Principalem Ecclesiam: sacerdotalis vnitatis exordium: Vnitatis vinculum: Sacerdotij sublime fastigium: Ecclesiam in qua est potentior principalitas Ecclesiæ: radicem & matricem: Sedem supra quam Dominus vniuersam construxit Ecclesiam: Cardinem & caput omnium Ecclesiarum: Episcoporum refugium: Summam sedem Apostolicam: Caput pastoralis honoris: Apostolicæ Cathedræ primatũ: Principatum Apostoli-

Fragmentum de notis Ecclesiæ.

Fragmentum aliud de Primatu Petri.

Ecclesiæ Romanæ nomina ab Antiquis Patribus data.

ci Sacerdotij: Caput omnium Eccleſiarum: caput orbis & mundi religione: Cæteris prælatam Eccleſiis: Eccleſiam præſidentem: Primam ſedem à nemine iudicandam: Tutiſſimum Communionis Catholicæ portum: fontem Apoſtolicum. Quod verò ad Papam ſpectat ſic affirmat appellatum: Sanctiſſimum & beatiſſimum Patriarcham: Vniuerſalem Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum: Caput Concilij: Caput vniuerſalis Eccleſiæ Beatiſſimum Domnum Apoſtolico culmine ſublimatum: Patrem Patrum: Summũ omnium Præſulum Põtificem: Summum Sacerdotem, Principem Sacerdotum: Rectorem domus Domini: Cuſtodem vineæ Dominicæ: Chriſti Vicarium: fratrum Confirmatorem: Sacerdotem magnum: Principem Epiſcoporum: Hæredem Apoſtolorum: Primatu Abelum: Patriarchatu Abrahamum: Gubernatu Noachum: Ordine Melchiſedecum: Dignitate Aaronem: Authoritate Moſem: Iudicatu Samuelem: Poteſtate Petrum: Ouilis Dominici Paſtorem: Clauigerum domus Domini: Paſtorum omnium Paſtorem: In plenitudine poteſtatis vocatum. Poſthæc Caluinum & Bezam flagellat mentientes Phocam primum fuiſſe per quem Romani Pontifices nomen & authoritatem acceperunt. Sic ſenſim ad intentum ſuum deueniendo Eccleſiam Catholicam vnam eſſe, & in vno viſibili capite vnitam: Prætenſam verò minimè talem demonſtrat, vnde ſequitur optimè veram non eſſe. Tranſit deinde ad tractationem de vnitate Eccleſiæ in fide, oſtendítque veram Eccleſiam in ſua doctrina debere eſſe vnitam, qualis etiam cum prætenſa non ſit, nullo modo veram eſſe cõſtat. Vnitati ſubijcit ſanctitatem, vt ſecundam notam, aítque veram Eccleſiam debere eſſe miraculis claram, qualis eùm ſit Catholica, prætenſa verò reformata nequaquam: ſequitur hanc vltimam non eſſe veram. Secundò, in vera Eccleſia debere eſſe prophetiæ ſpiritũ, hũc Catholicam habere, hoc verò priuatã eſſe prætẽſam, nec ideò verã eſſe. Tertiò, in vera Eccleſia reperiendã eſſe vitæ Chriſtianæ perfectionem, quam in Catholica optimè in praxim reduci, in prætenſa verò ſperni & profligari digito commonſtrat. Sanctitati vniuerſalitatem ſubnectit, vt tertiam notam, & ad hanc vniuerſalitatem Antiquitatem reuocat, perpetuitatem, ad loca & perſonas extenſionem & fęcunditatem: probat autem egregiè Catholicam Eccleſiam & Antiquam, & perpetuis duraturam temporibus, & extenſam

Pontificis Romani nomina ex Antiquis Patribus.

Eccleſia vnitas.

Sanctitas.

Prophetiæ ſpiritus in ea.

Vita Chriſtiana perfectio.

Vniuerſalitas.

Antiquitas.

Fœcunditas.

sam ad loca personásque & fœcundissimam ; Prætensam verò, nec antiquam sed nouam, nec duraturam sed perituram, nec extensam sed arctissimam, nec fœcundam sed sterilem ab vniuersalis nomine deturbat. Hæc sunt quæ è temporis iniuria restauerunt de tam præclaro opere. Apostolicam etiam ex quarta nota Catholicam esse ; prætensam verò nequaquam tractat, sed an perierint paginæ, aut vlterius non processerit vir Apostolicus, adhuc inexploratum est. Quidquid sit, mouerunt sanè plurimos, & ad amplectendam orthodoxam fidem communicata fragmenta induxerunt, non secus ac maximam de authore suo existimationem indiderunt. Per hæc tempora vexabantur ab immundis spiritibus Veragrorum non pauci, & Salesius abigendis iis sedulam nec inutilem nauabat operam. Terrebant verò Ministrorum animos mirabiles tot effectus, nec enim vnquam eorum vllus nisi Lutheranæ temeritatis particeps rem tentare similẽ ausus fuit, Magum esse & Veneficũ Salesiũ altiùs ideircò inclamabãt: alij verò fantasiæ, & imaginationis vi vexationis speciẽ tribuebant, negabántque vel esse dęmones, vel tantam in mortalium corpora authoritatem habere : & accessit ad has nequitias insolens & calumniis refertissimus anonymi cuiusdam, qui se Medicum Parisiensem aiebat libellus Regi dicatus, in Communem Ecclesiæ Parisiensis sensum Exorcismorum fulmen impugnans, atque adeò sui authoris impietatem & pellaciam præseferens. Quæ causa fuit vt tacentibus cæteris non agendi sed loquendi, non accusandi sed defendendi libertatem Franciscus arripuerit, tractatúmque de Dæmonomia decreuerit scribere, vt reuera scripsit, licèt posteà & qua ratione non constat luci denegauerit. Continet autem hic tractatus nouem Capita. Naturam humanam communicare cum Angelica. Satanam communicare cum homine à statu peccati, & quò perueniat hæc communicatio. Huiusmodi communicationem quâ Satanas incorporat se homini ab Incarnationis mysterio frequentiorem esse. Eamdem inferre in anima pugnam & in corpore supplicium. Deum verò ordinarium remedium tanto támque frequenti malo præparasse. Quænam sit præcisa huius ab immundo spiritu vexationis qualitas? Quænam sint dispositiuæ & applicatiuæ causæ maligni spiritus in corpore possessi? Quodnam sit Satanæ consilium aduersus eum quem possidet, & quodnam postremò aduersus Ec-

Franciscus abigendis spiritibus operam nauat.

Franciscus tractatum de Dæmonomania scribit.

clesiam, quæ à sua vult eum possessione deturbare? His capitibus quidquid de energumenis dici potest & disputari accuratissimè pertractat, concludítque Deum, qui Diaboli rabiei cùm energumenum vexat terminos imponit, malitiæ etiam & calliditati dare limites, cùm Ecclesiam fallere & decipere tentat, vt vnius patientia eius vincat fortitudinem, & alterius prudẽtia fraudem. Tunc vbi se detectum videt huius sæculi Princeps, ad suum mundum recurrere, ab eóque vim & calumniam, duo velut brachia quibus impugnet Ecclesiam, & suam tueatur possessionem, mutuari; Ecclesiam verò quæ contra vim caret armis habere saltem contra calumniam suis in actionibus innocentiam, suis in verbis veritatem, & ad se tuendam suis in iudiciis authoritatem. Dum non his duntaxat scriptis, verùm etiam continuis, siue publicis siue priuatis sermonibus ad Veragrorum salutem Salesius occupatur. Viretus Hæreticorũ aures pergebat replere mendaciis, quodq; restitutos Tononi Catholicos Ecclesiæ Romanæ ritus videret, Missam præcipuè, à qua tanquã ab incendiis abhorrent perduelles illi & sacrilegi, Idololatriam esse Papistarũ hanc Missam exclamare non desistebat; desolationem abominationis hanc esse stantem in loco sacro à Daniele prædictam; realem illam Dominici corporis in Eucharistia præsentiam symbolum & Analogiam fidei destruere. Vtebatur verò hoc Logicorum vocabulo vir stolidissimus, quo Docti & eruditi nomen ab ignaris auditoribus prædaretur: denique infimam plebem in sui admirationem rapiebat, & simul viris vtcunque sciolis ridendi materiam satis supérque largiebatur. Ne tamen hac vanitate vicisse, aut ex Rabbinorum numero Mosem aliquem aut Salomonem se crederet, rogauerunt Salesium Concionatores Catholici Caballium iam incolentes, vti scripto Viretum in sanam mentem reducere dignaretur, insolentémque Bardi hominis vanitatem confutaret. Id egit Salesius meditatione breui in Apostolorum Symbolum, in qua duodecim paragraphis ad totidem fidei articulos respondentibus Dominici corporis in Eucharistia veritatem, iis quę nobis Apostoli credenda proposuerunt, conformem esse fortissimis rationibus demõstrat. Mandari typis curauit protinus, & in publicum spargi, adhibito in libelli fine sui nominis anagrammate, quod ipsemet idiomate Gallico, & ad rem optimè construxerat, vnde & fidelis ad finem esse, & libelli author

Vireti in sacrificium Missæ inuectiua.

Franciscus scribit ad confutandum Viretum Considerationem in Symbolum

noscę.

noſceretur. Volauit hæc meditatio Lutetiam Pariſiorum vſque, quam Dionyſius Binetus in publicum bonum ſuo etiam ſubdidit prælo. Sed Viretus de ſua hîc ſeriò apud Tononenſes fama agitatus, eam modis omnibus impugnare conatus eſt. Chriſtum Dominum præter naturæ ordinem factum dixerat Saleſius, ô hæreſim! Miniſter amens exclamauit: Sed caſtigauit Saleſius ignorãtẽ adductis ſui dicti probationibus nõ diſputatione publicâ, neque enim illuc vnquam adduci Viretus potuit, ſed ſcriptis viciſſim epiſtolis, per quas vbi conſtauit, Factum Chriſti corpus ex Virginis ſemine, in virginis ventre manſiſſe: Lacte nutritum Virgineo: Spiritum ſanctum ſuperueniſſe in Virginem: Fœminæ Virginis ſemen ſerpentis caput conterere: Chriſtum Dominum abſque virili opera ex Abrahamo & Dauide deſcendiſſe; eumdem factum quidem ſimilem nobis, ſed non ſimili modo, nec niſi quantum placuit, & vbi adducta eſt Diui Ambroſij ſententia, quâ dicit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus paratus ex Virgine? Erubuit Viretus, & vbi in Iouiniani hæreſim ſe lapſum dum ſubterfugia huc & illuc quæreret, apertúmque Virginis vterum diceret, Saleſij indicio cognouit ignominioſam corã ſuis palinodiã canere coactus eſt. Hæc cùm diu ſecũ ipſe Petrus Fornerius primus Tononẽſis Cõſul perpendiſſet, conueniſſetque Saleſium, Caluinianas ineptias deteſtatus, Romanæ fidei profeſſionem emittere poſtulauit. Rem agebat ſanè prudenti & maturo viro dignam, & quæ magnum conuerſionis Caballianæ operi incrementum allatura erat. Publicæ authoritatis Neophitum, publicè etiam & ſolemniter in maiorem Eccleſiam abiurationis faciendæ, & emittendæ profeſſionis cauſa ducendum Saleſius arbitratus eſt. Conuocatis igitur nouis omnibus Catholicis perrexit ad illius dexteram in ſacras Diui Hyppoliti ædes: ſed ecce dum appropinquat, populus hæreticus in ſeditionem penè verſus, arreptis ſaxis non ſine multorum læſione plateam perpluerunt; Immunis non fuit Saleſius, ſed templo proximus ſereno vultu, ſubridentibus oculis, & verborum potenti teneritudine ita furentes coërcuit, vt miraculum feciſſe qui inſanos populorum tumultus experti ſunt, non ſemel proteſtatentur. Abiurata Fornerius hæreſi, planctis &

Vireti in impugnandis Franciſci ſcriptis ſtoliditas & ignorãtia.

Franciſcus Viretum nouis ſcriptis caſtigat.

Fornerius Conſul Tononienſis de abiurãda hæreſi fidem dat Franciſco.

Populi tumultus arreptis ſaxis & iactis Franciſcus tumultum ſedat.

Fornerius hæreſim abiurat.

confeſſis ad Saleſij pedes peccatis, ſacráque communione ſumptâ, nolle ſe iam dixit Tononenſem vrbem à maiori & nobiliori parte, quandoquidem Dei gratia Catholicus erat, Hæreticam cenſeri ſeu denominari: ſed dandum eſſe abſolutum conuerſionis nuntium Supremo Pontifici, qui rem illam tantoperè ardere dicebatur, & reuera ſcriptis etiam ad Sereniſſimum Ducem Antiſtitémque Gebennenſem litteris, teſtatus fuerat. Habito igitur hac de re Concilio ſic omnium nomine ſcripſit Saleſius. Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Patri Clementi octauo Pontifici optimo, maximo, Humillimi ſerui ac deuotiſſimi in Chriſto filij Tononenſes incolæ Catholici. Quòd nos oues non ita pridem errantes, Pater ſanctiſſime, nunc autem ad caulas Chriſti reuerſas tanta ſollicitudine ac charitate Tua Sãctitas complectatur, ſicuti ex litteris amantiſſimorum noſtri virorum qui in vrbe verſantur, ac præſertim ex Archiepiſcopi Viennenſis ad nos aduentu cognouimus: Illud ipſum eſt proculdubiò, quod ab iis qui nos per Euangelium Chriſto genuerunt, ſtatim initiò audiuimus: vnum eſſe nimirum in terris Paſtorem maximum, cui ſic abſolutè, ſic indiſtinctè ſuas oues Chriſtus commiſerit vt planum ſit non aliquas deſignaſſe, ſed aſſignaſſe omnes, cuique proinde, præter inſtantia quotidiana, ſollicitudo ſit omnium Eccleſiarum: Principatum namque Apoſtolici Sacerdotij, & zelum tali congruentem faſtigio, in Beatitudine Tua agnoſcimus: quam propterea, Petri cuius tenet ſedem, vices etiam in eo vel maximè ſuſtinere lætamur, quòd ouibus non præeſſe tantúm, ſed præſertim prodeſſe velle videamus: Omnibus ſanè; nobis autem ſeorſim quàm impenſiſſimè. Qui ob id ad pedes Beatitudinis Tuæ prouoluti gratias agimus quantas poſſumus maximas, precamúrque vt ea beneficia, quibus iam noſtram hanc Prouinciam nóſque auctiores facere animo deſtinauit Apoſtolico, pergat promouere, néve ſuam clementiam vllo vnquam tempore, nobis deeſſe patiatur. Sic enim fiet, vt quemadmodum munere, ſic immortalibus meritis ſit beatiſſima. Ita Deus immortalis Sanctitatem Tuam quàm diutiſſimè Eccleſiæ ſuæ ſeruet incolumem. Labente inter hæc tempore Quadragintadiali ieiunio hactenus Tononi incognito per Cinerum ſuper capita aſperſionem & concionem ſacram, Saleſius initium dedit ſingulíſque poſtea diebus continuauit efficaciſſimè, nec id tantùm agebat indefeſſi vir ſtudij, verùm etiam

Franciſcus ad Pontificem ſcribit Tononenſium nomine.

Franciſcus tertiam Quadrageſimam Tononij Concionibus peragit.

etiam pomeridianis horis diei Dominicæ conuocatis, non pueris dumtaxat, sed & ipsis senioribus doctrinę Christianę pulchritudinem & soliditatẽ Cathechistica methodo exponebat, vnde sanè ingentes Conuersorum manipulos in Ecclesiæ Catholicæ congerebat horrea Messor diligentissimus; Diebus verò duobus aliis in Hebdomade Sacerdotibus quos aduocarat, cæterísque beneuolis conscientiæ casus vt vocant magno fructu explicabat. Qui Viretum vel ipsâ solâ diei Dominicæ concione penè exanimem pridem aduerterant. Cùm Salesium viderent nullis vnquam frangi laboribus, quin imò vehementiori semper motu ferri diuinum in ipso manere auxilium fateri cogebantur, quæ causa erat vt languidos in finem Ministros accusarent, & per hunc tramitem in ampliorem veritatis Catholicæ viam transeuntes Hæreticam deserebant prauitatem: Exierat iam penè Quadragesima cùm militares copiæ Francisci Comitis Martinenguij Sabaudiæ Producis venerunt in Caballium, in iis vt nemo non erat Catholicus, ita Salesij sermones auidissimè omnes exceperunt, tantámque induerunt existimationem vt apud illum ad Christiani debiti satisfactionem Paschali tempore peccata plangere voluerint. Audiuit pœnitentes Salesius mira cum mansuetudine, charitate & patientiâ, necnon feria quinta in Cœna Domini, Sabbatho sancto, & ipso solemni Resurrectionis die communione sacra recreauit. Miles quidam Confessione factâ cùm ad aliorum fortè consuetudinem qui sumebant ientaculum, communionis ad quam accedere eo die statuerat immemor buccellam panis sumpsisset, hausissetque scyphum, & postmodum nihil præterea cogitans, elapsa semihorâ ad sacram mẽsam Angelorum panem comesturus accessisset, comedissetque reuera, eum socij sæuis idcircò obiurgationibus afflixerunt, vnus præsertim ex iis, qui in societate præfecturam habebant; Quid egisti miser? (inquit) Quid mentis oculos fascinauit, vt nescires ieiunis tantùm Dominicum corpus exhiberi? Peccasti proculdubiò grauissimè. Tactus ingenti dolore miles, non in lachrymas modò, verùm etiam in horrendos erupit eiulatus: Me miserum (exclamabat.) An tanti peccati veniam obtinere potero? Hei mihi! Quid cogitabam maledictus, cùm tam graue facinus perpetraui? Rapiebatur in furorem Diabolicis susurris incitatus, & desperationi proximus sociorum animos horrore commouebat,

Cathechismum docet.

Sacerdotes moralem Theologiã docet.

Franciscus Martinenguianorũ. militum confessiones audit

bat, cùm is idem, qui obiurgarat, animæ timens, ad bonum Patrem vt iret (ſic vocabant Saleſium) cohortatus eſt. Iuit Miſer, & vbi cubiculi ſuperauit limen, acerbiùs quàm antea fletibus queſtibúſque indulgens, ad boni Patris pedes energumeno ſimilis procubuit. Nequibat præ contritionis magnitudine loqui, impedientibus vocem ſingultibus. Tum Saleſius: Et quid hoc? fili mi? inquit. Quæ tantorum motuum cauſa? Bono ſis animo, ego quid pro te poſſum? Grande ſcelus commiſi pater (exclamauit ærumnoſus miles.) Quid verò ſubiecit Saleſius, an miſeticordē Deum neſcis? Ego, retulit ille, ſumpto ientaculo Communionem etiam ſumpſi, hei me perditum, niſi opem feras Pater! deliniuit blanditiis penè amentem Saleſius, ac vt cœpit manſueſcere, num id ſciens feciſſet, interrogauit? Reſpondit, inconſideratè actum à ſe, malléque deinceps millies mortem oppetere, quàm in ſimilem incidere offenſam. Tunc, vade in pace fili, dixit Saleſius, ignoſcit tibi Deus, qui cor contritum & humiliatum nunquam deſpicit. At ſaltem, retulit ille, iniunge mihi quam voles pœnitentiam, ô Domine. Recitabis ſemel (inquit Franciſcus) Orationem Dominicam, & ſemel Angelicam ſalutationem. Confide iam, & tuas etiam pro me apud Deum preces ne denega. Receſſit conſolatione miles pleniſſimus, tranquillóque prorſus animo, bonum Patrem miris laudibus extollebat, nec deinceps, quātùm per militaris diſciplinæ libertatem licebat, vllam eius Concionē omiſit.

Vt ſe gerat Franciſcus cum deſperato milite.

Inter hæc, nuntiatum eſt venturum breui Martinenguium, vt ex Sereniſſimi Ducis imperio, cuius in Sabaudia gerebat vices, non de rebus bellicis modò, ſed & de pacis ac religionis actibus, quid agendum poſſet, prouideret. Parauit quæ ſibi videbantur expedire Saleſius, ſerióque ſuis cum filiis, de reſtituenda prorſus religione Catholica his in Prouinciis apud Comitem tractaturus expectabat, Cùm ecce Comitem ipſum Sancatharinianam arcem non tranſgreſſurū, pauciſſimíſque ibi permanſurum diebus relatum eſt. Conſcendit mox in equum, nox licèt iam atra quemuis alium terruiſſet, tantúmque perfecit itineris, vt ſummo manè relictis ad Aruæ Pontem Gebennenſium mœnibus, Viriacum peruenerit. Hîc, pridie receſſum Martinenguium fruſtrà quæri intellexit, quia tamen vel Crūſilliis, vel Anicij fortè hæſiſſe dubitabat, veluti præcurrentem conſequuturus, ad multam vſque noctem iter fecit, Tandémque per occurrentes paſſim viatores

Franciſcus ad Martinenguium, pro Caballianis rebus profiſciſcitur.

Mar

Martinenguium, celeribus equis Camberium reuerti, certior factus, quo iacturam illam aliquo modo resarciret, Anicium, salutandi Præsulis optimi Claudij Granierij, cum illóque de rebus omnibus conferendi gratia venit, Salesium etiam ad Parentes suæ consuetudinis auidissimos perrexit, quorum amoribus & congratulationibus recreatus, conscriptis de rebus suis articulis, non mora Camberium profectus est. Penè fixerat in diuersorio pedem, cùm in suas eum ædes Antonius Faber trahens, allatas, non antè multò, Sereniſſimi Ducis litteras, alias clausas, alias patentes obtulit. Ampliſſimam continebant hæ Religioſiſſimi Principis voluntatem, qua Gebennensi Episcopo, omnimodam pleniſſimámque potestatem & authoritatem dabat, quãtùm sibi expedire videretur, super Ecclesiasticis quibuscũque beneficiis in agris Caballiano, Galliardensi, Terniacẽsíque ad Curiones, siue iam stabilitos, siue etiam ex arbitrio stabiliendos, alendos, & fouendos capiendi iure fiduciario, donec ad hæc suum supremus Pontifex præberet consensum. Non defuerunt constituti ab Hæreticis Ministris, qui rem omnem in lites traherent, diceréntque inferri sibi iniuriam. Salesium diris prosequebantur, & improperiis: Verùm ille forti prorsus animo, sic egit Camberij; vt de ipsis, etiam super Beneficia Ecclesiastica, Ministris assignatis pensionibus Vindiciarum addictionem obtinuerit, eóque pacto recuperatis aliquot nummis, aliquot etiam Curiones, alióſve Catholico Ecclesiarum cultui idoneos Sacerdotes aduocauit. Claudium Cheuallerium, Theodorum Varuffium Goudanum Cathedralis Ecclesiæ Canonicum, Claudium Grandem Tallorienſem, & ipsum Cathedralis Canonicum, Doctores Theologos, necnon egregios Verbi Diuini Concionatores. Præterea Ioannem Màngerium, hactenus Parœcialis Ecclesię Sancti Mauritij Martyris Boëgiensis rectorem, & Franciscum Tabùisium hactenus Ecclesiæ sancti Theoduli oppidi Flumetensis Curionem, viros omnes maturos, & de pastorali onere optimè meritos, quorum operâ res fidei Catholicæ mirum in modum breui creuerunt. Cheuallerius quidem à Salesio Bellæuallensium Curam assumpsit, ac eorum parœciali Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis præfectus est. Vir erat de quo Salesius iampridem, & ab eo tempore à quo Theologicas suas conclusiones propugnauerat, optimam spem conceperat, eum idcircò voluit ipsemet in pos-

Franciscus non inuẽto Martinenguio Anicium pergit, & Camberiũ.

Franciscus à Duce litteras Cambery recipit.

Franciscus pensionum Ministris assignatarũ vindicias obtinet.

Franciscus Sacerdotes in Caballium aduocat.

Franciscus Chevallerius in Ecclesia Bellaualensis possessionē inducens malè excipitur.

sessionem inducere : Verumtamen malè ambo à Bellæuallensibus, adhuc in hæresi obstinatis, recepti sunt, quippe nec hospitium, nec vinum vllum, nec vilia sedilia ad diem vnicum impetrare potuerunt, quin imò furfuraceo pane, qualis pro canibus coqui solet, vix, & summo pretio à nequissimis incolis obtento, cum musteo caseo & aqua, non aliam mensam quàm terrā ipsam nudam, quam fortè palliis texerunt, habentes, caninam ferè vitam tunc agere coacti sunt. Sed non talem Salesius reputabat, Apostolicam, potius aiebat eam esse, & Christi Domini, ac discipulorum eius paupertatem, aliqua saltem ratione, gaudebat imitari; nec erat id illi insolitum, nam similia à duobus plusquam annis, & Apostolici operis initio, non sine ingenti cordis lætitia variis in pagis expertus fuerat, Varruffio cōmissi sunt Aquarienses, & Escheueneſiani. Douenenses, Losiniani ac eorum finitimi populi, Claudio Grandi, Bontini, Sandesideriani, & Sassellenses Mangerio. Tabuisio verò, Sanciriciani, Iuniperienses, & Buringiani. Sic sensim redibat Caballio Pristina veræ Religionis facies; vnum erat, quo Franciſci animus in hac prosperitate torquebatur. Alpenses quippe, & Abundantiani Monachi ad Veragrorum limites, à priscæ regulæ obseruatione turpiter lapsi, Caballium, & Falcinium, necnon Valesiorum agros scandalis inficiebant, dabántque Hæreticis exprobrationum in Catholicā religionem materiam. Salesius postquàm eos, non semel publicis & priuatis colloquiis, ad modestiam saltem, qualem vnumquemque Clericum decet, reducere conatus est, aërem se verberare vidēs fortiter apud sanctam Sedem Apostolicam, Sereniſſimum Ducem, & supremum Sabaudiæ Senatum exclamauit. Quid isti (inquiebat) enormes ditiùs in omnem perniciem terram calcant? aut conuertantur, aut tollantur. Plus vnâ horâ destruunt, quàm in anno sit ædificatum. Scripsit præterea hac de re fusè ad Apostolicum Nuntium Barensem Archiepiscopum, qui sanè ad omnia & singula proposita diligentissimam semper operā suam collocauit. Verùm cùm resciret hæc Abbas Abundantianus Beneficiarius, iacturā suis in temporalibus videns, aliud longè quàm Salesius scripserat de suis Monachis dicturus ad Ducem accessit, nec satis esse ratus, Apostolici Nuntij mentem occupare conatus est: Sabaudis, quotiescunque cum extraneis agunt, non ita fidem adhibendam, inquiens. Dux, non secus ac Nuntius de viri

Franciscus in Alpēses & Abundantianos Monachos exclamat.

Abbatis Abundantiani in Franciscū temeraria verba.

teme

temeritate tacitè indignatus, Salesium de omnibus certiorē fieri curauit, resp onsóque habito, donec aliter de Monachorum reformationē decerneretur, ad alendos tot in Caballio Concionatores, amplámque Diuæ Claræ Monialibus Aquianensibus, stipem quotanuis erogandam Abbatem condemnauit. Sic malis licèt ringentibus triumphabat Salesius, post innumeros exantlatos labores, ac quandocunque Catholicæ Religionis cultum in aliqua Parœcia sufficienter tueri posse videbat, Triumphale protinus erigebat in ea salutis signum, Crucem Domini, quæ sanè res Hæreticorum animos graui mœstitiâ percellebat. Eodē tempore Dynasta Auulliacus in sui Patris Franciſci Salesij opem, vt erat eruditus, mira patrabat, nunc quâ pollebat sermonis efficacia, nunc quâ valebat iudicis Consistorialis (vt aiunt) & potentis Reguli authoritate, in suam & veram sententiam quamplures pertrahebat. Tononenses hęretici stridebant dentibus in eum, & longè abesse Ministri, Viretus autem inprimis voluissent; deturbare eum è supremi Consistorij solio Primario, quod olim ipsis electoribus occuparat, totis viribus conati sunt; At Salesius, qui tanti filij non modicæ vtilitatis authoritatem in omnibus (vt par erat) tuebatur, missis protinus ad Sereniſſimum Ducem hac de re codicillis, iussionem ab eo ad Tononenses obtinuit, qua non solùm supremum Consistorij iudicem volebat Auulliacum esse, sed & ipsum omnimodam in eo habere potestatem. Ducis litteras, breui sequutæ sunt Apostolicæ, quibus supremus Pontifex quid circa Bezam vellet insinuabat, hæ autem tales erant. Dilecto filio Francisco de Sales, Præposito Eccleſiæ Cathedralis Gebennensis. Clemens Papa Octauus. Dilecte fili, Salutē & Apostolicam benedictionem. Fidei Catholicæ studium, & zelum salutis animarum, seruo Dei, & in sortem Domini vocato planè dignum, in tuis litteris perspeximus, & quid hactenus egeris in negotio illo, de perdita oue ad Christi ouile reducenda cognouimus. Tuam fili, diligentiam & sedulitatem in Domino commendamus, & quamuis ea res cuius fœlicem exitum valdè optamus, non mediocrem, vt scribis difficultatem habeat, quia tamē Dei opus est, cuius gloriam quærimus, & cuius misericordia atque auxilio nitimur, te propterea magnoperè hortamur, ne eam curam deseras, néue cesses quòd semel inchoasti, Dei adiutrice gratiâ vrgere. Speramus enim quòd labor tuus non erit inanis in

Dux Abbatem condemnat.

Franciſcus Cruces erigit.

Franciſcus ad Ducem pro Auulliaco ſcribit.

Franciſcus Apoſtolicas litteras recipit ad Bezā iterū tentandū.

Domino. Quod ad populos illos attinet, quos Catholicæ religionis restitutionem auidè expetere significas, id quidem periucundum nobis accidit, & eà de re scribemus in eam sententiam quam res postulat, & tu admones. Tu interea quod potes, præsta Deo iuuante, & nos tibi paternè benedicimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesima nona Maij, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, Pontificatus nostri anno sexto. Syluius Antonianus. Itaque accepto Salesius secundo supremi Pontificis mandato, cùm ad Tononē-

Franciscus tertiò Geneuā proficiscitur

sis operis continuationem præclaros reliquisset messores, Martyrio licèt nunquam propinquior, iterùm Geneuam profectus est, salutauit Bezam, tāquam simplici officio rigidíque Senis ita sibi conciliauit animum, vt de ipso quidquid deinceps vellet facturus videretur, fortè sociauerat sibi Antonium Fabrum, qui nuper ab Illustrissimo Nemorosij Duce Gebennesianorum Præses constitutus fuerat, de huius etiam viri tanti congressu multùm afferri sibi honoris Beza protestatus, in quam plures altioris genij sermones viam sensim aperiebat, eáque ratione non modicum temporis effluxit, Salesius de morarum facultate sollicitus, in hūc modum ad' disputationes venire tentauit; Iacebant neglecta, &

Quā ratiō. ne Franciscus cum Beza disputationē iuit.

multo operta puluere in Cubiculi angulo, quædam maioris formæ volumina, Salesius destinatâ curiositate, quinam essent hi libri interrogauit, Beza moto capite veterum Patrum, quos parui duceret, libros esse respondit, tunc Salesius, ego verò (inquit) pluris facio quàm exprimere possim, arreptóque quem primum obuiam habuit, contracta in rugam sua Chlamyde fortiter excussit puluerem, nec morâ vbi librum aperuit, vidit esse Diui Aurelij Augustini opus, non poterat congruentius accidisse quidquam; locum in eo de gratia & iustificatione cùm reperisset inter voluendum longissimæ disputationi grauem materiam, præbuit, difficiles Beza hominis motus, nisi impellente perpetuo sancto Spiritu faciebat, immò cooperari hominem ex se & validè negabat, ad cuius rei confutationem, hanc de horologio similitudinē

Francisci similitudo præclara.

Salesius attulit, Horologium ad notādas singulas horas, primùm à perito artis fabro dirigitur & instruitur: deinde à motu inito, sua velut sponte, & motu cunctas diei horas percurrit, & sigillatim notat. Ita in animæ iustificatione euenit, nam ea primùm adeò ad veram cordis compunctionem impellitur, deinde sua comi-

tante:

tante opera, alios iustificationis gradus percurrit, & perficit. Hanc similitudinem illicò, & appositissimè allatam miratus est Beza, & ad rem quàm intricatissimam hactenus iudicarat enodandam, perquam egregiam: ad alia mox ventum est, rediitque sensim Salesius in primi congressus de Romanæ Ecclesiæ veritate, sermonem. Verùm à misero Beza nihil aliud obtinuit quàm quod anteà pronunciauerat, veram scilicet esse Romanam Ecclesiam, sed nec minus reformatam veram esse, immò verò vltimam hanc in eo excellere, quòd faciliorem redderet cœlorum viam, & in ea pœnitentiæ actus ex consilio tantùm, & per congruentiæ modum essent. Non distulit Salesius errantem arguere; & falleris procul dubiò (inquit) quotiescunque satisfactoria opera ad salutem necessaria non admittis, neque verò hoc in animum meum induxerim, id te ex conscientia proferre, quandoquidem non apud Doctores modò, qui quinque primis sæculis floruerunt, verùm etiam in sacris, tum veteris, cum noui Testamenti codicibus, Catholicam huius Articuli veritatem passim reperire potuisti: Porrò hoc tu non ignoras de literis, ac librorum lectione tam bene meritus. Ambigebat, quid ad hæc responderet, conuictus hæresiarcha, tandem tamen in hæc verba gemebundus erupit. Quantum in me est, si à recto itinere deuiauerim, Deum quotidie deprecor, vt in illud me reducere sua misericordia dignetur; cúmque hãc spem Salesius conciperet, breuíque reuersurus auere iuberet, perorantis manum stringens Beza, idem iterùm protestatus est elatâ adeò voce, vt non ipsi tantùm Faber & Rollãdus, verùm etiam qui ex eius seruis astabant, distinctè audiuerint. Tononum reuersus Salesius, dum Apostolicum opus continuat, ecce annuntiatur nobiles duos temerè rixatos, in Subassinum Campum duelli conficiendi causa processisse, captâ chlamyde in eum mox locum, tantum facinus impediturus se contulit: iam strictis dimicabant gladiis miseri cùm heus Domini (exclamauit Franciscus) quid animas vestras pro nihilo perditis? reprimite nefarios impetus, siquis apud vos restat Dei timor? furebant nihilominus, canum more, ad Patris optimi monita surdi, & nudum ferrum in sua quisque pectora intentare pergebant; at vir Dei in amentes, qua iamdudum polleba industriâ, irruẽs, sic repressit, vt petita sibi inuicem venia sceleris pœnitentiam egerint, ac absolutionis ab excommunicatio-

Beza verba miseratione digna.

Franciscus nobiles duos duello dimicãtes reprimit.

Ministri Geneuates Vallenses & Caballiani disputationē Francisco offerunt.

ne, quam idcircò incurrebant, beneficium obtinuerint. Interea Vallensium Ministri cum Geneuatibus & Caballianis conuenerunt, Francisco Salesio solemnem disputationem oblaturi palámque iactabāt, nihil nisi vaniloquum in Papista esse, verùm Salesius hoc audito Ministrorum consilio, nunquam lętior oblatum acceptauit, nec vrgere cessabat donec indicta tandem disputationi dies fuit: Tononi hæc fieri debebat, veruntamen frustra expectatum est, Ministri enim animo deficientes, mille tergiuersationibus vt antea fecerant, vsi sunt, quam rem cùm ægrè ferret Salesius, Geneuatibus fidem dedit, iturum se in eorum Ciuitatem sex tantùm Sacerdotibus, quos ipse eligeret, sociatum, & coram quibusuis Ministris librorum, etiam Geneuæ excusorum vsu, Romanæ Ecclesiæ dogmata propugnaturum, sed Nebulonum terrori tantum hoc addidit, vt, si Galleterium solùm demas, reliqui omnes altissimum deinceps silentium tenuerint.

Franciscus dat fidem & eos terret.

Galleterius Minister à Francisco vincitur.

Galleterius itaque in Vallensi agro sub Bernatibus Minister, traiecto Lemano lacu Tononum venit, diúque Salesij doctrinam syncerámque pietatem expertus, Religionis Catholicæ veritatē ac sanctitatem fateri demum coactus est, animóque recessit erga Romanam fidem, meliori quàm veniisset; verum Bernates cùm titubātem à Salesij colloquio animaduertissent, ad necem, breuiter formato processu, vt inquiunt, condemnarunt. Intentabantur vndique atroces in Salesium minæ, correptis plusquàm initio pessimis, qui supererant hæreticis, neque tamen ipse quartam Geneuensem ad Bezam profectionem distulit, commoto iam valde hæresiarchæ, & dirìs deprauatæ conscientiæ aculeis icto suam syncerius quàm vnquam mentem explicuit; Et agitaris (inquit) ni fallor, mi Domine, & quandoquidem Catholicæ Religionis veritatem agnoscis, non dubito quin eius amplectendæ, quæ tibi olim vbera præbuit, magno tenearis desiderio, at fortè si ad eam, quæ te in gremium suum vocat, reuertaris; de futuræ vitæ commoditate reformidas; ecce quo timorem istum longè pellere possis. Data mihi à supremo Pontifice fide, parem ego tibi fidem trado. Si ad Ecclesiæ Romanæ caulas regrediaris, quatuor millium aureorum nummorum pensionem annuam tibi polliceor prætereáque bonorum tuorum mobilium, quantum ea æstimaueris, dupli valoris persolutionem. Demissis in terram oculis ad hanc propositionem, diu Beza cogitabundus conticuit: demum

Bernates Galleterii capite damnant.

Franciscus quarto Geneuam it.

Beza valde cōcutit.

mum vti Romanã Eccleſiam matrem agnoſceret,iterũ atq; iterũ profeſſus in ſua etiam religione de ſalute non deſperare dixit. Tunc Saleſius operam in eum ſuam ludere, ſatis ſupérque aduertens,Tononum regreſſus eſt,ſtatímque Geneuenſes in ſuſpicionem de tentato Beza adducti , machinas & inſidias in Saleſium ſtruere, & Bezæ cuſtodes dare non ceſſarunt.Sunt qui affirment miſerum Apoſtatam, interdictâ ſibi Saleſij conſuetudine , eam mirum in modum exoptaſſe , & à multis quæ hactenus docuerat protuliſſe retractationem , ad quæ omnia Geneuates longæuum ſenem delirare aiebant, ipſum tamen in extrema vitæ ſuæ periodo eos ſuæ damnationis correos , accuſaſſe. Quidquid ſit,non vllam exhibuiſſe pœnitentiæ formam nonnulli ferunt,ac idcircò ſepulturã in Baſilicæ Diui Petri Clauſtris , quam certè primus habuit,optauiſſe, licèt aliud Geneuates deinde iactauerint,ſepultum ſcilicet in vrbe,ne ſi cum aliis in Arenarium proiectus fuiſſet , Sabaudi eius cadaver Romam deferendum ac conſumendum ignibus exhumaſſent. Ampla iam erat ſacroſanctæ Crucis in Caballio familia, vt ſolemnis ei tandem cultus exhiberetur , in hanc rem ipſe Franciſcus Saleſius , cum Ludouico Patruele,Baro Viriacus,Sereniſſimo Duci à Conſiliis,Curio Aniniſſianus,Ioãnes Maniglerius,Ioannes Saunerius,Societatis Ieſu, Spiritus Balmẽſis,& Cherubinus à Mauriana , Capucini ad Animaſſianũ Pagũ cõuenerunt, eos autem Saleſius,cùm ad Synodũ proceſſiſſet, rerúmque Caballianarũ fuſiſſimè expoſuiſſet ſtatũ; ab Epiſcopo Granierio optauerat,& magnâ ſuâ lætitiâ efficaciſſimos Adiutores obtinuerat,ita vt rem magnam , ſtrenuiſſimorũ Athletarũ operâ , breui facturũ non malè ſperaret.Quinto ergo Calendas Auguſti, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo , eos Anicio , quo diebus præteritis Saunerius quidem Camberio , Cherubinus verò Mommeliano venerant , primùm in Caballium fortiſſimus Chriſtianæ militiæ Præfectus conduxit,ac die poſtera, quæ Diuæ Virgini Marthæ ſacra erat, vt tam pium negotiũ fœliciter auſpicaretur , in Claudij Ludouici Danſeti ædibus conuentum habuit,in eo hæc agitata & ſtatuta ſunt. Ad introducendam omnino in Caballium ſacroſanctam religionem Catholicam rem eſſe maximè neceſſariam, Sereniſſimum Ducem deprecari vti curionia omnia beneficia quæ hactenus Mauriciani ac Lazariani Equites poſſederunt, Curionibus ab Epiſco

Geneuates Bezæ cuſtodes dant.

Franciſcus Capucinos petit adiutores eosque in Caballium ducit.

Franciſcus ad Animaſſianum Pagum conuentum cogit.

Episcopo Gebennensi stabilitis ac stabiliendis remittat, vt Sacer cultus obseruari debitè possit & Ecclesiastica Sacramenta fidelibus populis ministrari, nihil Caballianæ Prouinciæ vtilius cõtingere posse quàm si Collegium Societatis Iesu in ipsa Tononensi vrbe constituatur & erigatur ex eo námque nõn modò nunc aliquot Religiosi in omnes Diœcesis partes excurrere possent sed etiam deinceps plerique & Sacerdotes & Iuuenes veluti ex seminario prodirent qui circumcirca per vicos & oppida Euangelium inferrent, atque ita validam futuram arcem, ex qua veluti ex opposito contra Geneuensis & Lausanensis Collegiorum insanos impetus dimicaretur; est enim vrbs Tononiensis inter vttamque Ciuitatem sita, vt si quis sit in ea ambidexter miles vtramque possit impetere, præterquam quòd non longè ab Allingiorum arce distat, ea quidem ad sustinendam Regij exercitus obsidionem sufficienter munita, vt si quando vrgeret necessitas Patribus posset esse refugium. Iam verò quo Collegium illud subsistere queat, cedendum esse prioratum sancti Hyppoliti in medio vrbis situm amplisque ædibus adornatum, valoris annui mille & ducentorum nummorum Ecclesiæ Collegiali Oppidi Viriaci à Sixto Papa quinto pridem vnitum, quæ quidem Collegialis Ecclesia facilè cessioni consentiet ad rem tam eximiæ pietatis & momenti. Quòd si eidem Collegio quod vis aliud beneficium ab Apostolica Sede vniatur, satis futurum esse. Quóque Tononẽsis populus auidiori ad amplectẽdam religionem Catholicam feratur animo, Serenissimum Ducem facturum operæpretium si nõ nihil de annuis ordinariis siue extraordinariis contributionibus liberaliter remittat. Quod autem ad Ecclesiam illam Collegialem Viriaci in agro Terniacensi: vt in pristinum suum statum secundùm Bullæ erectionis normam restituatur, deprecandum Ducem, vti in compensationem Prioratus Tononiensis vnioni vicinarum Ecclesiarum Saniulianẽsis & Thoëriacensis consentire dignetur, nec non vti ad eam transeant decimæ locorum Belmontis & Bernesij ad Prioratum sancti Ioannis extra Geneuæ mœnia spectantes, quas Lazariani Equites hactenus habuerunt valoris annui quingentorum florenorum, cum pensione triginta saccorum frumenti æquæ mensuræ Oppidi Caluimontis, siue viginti æquæ mensuræ Camberiensis, cuius ratione pensionis dabit Collegialis illa

Iesuitæ Tononij collocandi.

Iesuitis cedendus D. Hyppoliti Prioratus.

Eccle

Ecclesia Sancatharinienſibus præſidiariis militibus ſacerdotem vnum, qui ſacra coram eis faciat. Et quandoquidem Geneuates conferre iampridem cum Catholicis Theologis velle ſe dixerunt, eos licèt animo defeciſſe videantur ad id eſſe compellendos, quod vt fiat ſcribendum eſſe ad Miniſtrum Perrotium vt reſponſum illud vrgeat cuius curam aſſumpſit; ſi tamen reſpondere nolit ad Ciuitatis Conſules iterum ſcribendum eſſe. Et ſi fiat hæc conſultatio obtinendam à Ciuitate ſcripto & diplomate liberi pro Patribus Doctoribus, Scribis & teſtibus commeatus poteſtatem & quandoquidem Curio Animaſſianus multis in eã rẽ grauari ſemper debet oneribus tũ ad recipiendos Concionatores, ſubleuandos Energumenos, cum ad reparãdas Eccleſiæ ſuæ ruinas; orandũ itẽ Ducẽ vt permittat vniri ei decimas quas Belleriparienſes olim moniales in Animaſſiana Parœcia percipiebant, nunc autem ab vno Geneuenſi Hæretico inique poſſeſſas, ſibi videlicet ab vna moniali venditas. Hæc fuit ſtatutorum Animaſſianorum ſumma, quibus iidem qui ſuprà hoc ordine ſubſcripſerunt Franciſcus Saleſius Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Petri Gebennenſis, Ioannes Saunerius Societatis Ieſu, Ludouicus Saleſius Canonicus, frater Cherubinus Capucinus, frater Spiritus Capucinus, Ioannes Maniglerius Curio Animaſſiæ, & tanquam Teſtis Viriacus. Qui omnia deferret ad Principem conſtitutus eſt Spiritus Balmenſis, iámque Anicium vſque perrexerat Reuerendiſſimi Epiſcopi ſpecialia iuſſa accepturus, cùm ipſe Epiſcopus melius fore ſi Cherubinus huius legationis fungeretur officio, ipſe enim Duci iampridem notus, & Aulicis, rem expeditiùs pertractaret. Itaque demandatam ſibi Prouinciam Cherubinus aſſumens profectus eſt in Aulam. Ibi de omnibus piiſſimum à Duce gratiſſimúmque reſponſum habuit, necnon de peragendis in Animaſſiano Pago quadraginta horarum concionibus, & ſolemnibus ad Deum ſupplicationibus, ad expergefaciendos Geneuenſium Miniſtros, vti iam cum Granierio conuenerat, deliberatione capta de omnibus quæ egerat ſubitò & diſtinctiſſimè Saleſium per litteras certiorem fecit. Receſſerant ad Terniacenſes Ieſuitæ, remanſerat cum Galliardianis Spiritus, & redierat ad ſuos Veragros Saleſius, Tononique libellum quo falſam Miniſtrorum Miſſionem oſtenderet, componebat cum acceptis Cherubini litteris, de quadraginta horarum orationis

Geneuates ad diſputationem compellendi.

Cherubinus à Granierio in aulã mittitur.

Franciſcus de falſa Miniſtrorum Miſſione libriũ ſcribit.

methodo cogitare cœpit, réque ſuis cum adiutoribus quos iam plurimos habebat communicata non inutile negotium fore viſum eſt ſi ad alliciendos populos piæ alicuius hiſtoriæ tunc temporis fieret repreſentatio, ipſe Abrahamici ſacrificij tragicomœdiam non ingratam fore dixit, in ídque votum cæteri omnes conſenſerunt. Electi ſunt qui poëma huiuſmodi componerent idiomate Gallico, duo Saleſij Franciſci nempe Patruelis chariſſimus Ludouicus, & frater nominis eiuſdem Tulliæ Dominus de ipſa nõ tãtùm Iuriſprudentia & Philoſophia, ſed & de humanioribus literis, hiſtoria preſertim & Poëtica benemeritus, qui Saleſij cum parentibus morabatur. Breui tempore compoſitione facta idoneis Actoribus diſtributæ ſunt perſonæ. Interea rediit Cherubinus, qui eo quo pollebat ingenio parãdis omnibus ad commoditatem & decorem neceſſariis ſedulam nauauit operam. Erecta erant in Eccleſiæ penè dirutæ ambitum tentoria cum telis, aſſeribus, tapetibus, aliiſque huius generis rebus, vt populo ſi fortè pluuium foret cœlum, daretur ſiſtendi commoditas, theatrum verò in maiori area erectum. Cucurrit ſtatim per vniuerſam Sabaudiam huius cœpti fama, quæ cauſa fuit vt ad cõdictam diem ingens accurrerit hominum vtriúſque ſexus multitudo, ea fuit Dominica prima Septembris Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis feſto, ſexto ſcilicet idus. Territi hac Catholicorum multitudine in ſua vicinia Geneuates, multos militum manipulos ad occupandas vias Ciuitate emiſerunt, nec deerant in Caballio agríſque adiacentibus qui de ingenti ſtrage formidarent: verùm Saleſius Tononum ad ſuos reuerſus, & pridie ad ſolemnitatem adhortatus, celebrata ſummo manè miſſa, ſacerdotale ſupparum & ſtolam induit, Tetragonóque pileolo inſignis Catholicos ad iter fortes ducturus ſeſe obtulit, ligneam Crucem in eam rem aptauerat, verùm qui eam deferret, omnibus ab Hæreticorum rabie metuentibus, inueniebat neminem. Quid faceret? In ſuum etiam Rollãdum vt eam deferret ſicco opus fuit imperio, tãdem cùm triumphalem Crucis hymnum ante altare genuflexus decantare cœpiſſet præcedentem Rollandum cum Cruce ſequuti ſunt cæteri, vltimus veniebat Saleſius, qui poſtmodum auctâ per vicos turbâ, medius fuit, nunc litanias, nunc ſacros hymnos, modo verò Dauidicos pſalmos decantans, & ſic non ſine bonorum lachrymis decem milliaria per cœnoſas vias confecit. Non citiùs Animaſſiæ fuit, quàm venire Anicienſes ſanctæ Crucis ſodales

Franciſcus de 40. horis Animaſſianis cogitat.

Cherubinus omnia ad orationem 40. horarum diſponit.

Geneuates ſibi timẽt.

Franciſcus Tononienſes Animaſſiam conducit.

pœnitentes renunciatum est,& Salesius,multa præclarorum hominum turbâ stipatus processit obuiam eis. Veniebant illi graui passu operti saccis,nudi plerique pedes manibus ad precatorium rosarium occupatis, in medio,sanctissimi Crucifixi litanias lugubribus tonis personabant , & vltimus Prioris fungens munere Ludouicus Salesius Canonicus procedebat. Vt se inuicem salutarunt Patrueles piissimi nequiuerunt à lachrymis temperare verùm iuncti vsque ad templum tenerrimis fletibus viam conspersérunt.Diuæ Virgini ante maius altare breue Canticum persolutum est à Musicis, & post hæc(nox enim iam ingruerat)perrectum ad cœnam ; aderat Antistes Reuerendissimus Claudius Granierius qui authoritate & sanctitate sua augustam hanc solemnitatem illustrabat, is manè facto per sacrificium inter cuius solemnia Præpositus Salesius feruentissimam habuit cõcionem. Orationi initium dedit : tunc sacræ Crucis Anicienses sodales salutari cibo refecti coram sacramento primam horam confecerunt:sequuti verò sunt Salesium,qui concionibus populum sisterent Spiritus Balmensis, Cherubinus Maurianensis, Antonius Turnonensis, Capucini , Canonicus Salesius, Petrus Mauionerius,Claudius Grandis,Ioannes Mangerius, Claudius Cheuallerius , Franciscus Tabuisius, Theodorus Varusius, & alij tum sæculares cùm regulares sacerdotes.Olim in via quæ ducit ad Geneuam, Philibertus quidam lapideam Crucem duabus marmoreis statuis , vna quidem sanctissimi Crucifixi , altera verò Beatæ Virginis Mariæ erexerat,suóque nomine voluerat Philiberteam dici. Eam hæritici deturbarant nec nisi tres gradus quibus erat imposita in orbem formatos truncámque columnam reliquerant:at Catholicis eundem locum alia decorandum cruce consilium fuit. Itáque nouam ex ligno fabricarunt, quam cùm Salesius ritu Catholico aqua lustrali aspersisset Antistite senilibus infirmitatibus correpto atque ita impedito sacerdotibus cum musicis vexilla Regis prodire,fulgeréque Crucis mysterium quo carne carnis conditor suspensus est patibulo , altè canentibus eleuata est , nec mora apposita ferrea lamina , cui Gallico idiomate Salesius inscribi curarat, huius argumenti epigramma:non esse lapidem neque lignum quod Catholicus adorat,sed Regem illum qui cùm in Cruce mortuus sit, suo etiam Crucem decorat sanguine,eadémque horâ in Ioannis Sageti ædes regressus,sum-

Ludouicus Salesius Aniciẽses.

Granierius & Franciscus orationi initium dant.

Franciscus præaltam crucem Animassia erigit.

Franciscus positiones scribit ad defensionem crucis.

pta penna nonnullas conclusiones pro sacri ligni defensione commisit chartæ, eásque postea & Tononi publicè affixit & misit ad Ministros Geneuenses. Dum hæc agit, ecce Ternerienſium conuersorum religiosum septingentorum ferè hominum vtriusque sexus agmen venit, Cherubinus statim Concionem habuit ac vt obiectionem hæreticorum vnicam cum veritatis

Cherubini valida concio.

stringuntur aculeis præueniret, his verbis vsus est. Nihil hîc dicimus, Auditores, quod vbicunque & quandocunque voletis coram Ministris nõ propugnemus, ipsi verò vos hactenus deceperunt. Obtulerant nuper consultationem his de rebus inter nos & eos controuersis, expectabamúsque vti promiserant datæ fidei testimonium inscriptis Quid tamdiu morantur? Nos sanè coram vobis Deum testem facimus, non stare per nos quin ad quamcunque disceptationem conueniamus, vt vos deceptos & ab vera Ecclesia alienos fuisse luce meridianâ clarius commonstremus. Ad hunc sermonem quamplures emiserunt lachrymas, alij de præteritis peccatis miserabiles querelas contexebant, & ad septem hominum millia & amplius creuerat multitudo. Ministri vbi quid dixisset Cherubinus resciuerunt, tanquam resumptis animis scripserunt ad eum Ioannis Coraiodi Aurifabri manu, paratos se ad consultationem, soláſque deesse conditiones quas petebant sibi dari. Itaque eorum litteris Episcopo & Præposito

Ludouicus Salesius Geneuam mittitur.

communicatis, Ludouicus Salesius Canonicus lectus est qui responsum ferret, is diligentissimus rectâ ad Corajodum perrexit cui præsente Iacobo Gradello viro consulari & litteras dedit & Prædicatorum Catholicorum consilium expectationémque explicauit amplissimè. Corajodus verò ad Ciuitatis Dominos rem omnem referendam ait, & hi rursus ad Ministrum Perrotium remiserunt: Salesius cum Yuoyano & ipso Hæretico ad Perrotium iuit; verùm ille quamuis Cherubini Epistolam tereret manibus, hæc se omnia ignorare protestatus est, remisitque Salesium ad Concilium Ministrorum, nihil iis insciis statuendum esse inquiens. Ministri autem cùm in longos dies differrent concilium, non distulit vlterius regressum Salesius, & ipsi postmodum quæcunque à Corajodo scripta fuerant per litteras retractarunt. Vrgebant tamen Franciscus Salesius, Cherubinus & alij consultationem propositam, eâque de re seriò ad supremum Pontificem, Congregationem de propaganda fide, Cardinalem sanctæ Seuerinæ,

uerinæ, Cardinalem Aldobrandinum, Ducem Sereniſſimum & Apoſtolicum Nuntium tum à Saleſio, cùm à Ieſuitis & Capucinis ſcriptum eſt. Hæc omnia in vanum, quandoquidem Geneuates ſtatim ac Ieſuitas adfore intellexerunt ſub prætextu callidorum nimis hominum, & qui in rationes vt vocant ſtatus vltrò citróque ſe immiſcent, nullis iam opus eſſe conſultationibus dixerunt quę cauſa fuit vt mille deinceps exprobrationibus & meritò quidem à Catholicis onerarentur. Inter hæc fluxerunt duo menſes, & Saleſius Tononum reuerſus multos homines pergebat ad fidem reducere, Neophitos modò confirmabat, modò validiſſimis argumentis hæreticos obſtinatos verberabat, eximia ſui exiſtimatione replebat omnium mentes, neque tamen propterea ab Chriſtianæ humilitatis actibus deſiſtebat vel tantillum, quinimò omnibus obſequentiſſimus, Curionem, Procurarem, Medicum, Patronum, & ſeruum agebat in Domino; Semel cùm in ſuis veſtibus nonnihil ſarturus cubiculi portam malè fortè clauſiſſet, improuisò in hoc humili exercitio à viro quodam nobili occupatus eſt. Is magno ſtupore affectus, quid hîc agis mi Domine? inquit, Non video inconueniens, reſpondit Saleſius, ſi id ego ſarcire diſcam quod ipſemet vaſtaui ac laceraui. Mirum quàm poſteâ vir ille nobilis qui in fide adhuc titubabat hoc humilitatis exemplo profecerit. Per hæc tempora Franciſcus Bonna Diguierianus armata manu in Sabaudiam irruit, & improuisò Maurianam occupauit. Non parum profectò Religionis negotia in ipſomet quamuis diſſito Caballio turbauit hæc irruptio, ſed Dux inuictiſſimus ſuperatis valido cum exercitu Alpium iugis breui omnia recuperauit, & cæſos fugatóſque hoſtes procul expulit à continente. Saleſius non reſciuit citiùs, veniſſe, vidiſſe, ac viciſſe Ducem cum Tonono ad eum profectus eſt; erat tunc temporis in arce Barralliana Princeps, & eam ad vltimum munire pergebat. Saleſius fusè de actis omnibus Duci publici boni auidò ac de religionis Catholicæ progreſſu lætabundo diſſeruit, & poſteaquam veniam poſtulauit ad diſceſſum, Dux adeſſe Mauricium Brottyacum Caballianæ legionis Præfectum obſtinatiſſimum Hæreticum memor, manere iuſſit, tum aduocato Brottyaco ſuas vt coram Saleſio circa Romanam fidem difficultates exponeret, imperauit. Itaque dato Dux diſputationi initio ſolos Brottyacum & Saleſium reliquit, fingénſque

Geneuates Ieſuitas nolunt.

Stupendum in Fräciſco humilitatis exemplum.

Franciſcus Barralliũ ad Ducem proficiſcitur.

Franciſcus trium horarum ſpatio diſputat cum Brottiaco.

aliò distrahi, mox tamen se rediturum vt ambobus omnimodam daret libertatem, ipse per foris rimulas & feræ foramen non sine mira patientia omnia audiebat, nam trium circiter horarum fuit hæc disputatio. Porrò reuoluens ianuam. Vter Victor? inquit. Agnoscísne tandem, ô Brottiace, nostræ religionis veritatem? Tum Brottyacus. Ego (inquit) Sereníssime Domine Theologiam noui solo nomine, atque adeò mirum nequaquam videri debet, si ad hoc sum bellum ineptus, inermis scilicet, verùm argumenta omnia Domini Præpositi optimè memoriâ teneo, de iis cum Ministris conferam, nec vnquam me à recta alienari ratione patiar, vbi eam videro, amplectar. Lætus hac loquela Princeps, Titubare enim ac moueri rectè iudicabat, Salesio dimisso, Brottyacum priuatim sibi adhibuit, necnon de strenuíssimo Athleta miras laudes pronunciauit. Salesius igitur Ducem Barrallij alloquutus quidquid voluit obtinuit, tum circa Curionio-rũ beneficiorũ restitutionẽ, pensiones Ministrorum abrogandas, & Iesuitas Tononi collocãdos, cùm circa Lazarianorũ Equitum promissum tenendũ. Verùm dum redit Aniciíq; tantisper moratur, in vehementíssimam febrim continuam cecidit anni nonagesimi octaui initio, támque diris conflictatus est doloribus, vt diebus septem continuis parum de salute speraretur. Quam grauiter suum Apostolum infirmari Tononenses Catholici tulerint vix dici potest; sed idipsum Granierius, qui pestilentiæ vitandæ causa Villam in Sallatio apud Falcinates senex optimus recesserat, tam ęgrè tulit vt ęger ex inde fieret. Suffecit Salesius in suum locum chariíssimum sibi ac iam laborum consortem Cherubinum, qui Tononi magno cum fructu Aduentus Dominici & sacræ Quadragesimæ Conciones habuit, necnon solemnem illam disceptationem cum Hermanno Lignario homine Germano sed Geneuensi incola, qui in ea ciuitate Caluinianæ Theologiæ Professor erat. Scripsit hac de re Sammichaëlius Auulliacus longam Epistolam, quam ad Charansonium ex magistris auditoribus Supremæ Curię rationum Sabaudię direxit, & curauit Camberij mandari typis. Interim dum Salesius Tononensibus satis prouisum ratus, cum Pàtre Ioanne Maurianensi Aniciensium Capucinorum Custode peste infectis non sine maiori quàm priori morbo vitæ suæ periculo subueniret. Granierius vt filium suum resciuit Anicij ad tantam velle charitatem moras trahere,

Dux Brottyaco Frãciscum laudat.

Franciscus in febrim incidit.

Cherubinus in Frãcisci locũ suffectus.

Hermanũ Lignarium vincit.

Franciscus sanitati restitutus peste infectis subuenit.

missó

missō celerrimè tabellario eū absolutâ iussione reuocauit. Quare Franciscus facta quadragintadiali probatione ad suum Antistitem Villam Sallatiorum perrexit: hinc (cùm iam Hermannus à Cherubino ignominiosam fugam adornasset) ad suos rediit Tononenses. Auctum Doctissimi Salesij præsentiâ Cherubinum Socors Hermannus intelligens, citatus licèt libellis publicis & proscriptis, cauebat sibi maximè ne rediret asperforum aquâ calidâ canum more, & Cherubinus hac insignis victoriâ cum optimè Salesij Vicarium egisset, à suo Prouinciali vocatus ad tantillum temporis discessit, relicto tamen qui eum repræsentaret Spiritu Balmensi. Certè pudebat Hæreticorum plurimos de Theologi Geneuensis fuga. Vnus inprimis Ferdinandus Bouerius Vir nobilis, Vallensis Chillonensis natalibus, verùm à multis iam annis Tononensis incola de sua fide satis incertus arrepto Plessisij Mornæi in Missam libro rectà perrexit in domum Salesij, quem cùm non reperisset notatum vt volebat plicatis foliis librum reliquit super cubiculi mensam & abiit: reuersus domum Salesius accuratissimè librum peruoluit; notauítque insigniores falsitates, necnon quatuor aut quinque folia, in quibus insolentissima erant mendacia & blasphemiæ spontè auulsit. Non multâ interiectâ morâ rediit Bouerius, quem vt Salesius vidit, moto capite & eleuatis manibus, nunquam (inquit) impudentiorem mendacem legi. Quæso te, patientiam habe, & mecum senties, sed parce prius quod hæc & hæc folia disruperim, vide si merentur lucem, en mendacium, en & aliud, denique scatent innumeris. Quid dicis ad hæc? tu ipse contrarium non ignoras. Mox tam validis stupentem constrinxit argumentis, vt nihil aliud quàm se de omnibus ad Geneuenses Ministros, si fortè Plessisium tueri possent scripturum responderit. Verumtamen nihil illis sani vel efficacis referentibus Bouerius Salesio abiurandæ fidem Hæresis dedit quam statim ac Granierius Antistes Tononum venit, in eius sacris manibus cum lachrymis abiurauit, diu prius de singulis veræ fidei articulis à Salesio instructus. Ringebant nihilominus alij, quos scilicet Satanas inhabitabat, nec poterant æquis oculis Virum mitissimum intueri. Æstas erat, necnon dies Dominica, & ipse in Diui Hyppoliti Basilica habuerat concionem, explicarátque Euangelicum hoc cōsilium, in vnam te maxillam percutienti præbe & alteram. Dum egreditur ecce turbulentissimus

Franciscū Granierius reuocat.

Cherubinus à suo Prouinciali vocatur.

Franciscus Bouerio Plessisi Mornai mendacia ostendit.

Bouerius abiurat hæresim.

Lyeurij haretici in Franciſcũ facinus.

ſimus quidam Hæreticus, Andræas Lyeurius vocabatur, recedẽtem violentâ manu ſiſtit interrogátque coram populo. Tu dixiſti in vnam maxillam percutienti præbendam alteram ne fortè percuſſa ſit illa pallidior; ſi ego te nunc alapâ percuterem, verteréſne faciem vt ſecundam tibi impertirem? Reſpondit ad hanc

Franciſci mira reſponſio ad interrogatũ inſolẽs.

inſaniam mitiſſimè homo Euangelicus. Amicè ſcio quid deberem facere, verumtamen neſcio quid facerem, ſtupuit ad reſponſum amens Lyeurius ſed parum abfuit quin ab adſtantibus in indignationem verſis ipſe quæſtionis ſuæ ſolutionem, niſi Saleſius impediſſet, experiri cogeretur. Inſolens alius Caſus fuit. Pater Spiritus in proximo vrbi templo concionantem Viretum

Spiritus Balmenſis cum Vireto diſcẽptatio.

audierat, factum eſt cùm abſoluta eſſet concio vt à Miniſtro ſui dicti rationem peteret. Miniſter ad extremum adactus furibundæ felis ad inſtar cœpit in Spiritum acribus verbis agere, & Spiritus altè etiam loquebatur. Populus qui in vrbem redibat hoc ſpectaculo facilè excandeſcens nebuloni non nemini Spiritum à Vireto auellendi animum dedit, venit igitur ille & quod ius diſputandi habes? inquit. Quis te huc miſit larua? tum vi eum extraxit. Saleſius ad hæc ſuperueniens conabatur placare omnia, iam enim non ex viris duntaxat multi, verùm etiam ex fœminis quamplures iaciebant in Spiritum lapides, & abigendum aiebãt.

Franciſcus tumultuantẽ populum tranquillat.

Ducis Sereniſſimi & Antiſtitis imperio & authoritate ſe miſſos eſſe dixit, nec ad aliud quàm vt & concionarentur & diſputarẽts Populus eo viſo & audito quieuit, euaſítque hac ratione Spiritus, cui deinceps Saleſius vt omnibus in hæreticos deſtinatis mitiùs agendi conſilium dedit. Sanè Saleſius nunquam hæreticorũ

Franciſci methodus agendi cũ hæreticis optima.

animos opprobriis vel aſperioribus Epithetis alienauit, tranquilliſſimus erat in ſuggeſtu, veritates Catholicas potius exponebat quàm in falſitatibus hæreticis confutandis immoraretur. Non deerant quidem & hi Religioſi viri, qui eum minus reputarent ad Hæreticorum conuerſionem idoneum, eo quòd non ſatis acriter (inquiebãt) in eos inueheret, ſed velut aliquid ab iis metueret lẽto procederet greſſu. Verúm his de iudiciis ipſe certior per amicos ſuos factus, Aiebat ſe experientia iam dudum cõprobaſſe ex lenitate maiorem ſemper emergere vtilitatem, & viam hanc meliorem faciliorémque eſſe. Hæreticos, vt ſunt ſuperbiſſimi, nõ facilè verbis atrocibus cogi. Prætereà ſe maximè aiebat cupere Chriſtum Dominum imitari, qui cùm Iudæis regnum cœlorum

annun

annuntiaret, obstinatos quidem seuerè corripiebat, sed veram suam doctrinam cum omni mansuetudine & lenitate spargebat. Quis verò ad æternæ sapientiæ prudentissimam methodum nõ se conformet? Nę ego, subiiciebat, nunquam inuectiuis & obiurgationibus vius sum, quin m e postea pœnituerit, debet esse certissimum axioma, homines plus amore & charitate demereri quàm seueritate & inclementiâ. Cùm aliquando ex cathedra sermonis feruore actus putidum Caluinũ dixisset, formato protinus Auditores Crucis signo non modicum mirati sunt, quòd tandem sic in eum egisset, non enim vnquam simile quidquam audierant, quod etiam cum accentu tam modesto pronunciauit vt facilè fuerit coniicere nullo id eum modo ex turbulentia feciſſe. Porrò hac ille benignitate & æqualitate sui tantum valebat in populo vt omnium animos aliquantulum cognitus raperet, nec id Sereniſſimum Ducem latebat, qui hac eum de causa Ripallienſi & Filliacenſi Eleemosinæ distribuendæ præfecit: & mirum erat quanta eum pauperes dilectione prosequerentur, vt & ipse eos suis in viscеribus ob amorem Christi gerebat. Distribuebat quotidie ad Ripalliæ fores nouem panes ponderis librarum quatuor necnon prætereuntibus omnibus curabat stipem erogari. Dabantur item pro pagis citra Duranciam eiusdem ponderis panes triginta in hebdomade. Pauperibus Tononensibus & vicinis, postquam genuflexi omnes simul pro suæ Celsitudinis incolumitate & prospero rerum suarum statu Deum orauissent viginti panes distribuebãtur, & poterat numerus si quę prętereuntibus dabantur & famulis in id destinatis iungas ad centum & viginti panes in hebdomade ascendere. Obtinuerat præterea Salesius à Duce quinque maiores modios Sabaudicos ex Abbatia Filliacenſi & Ripallienſi Prioratu, quos sexdecim senibus & infirmis prout sibi videbatur, distribuebat. Hac tempestate prodiit in lucem ex officinis Geneuensibus pernicioſiſſimus in sanctæ Crucis honorem libellus, authore quamuis tacito Antonio Fayano Ministro, quem ad scribendum impulerat solemnitas Animaſſiæ nuper exacta & erecta in biuio altissima crux, immò iam amentem penè verterat in rabiem. Currebat huc & illuc liber nemine respondente, donec in Salesij manus incidit. Is statim ad Episcopum iuit, qui conuocatis quos apud se, Tononi scilicet, habebat Concionatoribus aliisque Sacerdotibus doctis

Franciſcus benignitate & lenitate omnibus acceptiſſimus.

Franciſcus Ripallienſi eleemoſina præficitur à Duce.

Librũ contra Crucis honorẽ Fayanus edit.

quid hîc agendum eſſet deliberauit. Tandem omnium votis viſum fuit, Reſponſione ſiue Apologia pro ſacræ Crucis honore onerandum eſſe Saleſium, quippe qui iam antea Fayanum nouerat, & erectionis fuerat author, quíque in ſcriptionis genere, vt & prædicationis valebat quamplurimùm. Acceptauit non inuitus demandatam ſibi ſcribendi Prouinciam Frãciſcus, adhibénſque ſtatim operi manum ſic laborauit, vt in hac materia nihil paſſus ſit deſiderari. Suo autem more tractando potius quàm refutando rem omnem quatuor libris complectitur. In primo poſtquam de nomine Crucis egit, nouem probationibus Virtutem Crucis, eíque debitum honorem, ex ſcripturis, ex Patribus, ex cõſeruatione, ex imitatione, ex antiquitate, & ex dignitate ſtatuit. In ſecundo agit quatuordecim capitibus de picturis & imaginibus crucis, de apparitione Conſtantino magno facta: de vſu crucis in rebus ſacris: de ſalutatione & inuocatione crucis: de titulis & epithetis Cruci ab Eccleſia datis: de teſtimonio Arnobij: de comparatione Crucis cum ſerpente æneo: de punitione eorum qui erga Crucem malè fuerunt affecti. In tertio libro vndecim capitibus definito Crucis ſigno, ait eſſe publicam Chriſtianę fidei profeſſionem, oſtendit deinde frequentem & varium fuiſſe ſigni Crucis vſum in veteri lege, poſthæc tractat de cerimoniis & benedictionibus, necnon affert rationes cur formetur in puerorum baptiſmi Sacramentum ſuſcipientium fronte ſignũ Crucis; demum duobus vltimis capitibus de vi ſigni Crucis aduerſus Dæmones agit fuſiſſimè. In quarto & vltimo libro tractat perquàm egregiè de variis honoribus & adorationibus oſtendítque quo honore crux honoretur: & tandem piiſſimè ſicut doctiſſimè concludit in hæc verba. Nunquam arbitrata eſt Eccleſia cũ Apoſtolo quidquam ſcire vel prædicare niſi Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum, neque ſimiliter quidquam venerata eſt præter Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum: non Ieſum Chriſtum abſque Cruce, ſed Ieſum Chriſtum ſua cum cruce, & in cruce. Adoramus quod ſcimus: atqui ſcimus Ieſum Chriſtum in cruce, & Crucem in Ieſu Chriſto. Quamobrem hoc & totius Chriſtianæ doctrinæ, & omnium quæ huc vſque attuli compendio finem facio, proteſtando cum glorioſo Crucis prædicatore Diuo Paulo (ſed fac, ô Deus, plus hoc ſit corde & actionibus, quàm ſcripto & ore, & ſic in vitæ fine faciam) Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini

Franciſcus pro defenſione crucis librum ſcribit & Fayano reſpondet.

Domini nostri Iesu Christi. Opus hoc Sereniſſimo Duci dedicauit,tum vt ipſe ait,ad perhibendam ei aliquo teſtimonio propenſiſſimam ſuam deuotionem,cùm ad agendas gratias de reſtituta apud Veragros cæteróſque Geneuæ finitimos populos ſacroſanctâ religione Catholicâ. Dedicauit & ſecundariò librum hunc chariſſimis ſuis Confratribus Anicienſibus,qui ſub crucis vexillo ad rapiendum vi regnum cœlorum ipſo duce militabant, & curauit mandari typis Lugduni, quem tamen poſtea vir bonus quidam inſcio Saleſio ſub Panthologiæ nomine ſecundò edidit nec paruâ hac de re mœſtitiâ authoris affecit animum, qui nihil ita fugiebat quàm inſolentes titulos,erátque ſolitus dicere Architectum illum ſtolidum & imprudentem eſſe, qui decumanam portam domo maiorem faceret. Interea Tononum rediit Cherubinus vnà cum Reuerendiſſimo Gebennenſi Epiſcopo, qui pluribus in locis reconciliatis (vt aiunt)publicè Eccleſiis & in eiſdem erectis & conſecratis altaribus celebratiſque generalibus ordinibus,& miniſtrato Confirmationis Sacramento,Miſſas, diuina officia, Sacramenta Eccleſiaſtica, ieiuniorum dies, feſtiuitatum celebritates,ac cætera Chriſtiana exercitia reſtituit; necnon orationem quadraginta horarum à Patribus Capucinis bis eodem anno intrà decem dies Tononi celebrari permiſit, adeò verè infixam horum populorum cordibus à Saleſio veram fidem cognoſcebat.Et Deus Seruum ſuum coram hominibus miraculis etiam tunc clarum reddere voluit.In Sambonenſi Tononenſium ſuburbio viuebat obſtinata ſua in hæreſi mulier, quæ circa hæc tẽpora ab legitimo cõiuge filium pepererat.Is filius cùm per multos dies parentibus baptiſmum differentibus iacuiſſet in cunis,vitam cum morte commutauit Mater confeſtim graui conflictata mœſtitia quòd abſque baptiſmo filius ſuus deceſſiſſet, corrumpebat oculos fletu,& lamentis totam domũ, & viciniam implebat.Sepeliendus tamen erat infans.Perrexit idcircò ad Petrum Boueratium Sacerdotem qui Sambonenſium Curam habebat,vt in cæmeterio locum filio ſuo obtineret. Cùm ecce Saleſium offendens, Fiam Catholica,mi Pater, exclamauit, ſi tuis precibus filius meus viuat vt ſaltem baptiſari poſſit. Tunc Saleſius flexis genibus Deum deprecatus eſt, & ex ea hora filius vixit. Actis Deo parentes mille gratiis, infantem ad baptiſmum aſportarunt,qui tamen ad duos tantùm dies vixit,& cum vniuer-

Franciſcus librum ſuum Duci nuncupat, & fratribus pœnitentibus.

Granierius in Caballio Eccleſias conſecrat.

Franciſcus puerum mortuum ſuſcitat.

ſa ſuâ familia hæreſi nuntium remittentes Religionem Catholicam auidiſſimè amplexati ſunt. Fuit præter ipſum Boueratium huius rei teſtis oculatus Georgius Rollandus & mox per vrbem vicóſque tam celebris fama cucurrit vt miraculũ ipſe etiam Cherubinus publicè ex ſacro pulpito ad Hęreticorum confuſionem promulgauerit, nec diſtulerunt quamplurimi ſtatim ac de re tota certiores facti ſunt Vicanos illos imitari. Sed iam inſtabat Orationis quadraginta horarum tempus, iámque diligentiſſimè parabantur omnia, cum Dux Sereniſſimus huius ſpectaculi cupidus ad Gebennenſem Epiſcopum ſcripſit, ſi fortè differri actio poſſet. Epiſcopus indictam diem reſcripſit nec differri rectè poſſe, cúm de tempore quo apud Sebuſianos ſua Celſitudo occuparetur nihil certi conſtaret, at Orationis ſecundæ futuram Deo propitio teſtem, quæ ſolemniori cum apparatu pro eius dignitate cogitaretur. Itáque ad indictam diem vndecimam calendas Octobris, quæ Dominica erat, & vigilia diui Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtę, cœpta eſt prima Oratio ponè Diui Auguſtini Eccleſiam, tãto populorum vndíque tum ex remotis etiam ad duas diætas partibus, cùm ex vicinis Prouinciis Sabaudiæ, Burgundię, Heluetiæ, Valeſiæ, & Auguſtæ affluentium concurſu, vt vix credi queat. Facta eſt manè generalis Proceſſio, in qua detulit auguſtiſſimum Sacramentum Antiſtes, atque vbi regreſſum fuit in Oratorium, ecce Pœnitentes Confratres Taningienſes aduenerunt candidis veſtibus, nec mora trecenti homines Bellæuallenſis Parœciæ abſolutionem ab hæreſi petentes, quam obtinuerũt. Sequuti ſunt eos Sodales Boëgienſes, quos Franciſcus Saleſius Concione recreauit, ſumpto themate de realitate (vt aiunt) & dignitate Sacroſanctæ Euchariſtiæ, occaſione repręſentati Mannæ deſcenſus in deſertum ſuper theatrulum oculis ſuis obiectũ. Quadraginta poſthæc proceſſiones ſucceſſiuè turbam auxerunt Sancirciani erecta quàm mirè conſeruarant argẽteâ cruce venerunt; pluſquam ducenti Feſſerienſes, ſexaginta Perrigniacenſes ad fidem conuerſi ſunt, die poſtera venit Thomas Pobellus Tricaſtrenſis Epiſcopus, & cum eo innumeri penè Cluſenſes, Sallanchiani & Falcinates amicti ſtolis albis, nudi pedes, & Dominicam paſſionem repræſentantes. Poſt hos Agathopolitani, & ab his Nobilium Caballianorum præclara Societas, à Produce Iamberto conducta. Poſt meridiem Aquianenſes, quos Angeli

quam.

Cherubinus patratum à Franciſco miraculũ promulgat.

Oratio quadraginta horarum Tononij prima.

Franciſcus de Sacramento Euchariſtiæ concionem habet.

quamplures Passionis deferentes mysteria præcedebant, hi in theatrũ erecti suauissimos versus recitarunt; prodiit deinde Propheta Helias datum sibi ab Angelo panem cum ab impia Iezabele fugeret sub iunipero comedens. Properabant Terniacenses, sed à Geneuensibus dum eorum mœnia lamberent, per summam perfidiam aggressi, magnis laboribus & vitæ periculo non nisi ingruente iam nocte vrbem intrarunt. Quam totam Salesius & Cherubinus assiduis alternatim Concionibus transegerunt insomnem tandémque qui primi Orationi adfuerant, eam etiam reportato piissimè in diui Augustini Ecclesiam Sacramento clauserunt. Dux cum distinctissimè omnia accepisset, non modò hoc tam pium opus laudare cœpit, sed etiam propriis sumptibus huiusmodi institutum, cui ipse adesset palàm prosequutus est, & accessit faustissimum nuntium Alexandrum Medicem Cardinalem Florentinum, Summi Pontificis à latere Legatum è Francia redeuntem Matisconem appulisse, tenerique voluntate per Allobroges, atque inde per Vallesiorum tractum transeundi. Dux occasionem optimam ratus, qua sui erga Sacrosanctam Catholicam fidem studij luculentissimum testimonium exhibere posset parari secundam quadraginta horarum orationem Tononi qua necessariò transiturus erat Cardinalis iubet, simul eum excepturus Altacomba Chanam ad Rhodanum, Burgetinum lacum ac Saueriam fluuium nauigans properat, salutatóque Legato, qui lentè viam conficiebat, ipse celeribus equis Tononum aduolat. Gebennensi & Tricastrensi Episcopis Salesio Præposito, vniuerso Clero, ipsóque postmodum Duce suis cum aulicis obuiã Cardinali effusis, pridie Calendas Octobris intrauit in vrbem, ac in diui Hyppoliti ædem primò rectâ perrexit; ductus inde est in Vrbis palatium splendidè, ac vt tantum decebat Antistitem paratum. Hic cùm secundæ salutationis officium Proceres exhiberent, Sereniissimus Princeps Franciscum Salesium manu apprehensum ad Cardinalem duxit, & iste est (inquit alta voce) Mi Domine Caballij Apostolus quem ego tibi sisto venerabundum, & vides hominem à Deo benedictum, ac ad nos de cœlo missum, qui præ grandi salutis animarum studio inflammatus non sine vitæ suæ periculo primus in hanc Prouinciam intrepidè venit, sparsit diuini verbi semen, extirpauit zizania, Crucem Domini ac eius fidem plantauit, his in Ditionibus, è quibus eam

Franciscus & Cherubinus noctem Concionibus transigũt.

Dux secũdam orationem parari iubet.

Alexander Cardinalis Medices Tononum venit.

Franciscũ Dux Cardinali præsentẽ sistit.

Apostolum Caballij, vocat.

inferorum acies per hæreticos à septuaginta plusquam annis eradicarant & sustulerant. Ego verò tam pia cœpta secundaturus meum huc ensem attuli. At quidquid hoc in opere laudis est, totum illi deberi nemo diffiteatur. His dictis Salesius iterum in genua procubuit & Cardinalem per oræ vestis osculum veneratus est. Cardinalis verò tantillum inclinatus eum erexit, amplexatus necnon tenerrimè osculatus his verbis vsus est. Domine gratias ago tibi de tuo zelo, perge quo cœpisti pede, ego quod mei est muneris fusè quæ egeris Beatissimo Patri referam, nec id omittam. Tantis cumulatus honoribus Salesius receſſit perfusus rubore genas stupentibus omnibus, ipsis maximè qui aderant hæreticis, non enim Ducem tantis eum prosequi fauoribus cogitassent, quæ sanè res multum ad religionis valuit incrementum. Eo die apposita est operi extrema manus. Tota Augustinianæ Basilicæ nauis aureis, argenteis, & bombycinis tapetibus violaceis ornata erat, ad dextram pulpitum; è conspectu theatrum erectum est aureo cœlo opertum, sub quo Legatus & Dux esse debebant. Chorus in sacelli figuram restrictus, regnātibus circumcirca columnis quamplurimis Dorici ordinis pictis & deauratis, hemisphærion cæruleum aureis stellulis frequentatum sustinentibus. E chori medio ascendebant ad altare gradus, & super id positum erat precioſissimum ad Sacramentum tabernaculum floribus, statuis, imaginibus & gemmis illustratum; denique nihil videbatur non splendissimum. Manè facto Calendis Octobris, qui dies Iouis erat, Dux Cardinalem è suo hospitio in Diui Hyppoliti ædem duxit, & statim Petrus Petitius Geneuensis Minister à Salesio ad Orthodoxam fidem reductus sese vltrò & sponte ad abiurandam Cardinalis in manibus hæresim obtulit. Sedebat autem Cardinalis insignis solemnibus infulis ante maius altare vultu ad populum conuerso, Dux à chori læuâ & ab illo Prælati suo quisque ordine, Nuntius Gonzaga Episcopus Mantuanus, Granierius Episcopus Gebennensis, Pobellus Episcopus Tricastrensis; Episcopus Torcellensis: Episcopus Termolensis: Minoritarū Francis. canorū Minister Generalis: Iustus, ex Auditoribus Rotæ: Adornius & Ragasso vtriusq; signaturæ Referendarij, & Maluicinus Protonotarius Apostolicus. Iunctæ erāt Torquatorum Equitum Sabaudię sedes. Ante hos à latere Theologi & cæteri alicuius notæ

Francisco Cardinalis gratias agit.

D. Augustini Ecclesia vt instructa.

Petitius Minister hæresim abiurat.

tęEcclesiastici.Retrò,Aulici nobiles,quos ingẽs populus premebat.Minister longâ habitâ oratione Michaël Forasius,cũ eo quãplures viri Nobiles & Ciues hæresim genuflexi abiurarunt.Quo facto Gebennensis Episcopus solemnem Missam respondentibus Musicorum choris decantauit, & statim ac finita fuit generali Processioni initium datum. Vici omnes à summo manè tapetibus, imaginibus, frondibúsque ornati fuerant. Ante Decumanam ædis portam eleuabatur artificio mons Aetna cuius vertex flammeos globulos vibrabat in cœlum, è radicibus autem fons fluebat amœnissimus. Ad vici circumflexum ante Præsulis Tricastrensis hospitium cernebatur præcelsus triumphalis arcus altissimâ cumulatus Pyramide , cuius acumini insidebat Castrum lateralibus quatuor turribus obuallatum,necnon æneis munitum fistulis. Antistes Gebennensis Sacramẽtum deferebat sub vmbella,quam baculis quatuor altè sustinebant Dux Serenissimus,Amedeus nothus Allobrox,Marchio Samrambertinus, Consul Meyerius, & Dynasta Grandicurtius Friburgensium Heluetiorum Oratores. Sequebatur stipatus Prælatis Cardinalis, ab illis veniebant Aulici, nobiles, ciues, & nouissimè ingens tum plebeiorum cùm Fœminarum ex remotis etiam regionibus turba. Ad triumphalem arcum suspensa in aëre nubes sese spontè aperuit, emisitque columbam candidam pedibus rostro & pectore aureis quæ Cardinali & Duci Epigrammata duo aureis in cyaneo inscripta caracteribus,Cardinali quidem Latinum, Duci verò Gallicum exhibuit. Prioris argumentum erat Alexandrum Medicem Alexandro Maiorem triplices de Marte triumphos vnum agere,& pacem restituere tribus.Stringere tres coronas optatâ fronde Palladis,& asserta religione Victorem redire,fœlici demum concludebat augurio his illi pro meritis Trinum qui in æuum regnat tergemino sacrum cincturum honore caput. Posterioris: Magni Principis zelum,& virtutem bellicam fœlicitatem parem cordis magnitudini mereri. Et cælum cui curæ esset ipsum iam pace magis quam bello victorem reddere; vt nubes euanuit visa est triremis aërem velut aquas sulcans quę castrum longis tormentorum fragoribus aggressa est. Sed tam horrendis castrũ tonis respondit, vt tremebundos omnes densa etiã fumi qui ex cannarũ prodibat ore caligo circumuoluerit. Tandem pererrata vrbe in ædem regressum est,data populo benedictio

Forazius & multi nobiles haresim abiurant.

Viri Tononiensis vrbis vt instructi.

Aetna.

Pyramis.

Nubes.

Columba.

Epigrammata.

Triremis in aëre.

Tormenta bellica.

nedictio: repositum in tabernaculo Sacramentum, accensę mille milléque candelæ: persoluta nonnulla cantica: & Cardinalis cum Duce & Episcopi in hemicyclis consederunt. Tum Cherubinus primam habuit concionem sumpto themate. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Hunc sequutus est Præpositus Salesius qui hæc Domini verba, Caro non prodest quidquam doctissimè elegantissiméque explicauit: plus decies deinde Concionatus est sumpto sequentium verborum themate, Spiritus est qui viuificat: verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt. Hoc facite in meam commemorationem. Præter duos hos viros planè Apostolicos Concionibus incubuerunt Ludouicus Salesius, Philibertus Roges, Ioannes Maniglerius, Claudius Grandis, Stephanus Nouellętius, Pater Galesius Minorita Franciscanus, aliique multi doctissimi Sacerdotes, qui variis temporum interstitiis affluentes vndique Processiones exceperunt, Agathopolitanorum, Clusensium, Sallanchiensium, Bonnensium, Hermantianorum, Lullinensium, Bontinorum, Brentinorum, Vegiacensium, Sancricianornm, Sandesiderianorum, Douenensium, Ballesonensium, Messeriacensium, Narniacensium, Coudreanorum, Crosetensium, Lulleriacensium, Chauanæiorum, Margencellensium, aliorúmque Caballij populorum quæ plusquam decem hominum millia conficiebant. Die postea cum Dux & Proceres manè sacrosanctam Eucharistiam sumpsissent piissimè transacta luce ad vesperam sodales Tononenses sancti Sacramenti albis induti vestibus è Diui Hyppoliti templo altissimam grauissimámque crucem ligneam comportantes egressi sunt. In vicũ quem idcircò Crucis nominant vti olim etiam Cruce insignis erat statim ac ventum est, Dux cum Episcopis & Salesio adfuit, ipseque suis manibus Crucem erigentes adiuuit clangentibus tubis, Sacerdotibus, sodalibus, & Musicis canentibus, nullo omisso lætitiæ signo. Plusquam quatuor hominum millia huic solemnitati adfuerunt, eorúmque nemo non miratus abiit Principis & Catholici populi in erigenda tanti ponderis & vastæ molis cruce virtutem: nam nullis funibus aliisve industriis sed sola manum vi facilè ac breui elata est & firmata, vt miraculo res proxima videri possit. Dux protinus flexis genibus Deum orauit, Crucémque amplexu & osculo veneratus est. Sodales fecerunt similiter, cantatóque lætitiæ hymno Sancto-

Franciscus decies & amplius concionatur.

Processiones vndique ad decem hominum millia.

Dux cum Episcopis & Franciseo Crucem erigit.

Dux flexis genibus Crucẽ veneratur.

Sanctorum Ambrosij & Augustini in Oratorij Ecclesiam regressi sunt. Die tertia Orationi clausula data Bernenses, Friburgenses,& Geneuenses Oratores accesserúnt ad Principem cuius laudes nemo melius quàm Salesius ipse dixerit. Res adeò fœliciter successit,(de conuersioneCaballianorum inquit)vt Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Florentinus à latere Sedis Apostolicę Legatus diebus aliquot interpositis adueniens multa iam hominum millia viderit conuersa esse, quibus quidem ipse partim absolutionem contulit,partim ab Episcopo,partim etiam à me dari voluit,cum scilicet in tanta Pœnitentium copia omnibus diei horis paratus esse deberet aliquis, qui ad caulas Christi redeuntes oues exciperet. Quem profectò tam insignem & ingentem animorum motum vt in supremum rerum omnium immobilem motorem referre dignum & iustum est:sic quoque ingenuè fatendum illum Ducis zelo,tanquam optimo instrumento,vel maximè vsum fuisse: illis enim aliquot mensibus, quibus Dux huic conuersioni procurandæ incubuit,atque adeò Tononi moratus est, cor eius peculiari quadam gratia in manu Dei esse videbatur, vt ad quodcunque vellet conuerteret illud, cum siue publicis ad populum cohortationibus ac vocibus Catholico Principe dignis, siue priuatis monitis ad eos qui videbantur hæresis maiores columnæ siue exemplis bonorum operũ omnibus animi dotibus,ac viribus cum populo illo vniuerso cõtenderet,vt illum Catholicæ Ecclesiæ inferret referrétque. Constitutus scilicet à Deo Dux super plebem illam, prædicans præceptum eius,nec destitit vnquam donec mutata rerum facie, velut exacta hyeme & redeunte vere,vbique appareret arbor decora & fulgida viuificæ Crucis, vbíque Ecclesiæ cantus vt vox turturis audiretur in terra illa, & vineæ illæ instauratæ recentésque florentes darent odorem suum.Nusquam suauius,nusquam efficacius hoc nostro tempore hæreticorum tanta copia ad sanam fidem adducta est.Hęc Salesius.Itaque primi Bernates postquam de nonnullis ob quę maximè venerant diu satis egissent,demum à Duce petierunt vti liberum religionis vtriusque exercitium Tononi præcipuè relinqueret, Dux religiosissimus ad vltimam hanc petitionem respondit. Quemadmodum vos cùm hanc prouinciam occupauistis, omnimodum hos in populos ius arrogauistis vobis, ita vt ad amplectendam eos nouam ac recentem

Franciscus Ducem laudat summo Pontifici.

Bernates liberum relinqui religionis exercitiũ petunt.

Dux negat.

opinionem de fide vestram coëgeritis : ita nemini vestrum dissonum aut malum videri debet, si ego Princeps legitimus iustis recuperatam armis, veræ eam & antiquæ religioni naturalibus meis subditis id volentibus reddo. Sequuti sunt dispari methodo Friburgenses, qui Duci restitutam religionem Catholicam gratulati, ab ipso miris cumulati fauoribus discesserunt. De Bernatum tamen rebus paulò post consilium ab Duce habitum, & in eo ab iis, qui religionem tanquam aliud agentes colunt, de retinendis tribus Ministris ex Niuidunensi fœdere Tononi scilicet, Bonti & Narniaci agitatum est, Salesius autem inclinatos plurimorum Patrum animos in eam sententiam cùm videret, his Ducem verbis ore toto vim & efficaciam vibrans aggressus est. Serenissime Domine: Ministros hac in regione relinquere terras tuas perdere est, & cœlum cuius latitudinis pes vnus plus valet quàm mundus vniuersus. Fiduciario tantùm iure hactenus inhabitarunt Prouinciam, ad eos retinendos teneris minimè, nec vllum intercedere potest inter Iesum Christum & Baal pactum. Dux statim ac intellexit oraculum. Abeant (inquit) igitur, nec inueniatur vllus qui hac de re me amplius alloquatur. Habito consilio Oratoribus Heluetiis prandium dedit, inter quod cùm à Bernatibus iterum pro tribus illis Ministris sollicitaretur. Sit ita (inquit) remaneant, dummodo quos ego Bernam mittam Sacerdotes recipiatis. Ad hæc iratum Principem satis aduertentes conticuerunt, nec vlterius hac de re tractatum est. Sed anterioribus Ducis laudibus posteriores subnectens, Salesius audiatur. Huc vsque tamen (subdit) pars ista maxima illorum populorum ad Ecclesiam reuersa aliquos habebat, immixtos vtriusque sexus hæreticos, qui cæteris obstinatiores in errore permanebant, quibus cùm mederi aliter non posset Dux, ne reliquam plebem inficerent eos demum edicto publico discedere præcepit. Huius edicti terrore perculsi, aliquot etiam conuersi sunt, nimirum dum configitur spina, & afflictio dat intellectum auditui, vt nullum lapidem reliquerit Dux religiosissimus, quem ipsemet suis, vt ita dicam, manibus non mouerit, per blanditias, per minas, vt quoad per eum fieri posset populi illi conuerterentur, & quod laude dignius est, magnâ consilij parte contrasentiente & consulente (nam & rectè memini interfuisse me consilio hac de re habito speciali nimirum mandato Principis accersitus

Friburgenses gratulãtur Duci ob restitutam religionem.

Franciscus pro religione potenter Duci loquitur.

Franciscus iterũ Ducẽ laudat.

Franciscus à Duce ad Consilium vocatus.

situs in quo pleriquè Consiliariorum rem illam tum aggrediendi tempus non esse, résque non ferre mordicùs asserebant, neque sanè sine probabili illarum, quas status appellant rationum momento) quibus tamen omnibus vnam religionis rationem Dux præposuit ac prætulit, idque videntibus, spectantibus, ac frementibus Bernensium Legatis, qui illis ipsis diebus vt id auerterent solemnem egerant legationem. Hæc Salesij verba. Parum erat talibus initiis fidem in Caballium aduocasse, tótque procreasse liberos, nisi etiam iis alimenta ministrarentur, erátque necessarium iis populis certos constituere pastores, qui eos instruerent instructos corroborarent, ad Ecclesiastica Sacramenta ritu Catholico suscipienda paulatim inuitarent, ac ad obseruanda Dei & Ecclesiæ præcepta accenderent. Quapropter Franciscus Salesius tertio Nonas Octobris hos Sereniſſimo Duci obtulit articulos. Primò quidem. Det sua Celsitudo absolutas vindicias de reditu omnium Beneficiorum Ecclesiasticorũ in Caballio existentium, ad Curiones cæterósque necessarios instruendis populis Sacerdotes alendos. Responsum est ad primum. Sua Celsitudo concedit. Secundò. Ad omnem euentum reditus Beneficiorum curioniorum huic rei applicentur cum ampla & perpetua fiduciaria possessione. Quantum verò est de beneficiis non Curioniis, sumantur reditus saltem ad tres annos pro Ecclesiarum, altarium, aliarúmque rerum necessariarum, quæ populorum paupertas modò nequit, restauratione. Responsum est ad secundum. Sua Celsitudo concedit. Tertiò. Tollatur Ludimagister hæreticus Tononensis & renouentur inhibitiones ac prohibitiones in statutis Sabaudicis contentæ, ne quis Pater aut Patris fungens munere liberos ad studia absque expressa suæ Celsitudinis venia extra Status mittat. Responsum est ad tertium. Quod ad Ludimagistrum spectat sua Celsitudo concedit. Quod ad liberos studiorum causa foràs profecturos edicto generali iam cautum est. Quartò. Sufficiatur in Hæretici Ludimagistri locum Catholicus, & detur commissionis species Dominis, Gubernatori, Summo Prætori, & Procuratori Principali vt restituatur legatum à Francisco Eschernio & eius Coniuge ad alendos duodecim pauperes scholarum candidatos Catholicos ex Legatoris intento. Responsum est ad Quartum. Sua Celsitudo concedit. Quintò. Priuentur hæretici omnibus publicis muneribus, offi-

Franciscus pro religione Duci articulos porrigit.

Vindicia de beneficiis.

Saltem ad tres annos.

Tollatur Ludimagister hæreticus.

Sufficiatur Catholicus.

Hæretici priuentur muneribus.

ciis, gradibus, dignitatibus, nec iis duntaxat, quæ ex ſuæ Celſitudinis obſequio immediatè dependent verùm iis etiam quæ ex Iuriſdictionibus inferioribus, & præcipuè Comitatu Allingiorum, aliiſque Lazarianorum Equitum bonis & prædiis. Reſponſum eſt ad quintum. Sua Celſitudo concedit. Sextò. Remoueatur quantum fieri poterit ab hac Tononenſi vrbe Miniſter, quandoquidem ea ex Niuidunenſi fœdere abſoluto religionis Catholicæ exercitio data eſt, & Miniſtri approximatio nullum ſuæ Celſitudinis conſenſum habet, ſed officialium ſimplicem tantùm tolerantiam, quod ad tollendum etiam Ludimagiſtrum rectè facit & iuſtè. Reſponſum eſt ad Sextum. Sua Celſitudo concedit, vultque præterea ex capto iampridem conſilio Religionis prætenſæ exercitium omninò prohiberi, tum generaliter cùm peculiariter. Septimò. Catholici Tononum inhabitantes ſub ſolitis oneribus Ciues fiant, poſſintque intereſſe comitiis, in iis vocem habere deliberatiuam, & demum omnibus Ciuitatis priuilegiis gaudere. Reſponſum eſt ad ſeptimum. Sua Celſitudo concedit. Atque hi ſunt oblati conceſſique articuli quibus Dux ſignum ſuum appoſuit necnon per Burſerium ſubſcribi ſigillique ſui impreſſione muniri iuſſit. Poſthæc moueri poſſe Hæreticos obſtinatos ratus, ſi letiibus iterum verbis eos alloqueretur, Ciues omnes cæteroſque Caballianos alicuius nominis viros in Comitiorum aulam cõuocauit, tum adhibito ſibi Saleſio in hanc ſententiam Concionem habuit. A quo tempore Prouinciam iſtam iniquis occupatam armis, noſtris legitimis æquiſque recuperauimus nihil ita habuimus in votis, Ciues chariſſimi, quàm vt eam ab inferni tyrannide, qua per Hæreſim vexatur, liberaremus. Ad vos ergo quamprimùm miſimus Doctores Theologos, veræque religionis Concionatores. (Videtis hîc primùm ac præcipuum) qui lucem inferrent caligantibus vobis, atque ex inferni faucibus eruerent. Etſi enim ad amplectendam veſtri Principis religionem vel inuitos, ſi ita nobis placuiſſet, compuliſſemus, nihilominus tamen leui brachio vobiſcum agere voluimus, ſperantes vos Matrem veſtram protinus recognituros, acceſſuroſque ſponte in eius gremium, eſt quidem quod de multis Eccleſiæ Catholicæ gratulemur illos videmus, illos amamus, illorum in tempore non erimus immemores. Verùm ſunt & alij duriores ſaxis, & vel ipſo Pharaone obſtinatiores, quos neque Religionis ſanctitas,

Remoueatur Miniſter.

Tononienſes incolæ Catholici Ciues fiãt.

Dux Caballianos in Comitiorum aulam conuocat. Eius oratio.

Franciſcũ oſtendit.

ſanctitas, Maieſtas, ſplendor, amplitudo, Antiquitas, ſoliditas, miracula, concordia, neque exemplum & voluntas noſtra mouent, adeò delectantur in luto, & noctuarum in morem diligunt magis tenebras quàm lucem. Hos ſanè non poſſumus quin odio proſequamur. Sentient verò quid ſit malè apud nos eſſe niſi conuertantur. Quis vos faſcinauit non obedire veritati, ô miſeri, ante quorum oculos Chriſtus crucifixus eſt? ſed vltimum iam ſcire volumus. Date locũ in medio. Qui noſtri ſunt, vel eſſe cupiunt, veniant ad dexteram. Qui verò Hæretici atque ita à nobis diſſentientes remanere volent, tranſeant ad ſiniſtram. Hoc dicto ſilẽtium tenuit donec omnes loca mutaſſent. Quamplures dextram tenuerunt, abierunt tamen in ſiniſtram multi. Tunc Saleſius Ducis relicto latere ad miſeros conuerſus, modò hunc, modò illum ſuauiſſimis cohortationibus cõmonebat, num tanti facinoris puderet? Num mentem haberent & oculos. Viderent porrò quid agerent, nemini enim Ducem indulturum. Denique ſic egit, vt eorum partem maximam ad dextram retulerit. Dux ad obſtinatos indignanter verſus, vóſne igitur eſtis, inquit, ô male erga Deum ac nos affecti, qui indignationem noſtram experiemini? Diſcedite à me, indigni quos vnquam hæc terra ferat, & intra dies tres vacuate Patriam. Egredi ſtatim lictores coëgerunt, & receſſerũt miſeri illi in Exilium Niuidunum trans Lemanum lacum, Brottyacus, Iolyus, Prezius, aliíque nonnulli Nobiles ignobiléſque, & mox curauit de omnibus voluntatẽ ſuam Princeps, ſi quis vnquam maximus exequutioni mandari patentibus in eam litteris datis; his autem inter alias pro Curionum alimẽtis Eccleſiarúmque reſtaurationibus. Carolus Emanuel, Dei Gratia Dux Sabaudiæ, Subalpinorum Princeps. Dilecto ac fideli Procuratori noſtro in Caballio, Nobili Claudio Marinio Salutẽ. Cupientes quãto citiùs fieri poterit Eccleſiarum, Altarium, aliarúmque rerum religionis Catholicæ exercitio neceſſariarum reparationi & reſtaurationi prouidere. Idcircô iubemus tibi & imperamus per præſentes vti fideli recenſione obſignes Omnes & ſingulos quoſcunque reditus, bona, fructus, pecunias & cætera pertinentia vel dependentia ex beneficiis Caballianis, præcipuè Prioratu Sancti Hyppoliti ad trium annorum tempus. Quos quidem fructus & reliqua volumus ad reparationes & reſtaurationes iam dictas adhiberi. Prohibentes diſertiſſimè ne ex iis fructi-

Catholicos ab hæreticis ſeparat.

Franciſcus hæreticos commonefacit.

Ducis in hæreticos indignatio.

Ducis littera pro Curionibus & Eccleſiis.

bus & reliquis quidquam cuiquam tradas, remittas, vel alteri rei inſumas præterquam dictis reparationibus & reſtaurationibus, idque ſecundùm reſcripta & iuſſiones, quæ tibi ab Reuerendiſſimo Claudio Granierio Epiſcopo Gebennenſi, Reuerendiſque Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Cathedralis Sancti Petri Gebennenſis, & Claudio Angeuillano Primicerio Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Ioannis Baptiſtæ oppidi Rupenſis, quibus idcircò omnimodam authoritatem fecimus exhibebuntur. Tibi verò poteſtatem etiam facimus cogendi omnes qui cogendi erunt, omnibus iuſtitiæ viis ad obtemperandum, nonobſtantibus oppoſitionibus & appellationibus quibuſcunque, conſiderata re de qua agitur, & quam nec debemus, nec volumus, nec poſſumus in moras reiicere. Quapropter præcipimus & imperamus noſtris omnibus Magiſtratibus, Miniſtris, Officialibus & ſubditis vti preſentes obſeruent, & ad earum exequutionem omnem opem ferant, quantum nobis diſplicere timent. Hæc omnia agendi poteſtatem, authoritatem, Commiſſionem & iuſſionem tibi damus: tale eſt enim placitum, & votum noſtrum. Datum Tononi die quinta Menſis Octobris, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo. Alias dedit litteras ad quartum Idus Octobris quibus dicit, declarat, ſtatuit & decernit. Deinceps nullo modo permiſſum eſſe hominibus cauſam bonorum & redituum Eccleſiaſticorum tam ab Lazarianis Equitibus poſſeſſorum quàm aliorum quorumcunque in Caballio & Terniacenſi agro exiſtētium habentibus ea directè vel indirectè ad locationem, conductionem, exactionem, vel quæſturam, aliis perſonis dare quàm quæ veram Catholicam Apoſtolicam & Romanam religionem profitentur, ſub Commiſſi noxa & mulcta. Prohibitum eſſe quibuſcūque cuiuſcunque conditionis & ordinis ſint minari Catholicis vel religionis Romanæ cupidis, verbis vel actionibus, aut eos vtcunque malè accipere, in eos inuehere, ſæuire, aut terrere ſub pœna mille librarum & aliter ad arbitrium. Quòd homines Religionis prætenſæ nequeant deinceps ad vlla publica munera, officia ſiue dignitates promoueri, recipi, & admitti, adeò vt Iudices, Cauſidici, Caſtellani, Curiales, Procuratores, Notarij, Commiſſarij, Apparitores eſſe non poſſint. Sitque omninò prohibitū earum dignitatum, munerum & officiorum exercitium iis qui hactenus quid ſimile habuerunt, cum abrogatione, abolitione &

Franciſco authoritas à Duce facta.

Alia Ducis littera quibus hæreticos reiicit.

reuo

reuocatione Diplomatum, litterarum patentium, vel constitutionum quas habent velut contractuum & actorum si deinceps simile quid prę sumerent sub pœna falsi. Expeditis his litteris cum summo hæreticorum omnium terrore, Præpositus Salesius, Primicerius Angeuillanus, & Procurator Marinius assumpto Tabellione sese ad commissam inquisitionem accinxerunt, retulerúntque sub hoc argumento. In agro Caballiano citra flumen Duræ erant antiquitus hæ Parœciales Ecclesiæ, quibus singulis singuli Rectores præerant, & in quibusdam Monasteria virorum & mulierum, ac Prioratus regulares consistebant, aliæque etiam inuicem perpetuò vnitæ fuerant. Scilicet Ecclesia sancti Hyppoliti Martyris in vrbe Tononensi (in qua tunc etiam erat Prioratus trium Monachorum Ordinis sancti Benedicti ac quamplura Sacella) cum illi hactenus perpetuò vnita sancti Marcelli Martyris loci Marclaensis, nunc penitus diruta. Ambæ carent Sacerdotali domo. Vrbana enim cum decimis & aliis bonis immobilibus ad illam & Prioratũ ac Sacella respectiuè pertinentibus, à Bernatibus, seu ab eis causam habentibus omninò alienata reperiuntur, & ab Vniuersitate ipsius Vrbis, quæ aliquas decimas & ferè omnia bona stabilia vendidit & abalienauit, possidentur. Ecclesia verò integra remansit ablatis inde altaribus (prout consueuerunt hæretici) quorum maius, cum duobus aliis iam erectum est. In eadem vrbe olim erat domus Fratrum Eremitarum sancti Augustini, multis dotata reditibus consistentibus in bonis stabilibus & piis legatis. Eius autem Ecclesia vnà cum bonorum quorundam parte adhuc subsistit, reliqua verò abalienata fuerunt. Ecclesia sancti Stephani Martyris pagi Tulliacensis cum illi perpetuò vnita sancti Ioannis Baptistæ pagi Concisani, (in hac tamẽ non erat fons Baptismalis nec sacra Eucharistia pro infirmis asseruabatur) ambarum domus vnà cum decimis & bonis stabilibus alienatæ fuerunt & à laïcis possidentur. Intrà huius Ecclesiæ fines insignis erat Prioratus Conuentualis Ripalliæ nunc exustus. Ecclesia sancti Petri Apostoli pagi Armoënsis cum illi perpetuò vnitis vnà sancti Mauritij Martyris loci Reiurozij, & altera sancti Nicolai Confessoris loci Liauensis (in qua erat Cemœterium: nulla tamen ibi administrabantur Sacramenta, nec asseruabatur sacra Eucharistia pro infirmis.) Hæ tres Ecclesiæ Parœciales perpetuò annexæ fuerant Capitulo Ecclesiæ Cathedralis sancti

Franciscus cum Angeuillano & Marinio de Ecclesiis Caballij inquirit.

Ecclesia Tononiẽsis.

Marclaensis.

Tulliacensis.

Concisana.

Armoënsis

Reiurozienſis.

Liauensis.

sancti Petri Gebennensis ab Alexandro Papa Sexto, decimo sexto Calendas Februarij anni millesimi quadringentesimi nonagesimi quarti, sui Pontificatus anno tertio, quas ab inuasione Caballij vsque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum Geneuates cum earum bonis vsurparunt, ex quibus aliqua stabilia non exigui valoris abalienauerunt. Prima habet domum, reliquæ duæ nullam. Extant adhuc decimæ, Census clientelares, & bona quædam stabilia, ad perpetuorum Vicariorum sustentationem sufficientia. Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis pagi Bellæ-Vallis cum illi antiquitùs perpetuò vnita Sancti Ioannis Baptistæ pagi Lullinensis, quæ vltra duo milliaria ab inuicem distant. In prima fundatus erat olim trium Monachorum Ordinis sancti Benedicti Prioratus, & iam ante inuasionẽ, Monasterio Athenæensi eiusdem Ordinis Ciuitatis Lugdunensis perpetuò vnitus, Cuius domus cum decimis, Censibus clientelaribus & aliis stabilibus bonis integrè permanserunt. Domus verò Curioniæ dirutæ, & earum bona stabilia partim à Bernatibus vendita, partim sub annuis censibus abalienata fuerunt. In ea Bellæ-Vallis Parœcia & loco Vallonis erat olim Carthusianorum Monasterium, quod vnà cum Ecclesia dirutum est. Census Clientelares, temporalis Iurisdictio & bona stabilia omnia partim à Bernatibus, seu ab iis causam habentibus vendita, partim etiam sub annuis censibus abalienata extiterunt, & nunc pacificè possidentur à laïcis. Ecclesia sancti Georgij Martyris pagi VValliacensis nullos habet inpræsentiarum reditus, nec domum Sacerdotalem, nam decimæ & bona omnia stabilia alienata sunt. Ecclesia sancti Iacobi Apostoli pagi Orserienſis. Huius Domus sacerdotalis, decimæ, & alia bona stabilia abalienata fuerunt perpetuò quibusdam laïcis sub annuo censu centum & sexaginta florenorum Sabaudicorum: iam verò possidentur à Claudio Pratensi Iurium Doctore, qui ea se relaxaturum dixit, dummodò restituantur tut pecuniæ quas idcircò Bernensibus persoluit. Ecclesiæ sancti Petri Apostoli pagi Dralliantini Domus destructa est. Bona stabilia omnia à Geneuatibus fuerunt alienata. Ibi olim fundatus erat rusticanus Ordinis Cluniacensis Prioratus, cuius domus subsistit, decimæ ac clientelares census, nonnulla verò bona stabilia alienata fuerunt. Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis pagi Allingiorum (in qua olim erat Decanatus rusticanus) cum illi perpetuò vnita sancti

Bellæuallensis.

VValliacensis.

Orseriẽsis.

Drallian tina.

Allingiorũ.

cti Mauritij Martyris loci Mezingensis. Ambæ carẽt domo. Prior habet quædam bona stabilia, alia verò sub annuis censibus abalienata fuerunt. Decimæ possidentur à Præposito Hospitalis Sanctorum Nicolai & Bernardi Montis-Iouis Diœcesis Sedunensis.

Perrigniacensis.

Ecclesiæ sancti Sylvestri Confessoris pagi Perrigniacensis, Domus Sacerdotalis est destructa. Bona stabilia fuerunt à Bernatibus partim vendita, partim abalienata. Decimarũ sexta pars olim ad Rectorem spectabat, reliquæ verò quinque partes ad Abbatẽ Monasterij Filliacensis, Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini huius Diœcesis. Nunc eæ omnes decimæ à Gregorio Papa Decimo tertio Mauritianis & Lazarianis Equitibus traditæ sunt. Ecclesia sancti Nicolai Confessoris pagi Bracorentini. In huius finibus ante inuasionem erat Monasterium Monialiũ Ordinis Cisterciensis, Loci, cuius Ecclesia cum Monasterij Maiori parte subsistit. Domus Sacerdotalis & quædam bona stabilia à Bernensibus sub annuo quodam censu abalienata. Decimæ in quinque partes olim diuidebantur, quarum duæ ad Curionem spectabant, reliquæ verò tres ad Abbatem Monasterij Beatæ Mariæ Alpium Ordinis Cisterciensis huius Diœcesis quas etiam nunc possidet, Equites vero Lazariani Decimas rectoris.

Bracorentina.

Seruẽtina.

Ecclesia sancti Stephani Martyris pagi Seruentini Domum habet Sacerdotalem cum quibusdam stabilibus bonis, reliqua sub annuo censu abalienata sunt. Decimæ verò à Lazarianis possidẽtur.

Fessiacẽsis.

Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ pagi Fessiaci, Domum Sacerdotalem cum quibusdam bonis stabilibus ac clientelaribus censibus habet, reliqua abalienata, Decimarum quædam pars olim ad Rectorem spectabat, reliqua Abbas Alpium adhuc possidet, Rectoris vero partem Lazariani. Ecclesia sancti Mauritij Martyris pagi Lulliacensis nonnullos habet clientelares census ac decimas olim ad Rectorem spectantes, nunc verò ad Lazarianos. Domus & quædam bona stabilia sub annuo censu alienata sunt.

Lullincensis.

Ecclesia sancti Mauritij Martyris pagi Brentonaïensis, cum illi olim perpetuò vnita sancti Vrsi Martyris loci Vigniacensis. Hæc partim destructa est: illa habet Domum cum quibusdam bonis stabilibus, reliqua sub annuo censu vendita & abalienata. Ab ipsa dependent adhuc quidam clientelares census, & frumẽtorum decimæ indiuiso iure cum Præposito Montis-Iouis, & cũ quibusdam laïcis. Lazariani verò quæcunque ad Parœcialẽ per-

Brentonaiensis.

Vigniacẽsis.

Auulliacensis. tinent possident. Ecclesia sancti Sylvestri Confessoris pagi Auulliacensis penitùs destructa est, & domo caret. Bona stabilia sub annuo censu partim vendita, partim abalienata. Decimas habet indiuiso iure & portionibus æquis cum Abbate Alpensi nonnullisque laicis, necnon clientelares census. Quæ omnia Lazariani

Fontinus. percipiunt. Ecclesia sancti Petri Apostoli pagi Bontini Domum cum nonnullis stabilibus bonis habet, reliqua sub censu alienata. Habet præterea quosdam clientelares census & tertiam Decimarum partem ex omnibus frumentis, indiuisè, pro duabus residuis cum Monasterio Monialium Locensium & hæc quoque

Sandesideriana. omnia possident Lazariani. Ecclesia sancti Desiderij Martyris pagi nominis eiusdem paris est conditionis cum Bontina: vt & Ecclesia Beatæ Mariæ Magdalenæ pagi Saffellensis. Ecclesia sancti

Saffellensis Brentina. Mauritij Martyris pagi Brentini. Domus & bona stabilia ferè omnia sub annuo censu abalienata fuerunt. Decimæ diuiduntur in tres partes, quarum tertiam habet. Pro aliis duabus ius habet indiuisum partim cum Sacello Beatæ Mariæ Pietatis olim in Bõtina Ecclesia fundato, partim cum nobilibus quibusdam laïcis. Habet præterea census clientelares. Quæ omnia ab Lazarianis

Machilliacensis. possidentur. Ecclesiæ sancti Petri Apostoli pagi Machilliacensis. Domus & bona stabilia partim vendita, partim sub censu abalienata. Percipit omnes decimas tam frumẽtorum quàm vini. Quæ

Sanciriana. tamen nunc Lazarianorum sunt. Ecclesiæ sancti Ciricij, seu Ciriaci pagi nominis eiusdem. Domus Sacerdotalis diruta. Bona partim vendita, partim sub censu abalienata. Habet quosdã census clientelares. Rector percipit partem Decimarum tam vini quàm frumentorum pro indiuiso cum Abbate Alpensi. Quidam Sacerdos est ea Canonicè donatus. Ecclesia Beatæ Mariæ Virgi-

Iuniperiana. nis pagi de Iunipero cũ illi perpetuò vnita sancti Eustachij Martyris pagi Buringensis. Ambæ cum domibus sunt omninò destructæ. Habent quædam bona stabilia, Cætera partim vendita, partim abalienata. Prætereà decimas quasdam pro indiuiso cum Abbate Alpium quas Curio Sanciricianus de ipsis etiam canoni-

Vegiacensis. cè impertitus possidet. Ecclesia sancti Georgij Martyris pagi Vegiacensis, habet domum maiori ex parte destructam, ac quædam bona stabilia, cætera partim vendita, partim abalienata. Habet prætereà quosdam census Clientelares, necnon decimas quorumcunque frumentorum & vini pro indiuiso, cum quibusdam

nobilibus

nobilibus laicis,quas Fratres Prędicatores Ordinis diui Dominicis vrbis Camberiensis Diœcesis Gratiano politanæ ex cõcessione Sereniſſimi Ducis possidẽt.Ecclesia sancti Lupi Cõfessoris pagi Douennensis cum illi perpetuò antiquitùs vnita Sancti Apri Confessoris loci Loisinensis. Hæc domum non habet, illa cum quibusdam bonis abalienata. In ea erat olim Rusticanus Prioratus Ordinis sancti Benedicti, à quo decimæ omnes tam frumentorũ quàm vini vnà cum quibusdam bonis stabilibus depẽdent. Habet hic Prioratus domum, quam cum aliis reditibus quidam Illustris laicus ex Sereniſſimi Ducis concessione retinet.Ecclesia sancti Stephani Martyris pagi Balleſonensis,huius domus & bona abalienata. Habet decimas quorumuis frumentorum pro indiuiso cum quibusdam nobilibus Laicis quas Rector Canonicè donatus possidet. Ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ pagi Massongiaci. Quædam bona partim vendita,partim abalienata fuerunt. Habet tamen quosdam census clientelares,Domum Sacerdotalem,& nonnulla bona stabilia, quæ eius Rectores Canonicè donati vnà cum decimis frumentorum & vini pro indiuiso cum quibusdam nobilibus laicis vsque in hodiernum diem possederunt.Ecclesia Beatæ Marię Virginis vici Filliaci,in qua erat antiquitùs Monasterium octo Canonicorũ Regularium Ordinis sancti Augustini, quod Nobili cuidam laico à Bernatibus abalienatum fuit,& cuius ac Parœcialis bona stabilia partim vendita partim alienata. Reliqua verò ac omnes decimæ & census ab Lazarianis possidentur.Ecclesia sancti Mauritij Martyris pagi Sierienſis cum illi perpetuò olim vnita Beatæ Mariæ Virginis loci Chauanæensis. Habet domum & quædam bona stabilia,cætera abalienata.Decimæ ex Abbatia Filliacensi dependent,& ab Lazarianis etiam possidentur.Ecclesia sanctorum Ferreoli & Ferrucij Martyrum pagi Margencellensis,habet domum & quædam bona stabilia,cætera partim vendita,partim abalienata.Habet præterea quosdam census clientelares & decimas, quas Lazariani possident,suntque pro indiuiso cum Decano Allingiorum. Ecclesia sancti Bartholomæi Apostoli pagi Anthiacensis, huius domus & omnia bona stabilia, necnon decimæ tam frumentorum quàm vini olim ad Decanum Allingiorum pertinentes, à Bernensibus, seu ab eis causam habentibus partim vendita, partim sub censu abalienata fuerunt, & propterea nullos reditus habet.

Douenẽsis.

Loisinẽsis.

Balleſonenſis.

Maſſongiacenſis.

Filliacẽsis

Cierienſis.

Chauanaenſis.

Margencellenſis.

Anthiacenſis.

Eſcheuenaenſis. Eccleſię ſancti Symphoriani Martyris pagi Eſcheuenæenſis. Domum & quædam bona Bernenſes abalienauerunt; habet tamen nonnulla ſtabilia, ac particulam decimarum, reliquæ ex Abbatia Filliacenſi dependent & à Lazarianis poſſidentur. Eccleſia ſancti Pancratij Martyris oppidi Aquarienſis, cum illi perpetuò vnita ſancti Martini Confeſſoris pagi Narniacenſis. Hæc & illa carent domibus Aquarienſis maiori ex parte deſtructa eſt. Habet quædam bona ſtabilia cætera partim vendita partim abalienata. Decimæ verò partim ex Abbatia Filliacenſi, quas Lazariani poſſident dependent partim à quibuſdam nobilibus laicis percipiuntur. Eccleſia ſancti Petri Apoſtoli pagi Meſſeriacenſis, habet domum cum quibuſdam bonis ſtabilibus. Cætera abalienata. Decimarum verò quædam pars ad Prioratum Douennenſem pertinet, quædam ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſancti Petri Gebennenſis, quæ tamen ab Hæreticis Geneuenſibus vſurpantur. Reliquarum quædam pars à nonnullis nobilibus laicis poſſidetur. Altera ex Abbatia Filliacenſi dependet, quam Lazariani percipiunt. Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis paci Cuſiacenſis. Domus ruinam minatur. Bona ſtabilia abalienata. Decimæ omnes ad Abbatem Monaſterij Beatæ Mariæ Abundantiæ Canonicorum regularium Ordinis ſancti Auguſtini huius Diœceſis pertinent, qui Abbas Rectori penſionem annuam ſemper conſueuit in hodiernum vſque diem perſoluere, & quam Dominicani Camberienſes ex Sereniſſimi Ducis conceſſione poſſident. Eccleſiæ ſancti Gregorij Martyris oppidi Hermantiani. Domus ruinæ proxima eſt. Habet quædam bona ſtabilia, cætera partim vendita, partim abalienata. Habet etiam quoſdam cenſus clientelares. Decimæ poſſidentur ab Abbate Abundantiano & quibuſdam nobilibus laicis. Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis pagi Aneriarum. Domus deſtructa. Bona ſtabilia partim vendita, partim abalienata. Decimas verò Rector canonicè impertitus poſſidet. Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ pagi Corſerienſis paris eſt conditionis cum Aneriana. Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis pagi Marſilliacenſis trans Duranciam. Domus Sacerdotalis, Bona omnia ſtabilia, paucis exceptis, ac etiam decimæ quibuſdam nobilibus laicis abalienata ſunt. Eccleſia ſancti Iacobi Apoſtoli pagi Matigniacenſis olim filiola & perpetuò vnita Parœciali Eccleſiæ ſancti Petri Apoſtoli Pagi Lugrinenſis trans Duranciam,

Aquarienſis. Narniacenſis.

Meſſeriacenſis.

Cuſiacenſis.

Hermantiana.

Aneriana.

Corſerienſis.

Marſilliacenſis.

Matignia cenſis Lugrinenſis.

nec-

nec domum, nec bona ſtabilia, nec decimas, nec cenſus habet, ſed omnia quibuſdam nobilibus laicis abalienata ſunt. Atque hic eſt Caballij Ciſdurantiani Eccleſiarum ſtatus. In agro verò Terniacenſi. Eccleſia ſancti Mauritij Martyris pagi Veriacenſis ſub monte Salleuio, habet domum & quædam bona ſtabilia, necnon cenſus quoſdam & decimas. Cætera abalienata. Percipit penſionem annuam ex decimis Parœciæ Troënenſis ad Eccleſiæ Cathedralis Capitulum ſpectantibus, nunc verò ab Hæreticis Geneuenſibus vſurpatis. Sed & Lazariani prædictos reditus poſſident. Eccleſia ſancti Martini Confeſſoris pagi Collongenſis ſub monte Salleuio cum illi antiquitus vnita ſancti Mamerci pagi Erchantini. Hæc domum non habet, habet verò illa vnam, ſed penè dirutam, cum quibuſdam bonis ſtabilibus. Cætera vtrarúmque à Bernenſibus partim vẽdita, partim abalienata. Habet præterea quoſdam cenſus clientelares & decimas parœciæ Colongenſis, nam Erchantinas ad Priorem Lullerienſem ſpectantes, Ciues Gebennenſes vſurpant, & ex his penſionem quamdam Rectori canonicè donato perſoluunt. Eccleſiæ ſancti Stephani Martyris pagi Bellimontis. Domus cum bonis ſtabilibus abalienata. Habet tertiam partem decimarum pro indiuiſo cum Priore ſancti Ioannis propè & extra muros ciuitatis Gebennenſis (quem Prioratum Lazariani Equites poſſident) pro aliis duabus partibus. Eccleſię Beatæ Mariæ Virginis pagi Verſenſis Domus Sacerdotalis quæ nũc diruta eſt, bona ſtabilia, decimæ, & omnes alij reditus, cuidam nobili Laico alienata ſunt. Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis pagi Chenezenſis Domus deſtructa. Habet quædam bona ſtabilia, cætera à Bernenſibus partim vendita, partim abalienata. Decimas omnes percipit quidam nobilis Laicus, qui propterea debet Rectori penſionem annuam, & ipſam quoque nobili cuidam laico alienatam. Eccleſiæ ſancti Euſebij Confeſſoris pagi Humilliacenſis Nauis minatur ruinam. Habet domum cum quibuſdam bonis ſtabilibus. Debentur à Parœcianis primitiæ. Reliqua verò bona ſtabilia ac decimæ cuidam nobili laico & ea poſſidenti fuerunt alienata. Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtę pagi Mallianiacenſis, vnà cum domo diruta eſt. Habet quædam bona ſtabilia & cenſus clientelares. Percipit à Parœcianis primitias & omnia noualia. Reliquæ verò decimæ ſpectant ad Capitulum Eccleſiæ

Veriacẽſis.

Collongenſis.

Erchantina.

Bellimontana.

Verſenſis.

Chenezenſis.

Humilliacenſis.

Malliania cenſis.

Cathedralis, sed vsurpantur à Geneuatibus. Ecclesia sancti Martini Confessoris pagi Exertensis, vnà cum domo penitus destructa est. Habet quædam bona stabilia. Decimas verò quidam nobilis laicus vsurpauit & retinet. Ecclesiæ sancti Mauritij Martyris pagi Viriaci (in qua olim erat Ecclesia Collegiata decem Canonicorum sæcularium cum Decano) & illi perpetuò vnitæ antiquitùs eiusdem tituli pagi Leluisetensis. Domus, decimæ, census, bona stabilia cuidam nobili Laico alienata sunt. Habet quosdam reditus in Parœcia Cernensi apud Gebennesianos. Ecclesia sancti Lazari Confessoris pagi Fegeriarum, habet domum, decimas, census, & bona stabilia, sed ea omnia cuidam nobili laico alienata sunt. Ecclesiæ sancti Britij Confessoris pagi Thererien-sis. Domus omninò destructa, bona stabilia alienata nonnullis laicis. Habet tamen adhuc integras decimas ac primitias quæ à Rectore pacificè possidentur. Ecclesia sancti Iuliani Vici nominis eiusdem, habet domum, decimas & primitias, quas rector Canonicè impertitus possidet, cætera alienata. Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Pagi Bardonæensis in torcular conuersa est, domus verò Sacerdotalis in castrũ. Omnia bona stabilia abalienata fuerunt. Habet decimas & primitias ac cẽsus quosdã clientelares, quæ omnia à quodam nobili laico ex Sereniſſimi Ducis concessione possidentur. Ecclesiæ sancti Sylvestri Confessoris pagi Compeseriarum. Domus destructa. Omnia bona stabilia alienata. Decimæ ad Præceptorem Gebennesianum Hospitalis sancti Ioanni Hierosolymitani pertinent. Primitię verò in annuum censum redactæ persoluuntur à Paroecianis quas Lazariani percipiunt. Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ pagi Lullerien-sis cum domo diruta est. Bona stabilia multis alienata. Decimæ ad Rusticanum Prioratum Ordinis sancti Benedicti olim ibi fundatum, & Sacello Beatæ Mariæ Virginis propè & extra muros Ecclesiæ Cathedralis, à Ioanne Cardinali Hostiensi erecto & dotato, olim perpetuò vnitum, quem Ciues Geneuenses nunc vsurpant, pertinent. Ecclesiæ sanctorum Petri & Pauli Apostolorum pagi Confignonensis. Domus & bona alienata. Habet decimas quorumuis frumentorum & vini, pro indiuiso cum Priore sancti Ioannis propè & extra muros ciuitatis Gebennensis, quas Lazariani possident. Ecclesia sancti Matthæi Apostoli pagi Vullionnæensis cum domo solo æquata est. Bona stabilia multis alienata

Exertẽsis. *Viriacẽsis.* *Leluisetensis.* *Fegeriarũ.* *Thererien-sis.* *Saniuliane-nsis.* *Bardonæ-ensis.* *Compeseriarũ.* *Lullerien-sis.* *Configno-nensis.* *Vullionæ-ensis.*

alienata. Decimæ adhuc extant à quodam nobili laico vſurpatæ. Eccleſia ſancti Mauritij Martyris pagi Bernæenſis. Habet domum Sacerdotalem, & quædam bona ſtabilia. Prætereáque decimas quorumuis frumentorum & vini, aç quoſdam cenſus clientelares, quæ omnia Lazariani poſſident, cætera bona abalienata. Præter has Eccleſias in eodem Terniacenſi agro ſunt, & aliæ duodecim, quarum Paroeciani fidem Catholicam nondum amplexi ſunt, eò quod à Geneuatibus vſurpentur, & in iis Miniſtri adhuc prædicent. Eæ ſunt, Valleriacenſis, Lanciacenſis, Onçenſis, Cartigniacenſis, Laconæenſis, Chanciacenſis, Auuſiçenſis, Troënenſis, Siænenſis, Boſſæenſis, Cuordenſis, & Vierdentina. Atque hic eſt Eccleſiarum agri Terniacenſis ſtatus. Saleſius, Angeuillanus & Marinius huiuſmodi inquiſitionem non citiùs Duci Sereniſſimo & Gebennenſi Antiſtiti obtulerunt, quam de conſtituendis Curionibus Concionatoribúſque ſeriò cogitatum eſt. Saleſium Generalem Oeconomum Dux conſtituere volebat: verumtamen viſus eſt ad Romanam profectionem, & qui de omnibus Supremi Pontificis voluntatem & diſpoſitionem referret magis idoneus, & Angeuillanus Generalis Caballianarum Eccleſiarum Oeconomus conſtitutus.

Bernæenſis.

Eccleſiæ aliæ duodecim.

Franciſcus ad Romanam profectionem à Duce deſtinatur.

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI.

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Epiſcopi & Principis Gebennenſis.*

LIBER QVARTVS.

DVM hæc aguntur Saleſius ab Exulibus nonnullis qui Niuidunum receſſerant Brottyaco inprimis litteras accepit. Ærumnoſorum miſertus, ſpéque conuerſionis inductus non dubitauit ad Ducem accedere, vt liberi pro iis commeatus diploma obtineret. Dux Saleſij rationibus inclinatus demum annuit, eóque pacto, Brottyacus, Iolyus, & Prezius redierunt. Brottyacus quidem primus accepti beneficij gratias acturus acceſſit ad Saleſium, qui cùm ei inter varios de religione ſermones librũ Theodori Bezæ, quẽ in Ioſue confecit, aperuiſſet, oſtẽdiſſétque Præfationem in qua vir imprudens impudénſque Ioanni Caluino ait ſummam à Deo gloriam deberi, quòd primùm cœnæ modum primus inuenerit, adhibitis adhæc ſolidiſſimis argumentis, ſtupentes mirum in modum mouit, Brottyacus tamen ne quid leuiter vt putabat hac in re ageret, rectà Geneuam profectus eſt, ac Fayano Miniſtro cùm Bezanum dictum oſtendiſſet, ille ſtatim erubuit. Erraſſe Bezam faſſus eſt. Curauit non mora librum ſupprimi, & in Eccleſia Romana ſaluari homines poſſe dixit. Pluribus ſanè aliunde moto opus non erat. Quare Tononum reuerſus cum duobus ſociis ad Saleſium rediit. Iunctíque in eius manibus abiurata hæreſi religionis Catholicę profeſſionem emiſerunt ac poſtea Sereniſſimo Duci fuerunt acceptiſſimi. Poſthæc cùm neceſſaria omnia ad Religionis Catholicæ conſeruationem amplificationémque Saleſius excogitaſſet, tãdem quindecim articulos pridie Idus Nouembris Tononi

Franciſcus intercedit pro exulibus apud Ducem.

Bezæ imprudentia.

Brottyacus, Iolyus & Preſius hæreſim abiurant.

noni obtulit Duci. Primò. Sit suæ Celsitudinis placitum decernere, vt omnes Caballiani & Terniacenses incolæ secundùm Religionem Catholicam, Apostolicam & Romanam viuant, dãdo iis qui contrariam profitentur competens temporis spatium, vel ad Catholicam amplectendam, vel ad excedendum è Prouincia, cum permissione eorum bona Catholicis vendendi pendente tali tempore, quo elapso censeantur adiudicata fisco, & in eorum personas secundùm ius agatur. Responsum est ad hunc primum. Habetur edictum ad prætensam Religionem siue generaliter, siue peculiariter interdicendam, quod intra septem aut octo dies promulgari poterit. Qua de re Prætori primario cura datur. Prohibemus verò quibuscunque hominibus cuiuscunque conditionis sint, ne extra Ditiones nostras abeant, vel sua bona transferant aut transferri curent, directè vel indirectè sub pœna commissi tam in corporibus quàm in bonis, paritérque absentibus præcipimus vt intrà dies octo redeant. Secundò. Vt nemini permissum sit noua dogmata proferre, vel de fide disputare, nisi coram Catholicis Theologis, aut aliis Ecclesiasticis viris : instructionis ergo dumtaxat, sub pœna quam sua Celsitudo ex placito suo statuet. Itémque vt nemo audeat à diuinis officiis aliisve Catholicis exercitiis quempiam arcere, impedire, vel auertere. Responsum est ad hunc secundum. Quod spectat ad primũ caput respondetur vt in præcedenti articulo. Quod verò ad aliud, sua Celsitudo imperat sui muneris administris, vti arcentes, impedientes vel auertentes seuerè & ad exemplum castigent. Tertiò. Vt omnes Caballium & Terniacum incolentes, festos dies, ieiunia, vigilias, Quadragesimam, & alia Ecclesiæ mandata obseruent, interséintque Processionibus sub pœnis ex suæ Celsitudinis placito. Responsum est ad hunc tertium. Sua Celsitudo bonum esse iudicat, vt Reuerèndissimus Episcopus Gebennensis, tum quod ad hoc cùm quod ad alia, ad Diuinũ famulatũ spectãtia, Politicam Ecclesiasticam & correctionem morũ edicta, statuta, mandata, quę sibi necessaria videbuntur, edat & promulget. Quæ vt sonabunt ab omnibus obseruari vult, intendit, & iubet, præcipítque suis Administris vti ea obseruari curent. Et quandoquidem nonnulla sunt peccata ad quæ Iustitia non aduertit, veluti rixæ, inimicitiæ, concubinatus, ebrietates, & his similia delicta, sua Celsitudo vult stabilitum iri Magistratum morum, qui ex

Francisci quindecim articulos Duci porrigit.

Vt nemo noua dogmata proferat.

Vt omnes Præcepta Ecclesiæ obseruent.

personis Ecclesiasticis vt plurimum constet, & cui semper vel Gubernator, vel Prætor Primarius vel Procurator fisci vel aliquis ex Consulibus interfit; habeátque hic Magistratus incarcerandi, mulctam pecuniariam vsque ad sexaginta asses, & alias salutares pœnitentias imponendi potestatem. Quamobrem constituentur Censores, & Custodes tum in vrbe cùm ruri, fiéntque omnia prout necessarium videbitur ad pietatis incrementũ morúmque reformationem, absque litis actorum vel appellationis formulis, cùm hæc non nisi sint ad continendos in pietate Christiana homines. Quartò. Vt prohibeatur quibuscúnque personis ne libros Hæreticos, vel aliter damnatos legant aut teneant, præcipiatúrque iam habentibus vt eos intra mensem ad constitutos à Reuerendissimo Gebennensi Præsule deferant. Quo elapso mense iidem Constituti priuatim inquirere per domos Ecclesiasticis censuris, aliisque à iure statutis pœnis in reum agere, assistentibus etiamnum publicorum munerum Prę fectis quo efficaciter agatur, oppositionibus & appellationibus quibuscunque non obstantibus possint. Responsum est ad hunc quartum. Sunt in hanc rem edicta à Sua Celsitudine, quæ promulgabuntur, sed & nouum fiet, quo prohibebitur ne quis libros huiusmodi habeat vel vẽdat, sub graui mulcta. Quintò. Vt festis diebus omnes Diuinis interfint officiis, Maiori Missæ, Vesperis, Concioni, Supplicationibus, & ad id à locorum publicis Administris sub pœna quam infliget Sua Celsitudo cogantur. Responsum est ad hunc Quintum. Quod ad Catholicos Sua Celsitudo concedit: Quod verò ad eos qui nondum Catholici facti sunt, Sua Celsitudo vult & imperat, ad vitandum Atheismum, vt omnes vtriúsque sexus homines Catholicis Concionibus interfint, iubétque idcircò publicis sui muneris Præfectis, vt in eam maximè curam incumbãt. Itémque vt omnes Patres, Matres ac familiarũ Rectores, liberos ad Catechismum mittant, prohibens ne quis aliò quàm in Ecclesiam Catholicam pueros baptizandos portet, eósve instrui curet seu alibi matrimonia celebret. Sub suæ indignationis & pecuniariæ ad arbitrium mulctæ pœna. Sextò. Vt nemini permissum sit dum diuina peraguntur, in Cauponis permanere, choræas ducere, officinas aperire diebus festis, sub pœnis in Edictis Suæ Celsitudinis contentis. Responsum est ad hunc sextum. Sua Celsitudo concedit, vúltque siue in vrbe, siue ruri idoneos Censores &

Cẽsores & Cust des sum in vrbe cum ruri.

Vt nemo libros hæreticorum legat.

Vt omnes sacris officiis interfint.

Vt nemo dũ diuina peragũtur choræas ducat, &c.

Visitato

Visitatores Constitui, qui posteà delinquentes ad Magistratum deferent, poterítque iis alíqua mulctæ particula applicari. Septimò. Vt Patres Matrésque familias filios suos, filias, seruos, ancillas, alióque domesticos ad Cathechismum audiendum in Ecclesiam mittant. Quamobrem creabuntur in Vrbibus, & Pagis Decuriones varij, qui Catalogum conficiant, absentésque Spiritualibus Patribus accusent, vt postmodum in cõtumaces iis pœnis quas Sua Celsitudo statuet animaduertatur. Responsum est ad hunc septimum. Sua Celsitudo concedit vúltque specialiter, vt ij qui nondum Catholici sunt sub hoc Catalogo comprehendantur, puniantúrque delinquentes. Octauò. Vt Edictum priuationis omnium munerum publicorum in obstinatos prout sonat obseruetur, cum declaratione, tales sua munera per interpositas personas exercere non posse, minúsque participes fieri, sub pœna edicti pro iis qui huiusmodi Hæreticos sibi sociabunt. Respõsum est ad hunc Octauum. Disertum est Suæ Celsitudinis intẽtum. Quare Primario Prætori & Procuratori fiscali iubet vti peculiariter iis quibus opus erit inhibeant, ne quouis modò directè vel indirectè, donec in prætensa religione remanebunt, in publica officia & munera sese ingerant. Nonò. Vt placeat Suæ Celsitudini constituere Commissarios qui diligenter cõtra eos inquirant, qui Ecclesias & Curionum domos destruxerunt, lateres vẽdiderunt, emerunt, detulerunt, ac ligna, lapides altarium, Fõtium Baptismalium, & Aquæ lustralis, vt præter statutas à iure pœnas cogãtur ij suis sumptibus Ecclesias & Curionias domos restruere, necéssariísque instruere ornamentis. Responsum est ad hunc nonum. Sua Celsitudo constituit Primarium Caballij Prætorẽ, imperátque Procuratori Fiscali vti omninò in eam curam incũbat. Decimò. Vt ij qui bona Ecclesiarum possident cogantur ea remittere. Scilicet Ecclesiarum Parœcialium Reuerendissimo Episcopo Gebennensi, siue ab eo Constitutis, reliquarum verò apud eum quem Sua Celsitudo volet. Responsum est ad hunc Decimum. Concessum est. Vndecimò. Vt ij qui chartas, libros, aliáue instrumenta ad Ecclesias & earum reditus spectantia habent, remittant ea intra mensem apud eum quem Suæ Celsitudini placebit constituere, vt posteà prout ad vnumquémque pertinebunt, distribuantur. Responsum est ad hunc vndecimum. Iura & Tabulæ Ecclesiarum apud Angeuillanum à sua Celsitudine

Vt omnes Catechismum audiant.

Vt obseruetur edictũ de priuatione munerum.

Vt constituantur Commissarij pro Ecclesiis.

Vt Ecclesiæ bona restituantur.

Oeconomum constitutum, & Procuratorem fiscalem, qui perscriptionem de omnibus facient remittentur, & ad id cogentur omnes quicunque ea habuerint, nonobstantibus oppositionibus aut appellationibus quibusuis. Duodecimò. Placeat Suæ Celsitudini abusum tollere qui circa Eleemosynarum grana pauperibus rusticis destinata, & in conductionibus reseruata committitur, vt sicut expedit insumantur, & hoc modo eâ de re conceptã declarationem edere, constituendo Commissarios, qui Redemptorum rationes audiant, imperaréque Senatui vt eos cogat ad restitutionem rationémque reddendam, qui hæc grana perceperint, iuxta id quod à Reuerendissimo Gebennensi Episcopo statuetur. Responsum est ad hunc duo decimum. Reddentur de iis Eleemosynarum frumentis rationes tertio quouis mense corã Reuerendissimo Gebennensi Episcopo, siue eius Officiali & Primario Prætore aut Procuratore fiscali, vocatis duobus Tononẽsis Vrbis Consulibus. Cui Primario Prætori iubetur vti quidquid ab ipso Episcopo tam circa Eleemosynarum distributionẽ quàm redditionem rationum statutum & decretum fuerit, nulla obstãte oppositione vel appellatione faciat obseruari Decimotertiò. Vt Campanæ, quæ in Allingiana sunt arce Ecclesiis ad quas pertinent restituantur. Metallum verò Campanarum Tononẽsium, Filliacensium, aliarúmque Ecclesiarum apud Reuerendissimum Episcopum seu ab eo constitutos remittatur, vt secundùm quod sibi videbitur ad alias eliquandas campanas impendatur, & hoc intra dies quindecim. Responsum est ad hunc decimumtertium. Sua Celsitudo concedit & iubet Lamberto vt id faciat, quod etiam pro Campanis pagorum, siue integris, siue fractis locum habeat. Decimoquartò. Vt placeat Suæ Celsitudini Reuerendissimũ Episcopum, eius Canonicos, Curiones, Concionatores, Sacerdotes & alios Ecclesiasticos, eorum familiares & domesticos in peculiarem suam tutelam & patrocinium recipere, vt nulla eis siue in personis, siue in bonis inferatur iniuria, eósque idcirco tum Dominis Gubernatoribus Caballij & Terniaci, cùm Magistratibus Vrbium Consulibus, & Villaticis decurionibus in curam remittere. Responsum est ad hunc decimumquartum. Concessum est & remittuntur omnes Ecclesiastici in Curam incolarum Tononensium Paroeciarúmque, qui omnes Sacramento obstringentur. Decimoquintò. Vt tã Domini Gubernatores quàm Magistra-

Vt stipes absque abusu distribuantur.

Vt cãpanæ restituantur.

Vt Dux Ecclesiasticos protegat.

Magistratus diligenter & sedulò aduertant vt ea omnia obseruẽtur. Et quod attinet ad spiritualem Iurisdictionem eius administris auxilium præbeant omnibus debitis & æquis iustitiæ viis secundùm ius, edictáque & intentum Suæ Celsitudinis. Respõsum est ad hunc decimumquintum. Sua Celsitudo disertissimè præcipit & imperat Caballianis Gubernatoribus, Primario Prætori & Procuratori fiscali vti ea omnia statuta & decreta obseruari curent quantum ei parère cupiunt. Actum Tononi die duodecima Mensis Nouembris, anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo. Propriâ manu signauit. Carolus Emanuel. Vidit & Sigillo muniuit pro Domino Cancellario Berlietius subscripsitque Sereniſſimi Ducis à Secretis Burserius. Elapsis tandem in hoc laboriosissimo Caballianæ cõuersionis opere quatuor annis, rebus optimè (vt ferebãt tempora) compositis, Salesius ad operis complementum Romam profecturus, Amplissimis de omnibus Commentariis, iuriúmque tabulis munitus discessit à Veragris, ac in suum Salesianum, Senem Patrem sua præsentia recreaturus secessit. Tantisper dum immoratur. Præsul optimus Claudius Granierius innumeros à filio suo Præposito exantlatos labores partásque mille victorias, nullâ prorsus mercede nisi quæ à Deo in cœlis pararetur, immò propriis sumptibus exhaustísque penè ob eas res parentibus secum ipse peruolutans, tantillo pudore suffusus est, quòd parem tantis meritis mercedem rependere non posse reputaret. Iussit tamen Angeuillano Ecclesiasticarum rerum apud Caballianos Terniacensesque Oeconomo vti Salesio rescriptum daret, quo apud Claudium Marinium Procuratorem fiscalem Generalémque Beneficiorum negotiatorem, pecunias quas expenderat reciperet. Et Angeuillanus statim paruit, iussíque tabulas misit. Verùm Salesius magnanimo prorsus pectore ne tantumdem Curionibus detraheret inutilem chartam illam esse voluit, cistulæque carceri damnauit. Quam rem cùm resciret Granierius tanto stupore affectus est vt ne verba quidem ad extollendam Salesij sanctitatem satis apta inuenerit. Attamen de adoptando sibi in Adiutorem successorémque Consilium quod iampridem inierat, inuocato numine acceptísque præcipuorum ex suo Clero Sacerdotum votis conclusit, lætus hoc animi sui decreto Sanctus Antistes quærebat effætum corpus somno reficere, cùm ecce tristis imago dormientis men-

Franciscus redit ad Patrem.

Franciscus recusat pecunias à Granierio oblatas.

Granierius de associãdo sibi Francisco cogitat.

Granierij somnium.

tem horrore commouit. Lupi improuisò in ſuas oues irruebant, arcebat ille quàntum poterat, verùm deficientibus qui in auxilium accurrerent Paſtoribus, non impedire potuit furentium rabiem, quin vnam & alteram ouem raperent. Porrò tantus horror bonum paſtorem occupauit, vt fortiſſimâ voce ad ferendam ſibi opem ſemel, iterum iterúmque clamauerit. Hilarius Furerius Sacerdos ab eius largitionibus poſtmodúmque Collegialis Eccleſiæ Beatæ Mariæ Anicienſis Canonicus qui ſuperius cubiculum inhabitabat, audito clamore territus ſtatim cubili ſpreto deſcendit ad Dominum, deductóque lecti ſipario. Valéſne (inquit) Domine? Quid tibi accidit? tum ille emiſſis gemitibus. Lupi, retulit, oues meas dilaniant. Hei mihi! Quis tanto oneri iam impari ſuccurret? Quis arcebit infeſtam turculentámque luporum rabiem? Hæc verò aiebat, quia populorum ærumnis tangebatur, timebátque ne ſi è viuis excederet vt iam canus erat, commiſſæ ſibi oues relinquerentur prædæ. Furerius quâ valebat apud eum Sacerdotalis obſequij familiaritate turbatam inſomnio mentem compoſuit. Electo in Adiutorem Saleſio non eſſe iam dixit quod deberet metuere. Res Diœceſis vniuerſas optimè conſiſtere, nec defuturum, Dei gratiâ, ab optimis Sacerdotibus auxilium, quibus ſanè quamplurimis gaudere deberet. His auditis Granierius. O vbi es fili mi, exclamauit, vbi es? Attende ad canos meos, móxque Furerio recedere in quietem iuſſo, requieuit ſi tamen potuit, adeò cogitationibus variis erat apprehenſus. Manè facto Saleſium per Tabellarium accerſiuit, declarauítque neſcire ſe qua ratione dignam eius meritis mercedem rependeret, niſi eum in ſui oneris Adiutorem cum futura ſucceſſione cooptaret, & vt ſibi ſeni baculus eſſet oportere. Saleſius audito adiutoris nomine demiſſis in terram oculis, vt eſt humilium Chriſtianorum mos, erubuit, tum reſpondens. Neſcio Domine (inquit) quis aut quid te in eam ſentẽtiam induxerit, vt me Adiutorem ſucceſſorémque velis. Quid enim huc vſque merui? vel quam ad id aptitudinem poſſideo? Pluribus à Deo ſanè & Paternitate tua Reuerendiſſima cumulatus ſum beneficiis quàm meruerim. Non ego ſum tantis infulis idoneus. Optimè mecum agi putauero, ſi qualis ſum remaneam, neque propterea recuſo laborem, ſed habes, mi Domine, hac in tua tam ampla Diœceſi Sacerdotes & nobiles & eruditos & pios, qui

Granierius Frãciſcum inuocat.

Granierius Franciſco ſuam vo luntatem declarat.

Franciſcus Epiſcopalem dignitatem recuſat.

onus

onus illud fortiùs ferant. Hæc & alia subiungebat, tandem tamen omnino recusauit. Granierius quò se verteret ambigebat. Re iterum atque iterum in considerationem adducta, tanquam aliud acturus petiuit Salesiũ ad Dynastam Boësiacum Franciſci Patrem, modísque omnibus Franciſcum coram Parentibus in ſuum votum adducere conatus est. Verùm ille pergebat renuere mirabili prorsus voluntariæ demissionis ob virtutis amorem ſpecimine. Granierius nullum non mouit lapidem vt vinceret. Quamobrem Sereniſſimi Ducis placitum immò eximiam propensionem obtinuit. Et Dux quidem nuper cùm de Granierij ſalute Medici dubitaſſent, Saleſium in Gebennenſem Præſulem ſpontè idque publicè Taurini nominauerat. Nemo erat qui rem in melius non impelleret. Expoſcebatur à Cathedralium Canonicorum Collegio, ab vniuerſo Clero, à Nobilibus, à populo, ſolus ipſe quouſque Dei voluntatem interius acciperet fugiebat, obſtabátque ſibi. Demum Granierius accerſito Petro Critano Primario ſuo ab largitionibus Sacerdote, & qui poſtmodum Paroecialis Eccleſiæ Tonenſis Curio fuit, déque omnibus optimè inſtructo eum iterum ad habendam vltimam & abſolutam Franciſci voluntatem Saleſium miſit. Critanus igitur die poſterá quam appulit, primóque manè ſub recitandi Diuini Officij prætexta cauſa Præpoſitum in Porticum traxit, híſque eum deinde verbis aggreſſus eſt. Neſcis, mi Domine, cur huc venerim? Minimè reſpondit Saleſius; tum ille, Reuerendiſſimus Dominus meus, inquit, eo vno me nomine Nuncium allegauit, vt ſcias quid ipſe à te velit, & reſciat quid & tu quoque velis. Annus eſt & amplius à quo te Adiutorem ſibi cum futura ſucceſſione deſtinauit, alloquutus eſt ipſe te ſæpiſſimè hac de re, curauítque à multis alloqui, tu verò alto ſilentio id te non curare ſignificas, & eſt quod graui mœſtitia, animíque ineffabili dolore conflicetur. Tu videris. Ego quid referam? Quæſo te dixit Saleſius, Cura vt Reuerendiſſimus Dominus voluntatem hanc, cuius ego immenſas illi gratias ago, reijciat in alium; quandoquidem nullum omninò huiuſmodi deſiderium habeo. Si Adiutor eſſem, multum vt de ſuis reditibus detraherem neceſſarium eſſet, eos verò ſcio non ſufficere vt decenter ipſe ſe & familiam ſuam alat, ſi quid autem pateretur ferrem moleſtiſſimè. Non ſum ad imperandum natus. Sufficit mihi ſi in aliquam Paroeciam curam habeam.

Granierius Saleſium petit.

Placitum Ducis obtinet.

Franciſcus in Epiſcopum ab omnibus expoſcitur.

Granierius Critanũ ad Franciſcũ mittit.

Franciſcus iterum iterúmque renuit.

beam. Concionabor, ſcribam, vadam, veniam, exequar quidquid præterea iubebit Dominus meus. Sed de Pontificatu non eſt quod cogitare debeam. Ad hæc Critanus. Hæc te ſcire volo mi Domine. Cùm te Reuerendiſſimus Antiſtes in Adiutorem & Succeſſorem elegit, id non egit temerè ſed Proceres amicos ſuos, viros Nobiles, Sacerdotum Sapientiorum, necnon Religioſorum plurimos conuocauit, Nemo eſt qui te non optet, atque adeò Canonica eſt hæc electio, nec aliter antiqui illi Patres Epiſcopi electi ſunt. Vox præterea populi vox Dei eſt. Prorſus te Spiritus ſanctus vult Paſtorem. Mitto, quòd Dux Sereniſſimus non id tantùm vult, ſed auidiſſimè cupit, & Cardinalis Florentinus huius eſt ſollicitator negotij apud Supremum Pontificem. Quis poſthæc Dei voluntatem eſſe non videat? Saleſius his auditis hæſit per aliquod temporis ſpatium decuſſatis brachiis, & deambulans cogitabundus. Tum ad Critanum verſus. Eamus (inquit) in Paroecialem Eccleſiam Torentinam ibi Miſſam de Spiritu ſancto celebrabimus, tu primam dices & ego miniſtrabo tibi, ego deinde ſecundam & tu viciſſim miniſtrabis. Inuocabimus gratiam Dei, quod inſpirauerit faciemus. Conſenſit Critanus, nec mora Torentum ambo profecti ſunt, miſſáſque vt concluſerant celebrarunt. Saleſius ſuâ dictâ in chorum regreſſus genuflexúſque diu in ecſtaſim rapto ſimilis oculis in altare fixis manſit, interim dum Critanus gratiarum ſolitam emitteret actionem, & ad eius etiam vultum attenderet. Radiare ore toto videbatur, ſurrexítque inflammatus. Dum diſcederent. Benè iam dixit Critanus; Quid in ſacrificio intellexiſti mi Domine? Tu dices Reuerendiſſimo Præſuli (retulit Saleſius) me nullo vnquam modo Epiſcopatum deſideraſſe, eas ob cauſas quas iam antè declaraui. At quandoquidem ipſe ſic vult, aut vt ais ſic iubet, paratum obedire, & in omnibus obſequi Deo. Si quid bene actum à me fuerit, reportabit ipſe meritum. Rogo verò enixè vt rem hanc nemini dicas. Promiſit, paritérque congratulatus eſt Critanus, verumtamen temperare non potuit quin ante diſceſſum ſuum quid egiſſet Dynaſtis Saleſiis Boëſiacis Patri & Matri, Ludouicóque Saleſio Canonico renuntiaret. Anicium vt reuerſus eſt, Granierióque narrauit omnia, tanta ſenem optimum lætitia inceſſit, vt non paucas emiſerit teneritudinis lachrymas, móxque in illuſtrem cœtum qui fortè apud ipſum aderat elatus. Nihil huc vſque

Franciſcus de voluntate Dei ſacrificiis explorat.

Franciſcus ore toto radiat.

Franciſci modeſtia.

Granierij gaudium de conquiſito Franciſco.

que feceram boni exclamauit lætabundus. Filium meum Præpositum Salesium Adiutorem & successorẽ obtinui. Diffusa est protinus per vniuersam fama Ciuitatem tam expectati nuntij, & Salesius voce populi electus Gebennensis proclamatus, qui non multo temporis interiecto spatio in vrbem rediit, Romam vt statutum Tononi fuerat perrecturus. Ecce autem intrà paucos dies sæuissimâ febri continuâ vir dilectus Deo & hominibus decubuit, Aruit confestim ob interiores flammas, in eúmque redactus est statum vt de salute dubiæ essent Medicorum sententiæ. Doctor Charrerianus Allobrox mortem non audebat tam citò affirmare, verùm Pomeus Serenissimæ Ducis Catharinæ Hispanæ Medicus desperabat prorsus, & tandem vicit eius sententia. Franciſca Syonnasia Boësiaca, quæ statim ac filij valetudinem acceperat commigrarat Salesio, & ipsa Medicis potior erat, seruiebátque ineffabili cum charitatis affectu. Illa ad ferendum gnato dilectissimo mortis nuntium constituta est. Cecidit penè exanimis, tamen vt æternam Dei prouidentiam & voluntatem adorabat, resumpsit vires, prudentissimísque verbis renuntiauit ægro, vti se ad cœlestis iter patriæ præpararet. Salesius primâ frõte perturbatus est, circumdederunt enim eum dolores mortis & pericula inferni inuenerunt eum. Attendebat scilicet ad peccata sua, de quibus non quantam cupiebat pœnitentiam egerat, aiebátque sæpissimè cum Iobo, Dimitte me, Domine, vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Peccantem me quotidie & non pœnitentem timor mortis conturbat. Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea! Loquar in amaritudine animæ meæ: Dicam Deo, noli me condemnare, Domine, quando veneris iudicare terram, vbi me abscondam à vultu iræ tuæ? Commissa mea paueſco, & ante te erubesco. Modò cum Dauide gemebat: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Conuertere Domine, & eripe animam meam, quoniam non est in morte qui memor sit tui. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo. Dum hæc diceret, tam grauiter afficiebatur, vt nec posset glutire saliuam suam. Pelli suæ consumptis carnibus os adhærebat, & derelinquebantur tantummodò labia circa dentes. Rursum verò cum

Franciſcus sæuissima febri decumbit.

Syonnasia nuntium mortis Frãciſco dat.

Franciſci sententia ex ſcripturis.

Ezechia flebat aiebátque. Ego dixi, in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer ſuccidit me. Cogitabat ſi ſaluus & ſanus fieret ſuis rebus melius prouiſurum. Verùm poſt exhauſtum gemitibus pectus, vanum hunc mortis pauorem reuocato animo, quem morbi vis penè expulerat abegit, cum hoc axiomate: Non eſt mihi ſperanda ſalus niſi à Domino, æquè aliàs miſericordiâ indigeboatque nunc, & æquè nunc propitiabitur mihi atque aliàs, tum ſubdebat. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; ſalutare vultus mei & Deus meus. Ciues omnes quotquot iacturam proximam æquâ lance trutinabant, triſtis omninò luctus inceſſit. Sacerdotum dolor Maximus, Granierij verò ineffabilis erat. Non obliti ſunt Eccleſiæ Cathedralis Canonici, extremæ viſitationis officij, ſed omnes ſimul quotquot Collegium tunc componebant vltimum dicturi vale benedictionémque à ſancto Præpoſito accepturi proceſſerunt; aperuit rurſus Franciſco cataractã lachrymarum chariſſimorum fratrum aſpectus, illíque viciſſim non niſi cum fletibus loquuti ſunt. Res erat ærumnoſiſſima. Ipſe poſtquam ſalutarem inſtructionem petiiſſent, languidum os aperiens ſic à mundi vanitatibus abſtraxit, ſic incertitudinem vitæ demonſtrauit, ſic vitiorum deformitatem oſtendit, ſic virtutis pulchritudinem exhibuit, ſic porrò Dei timorem incuſſit, amorémque infixit cordibus, vt nunquam ſanus elegantiùs efficaciúſque loquutus fuerit. Hinc ſingulos ſibi adhibens, quod in vnoquoque ex naturalibus propenſionibus imperfecti aduerterat priuatim declarauit, actiſque gratiis necnon benedictione data, elingues & imis tortos præcordiis dimiſit, interim dum Granierius ob conceptum dolorem grauiſſimè etiam decumberet. Continuò vt limen Canonici exceſſerunt, cordis & virium totâ horâ paſſus eſt deliquium, omnibus remediis perperàm adhibitis, ita vt mortuus putaretur. Verùm in hoc defectu non quieſcebat, vt plerumque ſolet animus, à Cacodæmone atrociſſimè tentabatur, & fortiſſimè propugnabat. Obijciebat perfidus Satanas debilitate menti ſubtiliſſimum quod haberet in realem Dominici Corporis in Euchariſtia præſentiam argumentum, tamque ſtringebat cominus vt nullâ quantumuis ſolidâ reſponſione, niſi Sacroſancti nominis Ieſu inuocatione

Franciſcus præclaro axiomate pauorem abigit.

Franciſcus inuiſitur à Canonicis.

Franciſcus virium patitur deliquium.

Franciſcus acriter tentatur.

Liberatur à tentatione.

tione tacitâ callidum hostem arcere potuerit. Argumentum tamen illud postea sanus dissoluit: sed adduci nunquam potuit vt diceret debilibus ingeniis prudenter timens. Vnus tantùm Ludouicus Salesius tunc Dynasta Tullianus, quem chariſſimum fratrem sæpissimè sibi priuatim applicabat, dum de variis Theologicis capitibus sermonem haberent extorsit ab inaduertente, sed & obstrictus est deinde iuramento, ne cuiquam notum faceret. Die posterâ cùm tantillum ad se rediisset, iussi sunt ab Cathedrali Collegio Musici cum lyris & cytharis, necnon piis Ecclesiæ Canticis ægrũ recreaturi accedere. Petierunt quodnã placeret canticũ? Illud respondit ex Mariæ Magdalenæ verbis, Ardens est cor meũ videre Dominum: & cantantibus Musicis ipse miris cũ affectibus singulas clausulas prosequebatur, iaculabatúrq; tenerrimos animi in cælum motus. Cecinerunt & ipso volente hęc Dauidis verba: Quẽadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus: & quæ sequũtur. Cúmq; recederẽt, in aliam partem ad parietem versus lachrymis suis verè stratũ suum rigans pœnitentiæ Dauidicæ integrũ psalmum recitauit. Accessit posthæc Medicus Charrerianus qui spe resumptâ tentare voluit num ægro suo aurum vires restitueret. Præparabat autem iusculum cum auri puluere coram ipso Salesio, quæ causa fuit vt quidnam ageret ab eo interrogaretur. Charrerianus respondit ex scriptura. Quod ego facio tu nescis modò, scies autem postea, tunc Salesius abstinere non potuit quin eum corriperet, non esse prophananda inquiens Domini verba, Sacram Scripturam non esse nisi sacris in rebus, magnáque cum reuerentia vsurpandam, sumpsit tamen calẽtem sorbitionem breuíque refectus est. Dum hæc fierent missus fuerat ad eum à Granierio Natalis Rogeotus Sequanus famulatu cellæ vinariæ Præfectus, qui sumptionis effectu viso, Medicíque capta sententia, Reuerendissimo Domino suo melius habere Salesium renuntiauit. Granierius & ipse tam fausto nuntio recreatus est, intráque paucos dies ambos pristinæ sanitati cum ingenti omnium gaudio restituit Deus. Tandem Granierius socio dato suo ex Sorore Nepote Francisco Chiffæo Polingiano Cathedrali Canonico, necnon Generali Vicario, qui de Adiutoris munere apud Sedem Apostolicam ageret, (sciebat enim si hæc illi cura daretur, minimè loquuturum) eum Romam his oneratum litteris misit.

Frã. iscum Musici inuisunt.

Franciscus lachrymis suis stratum suum rigat.

Franciscus Medicum corripit.

Franciscus sanitati restituitur.

Beatissimo Patri Clementi Octauo Pontifici Maximo Seruus Humillimus & indignus Claudius Granierius Episcopus Gebennensis. Quam lætos atque vberes animarum fructus ex hac Gebennensis Diœcesis vinea hisce diebus perceperimus, Illustrissimi Domini Cardinalis Medicæi Legati à latere vti spero narratione Tua Sanctitas cognoscet. Cùm enim in Tononensi oppido quadraginta horarum oratio celebraretur, eiusdem Cardinalis ex itinere & Sereniſſimi Ducis præsentia, Deo procul dubiò ita disponente, incidit fauſtis admodum auſpiciis, quando per idem tempus innumera hominum multitudo hæresim abiurare, fidémque Catholicam amplecti ſtatuerat, quorum pars id in ipsius Illustrissimi Legati, pars in meis manibus sanctè præstitit, Sereniſſimo Duce quàm impensissimè rem totam promouente. Quæ omnia hic, quem ad Beatitudinis tuæ pedes supplicem destinamus, fusiùs & facillimè exponet, quod omnibus rerum harum succeſſibus interfuerit. At verò dum ita fœliciter coram Domino lætamur, ſicut qui lætantur in meſſe; ſicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia, hoc vnum accidit intempeſtiuè & moleſtiſſimè. Nimirum Rex Chriſtianiſſimus per litteras Ducem ſeriò admonet, velle ſe eius quam tam opportunè Tua Sanctitas tantâ totius orbis Catholici voluptate perfecit pacis vinculo comprehendi, Hæreſis Caluinianæ Matricem & fontem Geneuenſem videlicet Ciuitatem: quamuis pacis articulis nulla vt par erat illius mentio habeatur. Quæ res incredibilem Hæreticis omnibus audàciam addit: fidei Catholicæ aditum præcludit: Nouiſſimè conuerſos animos ſi non abijcit omninò, at ſanè perturbat quàm maximè: Mihi ac Canonicis meis bonorum Eccleſiaſticorum recuperandorum, quæ per ſummam iniquitatem à Geneuenſibus detinentur, ſpem omnem funditùs euellit. Quapropter iſtum Eccleſiæ meæ Præpoſitum quotquot ſumus hîc ordinis Eccleſiaſtici viri, quoad eius fieri potuit celerrimè miſimus, qui noſtro omnium nomine ad Beatitudinis tuæ pedes prouolutus, quantam res hæc ſi ſuccedat iacturam ſit allatura Reipublicæ Chriſtianæ, quámque atram tanto ac tam fœlici pacis exitui ſit impreſſura notam, noſtro omnium nomine humillimè explicabit, vt pro ſua erga Catholicum orbem, maximè verò erga hanc tot exagitatam malis Prouinciam, Paterna Clementia, Tua Sãctitas ſeriò, tum apud Chriſtianiſſimum

Franciſcus ab Epiſcopp & Clero Romam mittitur.

stianissimum Regem,cùm apud Ducem Sereniſſimum agat, ne tanta pax ſit impiis,nec eius lætentur priuilegio, qui Eccleſiaſticam pacem tot ſciſſuris nituntur conuellere.Cui debent honorẽ potius honorem, cui vectigal vectigal compellantur reddere : actum demum veniat pax ſuper illos in virtute Domini, & Apoſtolicæ authoritate Sedis, cui Tuam Beatitudinem clementiſſimè & Sanctiſſimè inſidentem,Deus optimus maximus quã diutiſſimè ſeruet incolumem. Accepit & huius formæ ſecundas Saleſius. Beatiſſime Pater. Iamdudum Apoſtolorum limina meo nomine viſitaſſet Reuerendus Franciſcus de Sales Eccleſiæ meę Præpoſitus,niſi periculoſiſſimo morbo quo diu decubuit,& propter peſtem in plurimas huius Prouinciæ partes hactenus ſæuiẽtem,aditus omnes nobis ad Italiam intercluſi fuiſſent. Perrexit nihilominùs tandem aliquando, ac ſuperatis itinerum difficultatibus,vti ſpero,ad Sanctitatis Tuę pedes acceſſit.Ac quidẽ quando res,propter quam abiit,nullam ſine ſummo periculo moram patiebatur,nec omnia tunc haberem præ manibus, quæ viſitationi ſanctorum liminum neceſſaria ſunt. Ea nunc duxi mittenda,quo vices meas hac in re apud Sanctitatem Tuam agat meo nomine.Ratus Clementiæ tuæ id acceptum iri, tum vt difficillimo tempore quæ fieri poſſunt per pauciora, per plura nequaquam fiant,tum vt hîc meus Procurator, qui non inutilem hoc in agro operam nauare conſueuit, variis peregrinationibus ab opere abſtrahatur. Deus Opt. Max. Sanctitatem tuam Eccleſiæ ſuæ quamdiutiſſimè ſeruet incolumẽ.Chiſſæo peculiares litterę datæ ſunt, quibus Granierius enixè Saleſium à Suprema Sede Apoſtolica Adiutorem expetebat. His igitur inſtructi, ſuperarunt Alpes, ac ſalutato Taurini Iulio Cæſare Riccardo Barenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicóque apud Ducem Nuntio, cui negotiorum omnium communicanda ſumma erat, Romam pergebant. Iàmpridem Antonius Faber Gebenneſiani Auditorij Præſes,Illuſtriſſimi Principis Ducis Nemoroſij in Italia res & negotia agebat,acceperátque Saleſius eũ Modenæ eſſe, quamobrem amiciſſimum Virum viſurus illuc iter direxit,dum autem progreditur,Equus fallente veſtigio decidit,& Saleſium in cœnum effudit,vnde coinquinatis omninò veſtibus, ſurrexit. Fortè aderat itineris comes Nobilis quidam Gallus, qui Saleſio ſtatim ac in primo diuerſorio pedem fixerũt extractas è ſarcinario ſac-

Aliæ Granierij ad Pontificem litteræ.

Franciſcus Fabrij inuiſit.

Castitatis exemplũ in Francisco.

co bombycini nigri vestes quo suas exsiccaret & extergerer mutuo dedit. Accidit autem cùm ad focum solus relictus fuisset Salesius, cunctis ad alia, vt viatorum mos est, intentis, Fœmina speciosissimi vultus intrauit in cubiculum, ac tanquam si ex domesticis fuisset, (& sanè an esset incertum est) Salesio non colloqui solùm, sed & lasciuos oculos vibrare cœpit, tandémque ad sordidum actum sollicitare. Salesius verò turpitudinis ipsam & peccati additis etiam acrioribus verbis admonebat. At illa de omnibus ridens: verba sunt hæc, inquit, nihil præterea, suisque in lasciuiis petulantiùs pergebat. Recede à me ait Salesius, vxorem duxi, cui fidelitatem Sacramento promisi; sed exoticus es retulit illa, longè abes à Patria, quid vxor tibi iam curæ est? Nescier illa quid hîc agemus. Deum verò minimè scelus hoc latere potest, inquit ille, ipse enim scrutator est cordium, & nouit abscondita tenebrarum, nec quidquam est quod eius oculos fugiat. Et nondum desinebat. Egredere hinc, Sacerdos enim sum & castimoniam promisi, nihil refert, inquit illa, quid hoc tandem concludit? Salesius verbis vincere se non posse videns, impudentissimámque lupam nullum finem facere, grauiter minatus est, leuauitque manum tanquam si verberare voluisset, & paulatim limẽ excedens descendénsque fugâ insignem victoriam obtinuit: cumque præ foribus domus Rollandum suum inueniisset; Noli me deinceps solum relinquere increpans dixit, & quod acciderat enarrauit. Paucos intrà deinde dies Romam fœliciter ingressus est autoréque Fabro meritorium hospitium propè Basilicam Saluatoris de lauro cepit. Nõ distulerunt ambo Salesius & Chissæus osculi pedum summi Pontificis, officium, sed opportunè litteras exhibuerunt. Pontifex quo nullus humanitate & pietate maior, filij dilectissimi ad quem tam amanter præteritis annis scripserat, aspectu mirum in modum recreatus est, fusè interrogauit de omnibus, audiuitque differentem Salesium ineffabili cum voluptate, adesse quoque Cardinalem Florentinum voluit, qui præter ea quæ iam dixerat, ex Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis effato Franciscum Salesium Caballij Apostolum pronunciauit, mirisque extulit encomiis. Posthæc Salesius Episcopi nomine sacra limina visitauit, multisque ab omnibus qui iam eum famâ cognouerant honoribus cumulatus est, & in hac visitatione innumeras Deo preces & lachrymas, effudit: tum hos Papæ Beatitudini

Franciscus minis & fuga insignem victoriam obtinet.

Franciscus Romam venit.

Francisci colloquiis Pontifex mirè recreatur.

Franciscus Apostolorũ limina visitat.

tudini obtulit articulos. Beatissime Pater, exponit humillimè Tuæ Sanctitati Claudius Granierius Episcopus Gebennensis, cùm aliàs ad instantiam Emanuelis Philiberti tunc Sabaudiæ Ducis vnita fuerint Militiæ sanctorũ Mauritij & Lazari omnia Beneficia simplicia, Curionia, Monasteria, Prioratus & alia agrorum Gexensis, Terniacensis & Caballiani, sub prætexta causa quòd eorum tractuum incolæ Lutherani seu Caluiniani essent, nec diuinus idcircò in iis cultus exerceri posset. Præfinita fuit hæc vnio cum clausula, per quam Gregorius fœlicis recordationis Papa decimus tertius, vti quandocunque earum ditionum incolæ ad sanctam fidem conuerterentur, Lazariani Equites vni. cuique Curioni, quem Episcopus elegisset quinquaginta ducatos dare deberent annuatim, declarauit. Cùm autem diebus præteritis per continuas prædicationes, Terniacenses & Caballiani omnes in Sacrosanctæ Ecclesiæ gremium redierint, numero sexaginta quatuor Parœciarum, quibus idonei & docti constituẽdi sunt Rectores, præter quos necessarij sunt in Ecclesia Tononẽsi, Primaria ditionum illarum vrbe, octo saltem Sacerdotes, qui confessiones audiant, & Sacramenta administrent, necnon tres validi Concionatores, qui ab Apostolico prædicandi munere nunquam cessent, prætereáque restaurandæ sunt dirutæ penè omnes Sacræ ædes, & ferenda alia non sine magnis expensis onera. Supplicat sanctitati Tuæ humiliter, vti vnionem illam relaxare & penitùs abrogare dignetur, quò Beneficia illa omnia quæcumque tandem sint, Curionibus, Rectoribus, Concionatoribus, reparationibus, aliisque ad conseruandam Religionem sanctam necessariis oneribus applicentur. Quandoquidem Serenissimus Allobrogum Dux, qui eius Militiæ Magnus Magister est, suum in eam rem consensum præbet. Licentiam eidem Episcopo concedendo, instituendi Parœciales Rectores, Beneficiáque distribuendi, prout viderit necessarium esse, necnon tres validos Concionatores è quouis Ordine seu Religione eligendi. Atque hic Primus fuit libellus supplex oblatus Pontifici. Secundus. Exponit humillimè Tuæ Beatitudini Claudius Granierius Episcopus Gebennensis. Ob Prouinciæ paupertatẽ fructuumque Præbendarum Theologalium tenuitatem, non inueniuntur Theologi qui eas acceptare velint, cùm nihilominus ad spargendum diuini verbi semen, in ea Diœcesi maximè sint necessarij. Suppli-

Pro relaxatione Beneficiorum Lazarianæ militiæ vnitorũ.

Pro Theologali seu Ecclesiastes.

cat.

cat idcircò Sanctitati tuæ, vti ſibi licentiam dignetur concedere, præbendam vnam Monachalem ſupprimendi in Monaſteriis & Prioratibus Conuentualibus ſuæ Diœceſis, vacantem aut vacaturam, ad hoc vt vnicuique Theologo præbendas duas, prout expedire videbitur, aſſignare poſſit, & deficientibus præbendis, poteſtatem aliqua Beneficia ſimplicia, earum Eccleſiarū in quibus huiuſmodi præbenda conſtituetur, ſupprimendi, & eorum fructus eidem Theologali applicandi. Quandoquidem hac ratione in iis Monaſteriis, Prioratibus, & Eccleſiis diuinus cultus minimè minuetur, immò verò maius & maius ſumet in dies incrementum. Atque hic ſecundus fuit libellus ſupplex oblatus Pontifici. Tertius. Exponit humillimè Claudius Granierius Epiſcopus Gebennenſis. Cùm maiori ex parte ſuæ Diœceſis Curiones adeò pauperes exiſtant, vt ſæpenùmerò ſuos in Chriſto filios magno cum animarum detrimento cogantur deſerere; Supplicat idcircò Sanctitati tuæ, vti ei licentiam dignetur impertiri, iis Curionibus congruam aſſignandi portionem, etiam extra Viſitationem Generalem ſuper Decimis, Primitiis, & oblationibus ab Abbatibus, Prioribus, aliiſve Eccleſiaſticis poſſeſſis, prout iudicabit neceſſarium, non obſtante oppoſitione quauis vel appellatione. Atque hic tertius fuit libellus ſupplex. Quartus. Exponit humillimè idem Epiſcopus. Quamplures ſunt in Sua Diœceſi loci, quorum incolæ conſanguinitate vel affinitate, iunguntur, qui tamen cum pauperrimi exiſtant, tenuiſſimáſque expectent dotes, difficillimè extrà poſſunt matrimonium contrahere, ne ſcilicet exiguam illam dotem viſitationibus ſponſæ, nuptiarúmque oneribus inſumant, nec habeant vnde ad obtinendam ab Apoſtolica Sede diſpenſationem Romam mittant. Quapropter ſupplicat Sanctitati tuæ, vti concedere dignetur licentiam in quarto Conſanguinitatis vel affinitatis gradu diſpenſandi, eóſque qui hactenus eo non obſtante quarto gradu matrimonium contraxerunt, abſoluēdi, cum poteſtate prolem tali modo ſuſceptam legitimam declarandi, hocque ſaltem in conſcientiæ foro. Quandoquidem & paupertate ne Romam mittāt impediuntur, & anguſtiâ loci coguntur ſimul contrahere. Atque hic quartus fuit libellus ſupplex. Quintus. Exponit humillimè. Cùm multi ſint Lutherani ſeu Caluiniani in eius Diœceſi, ſiue relapſi, qui ad veræ fidei redire lumen cupientes tam pium & ſalutare opus intermittunt

Pro congruarum portionum aſſignatione.

Pro matrimoniis ob conſanguinitatem & affinitatē.

Pro abſolutione ab hæreſi.

termittunt,quia ad Episcopum venire nolunt: Supplicat Sanctitati tuæ vti nō sibi tantùm & Generali Vicario, sed& decem aut duodecim viris doctis & perspicacibus eligendis, eos hæreticos seu relapsos ab omni hæresi absoluendi licentiam dignetur concedere,& in hunc effectum, vtque illorum obiectionibus respōdere ij Sacerdotes queant,potestatem absque conscientiæ scrupulo habendi & legendi libros prohibitos,eos autē maximè quos quotidie Hæretici in lucem emittunt, quandoquidem non ita facilè possunt aliter conuinci. Hæc autem licentia petitur perpetua,quia cùm datur ad tempus, finito eo vbi statim noua non potest obtineri, plerique non tepescunt modò sed frigidi fiunt, redeúntque ad vomitum,vel dum hæc expectatur licentia, non sine graui animarum detrimento moriuntur. Atque hic Quintus fuit libellus supplex.Sextus. Exponit humillimè.Episcopalis mēsæ fructus adeò tenues sunt, vt vix ad decentem sustentationem hoc misero præsertim tempore sufficiant, quo magnis expensis eum onerari necesse est,eundo redeundóque ad Ecclesiarum & altarium consecrationem,benedictionémve.Supplicat Sanctitati Tuæ,vti eum ab omni & quauis Decimarum Sabaudiæ Duci concessarum solutione dignetur eximere, partem illam quæ ei conuenit in alios Allobrogicos Episcopos,vel Beneficia possidētes,multò se ditiores & minus oneratos remittendo. Atque hic Sextus fuit libellus supplex. Septimus. Supplicat humillimè Sanctitati Tuæ Claudius Granierius Episcopus Gebennensis, vti cū Canonicis Ecclesiæ suæ Cathedralis dispensare dignetur,ad obtinendas retinendásque vnà cum Canonicatibus Ecclesias Parœciales collocando in iis idoneos Vicarios,& qui ad animarum habēdam curam sufficiant.Quandoquidem omnes sunt vel Nobiles,vel Doctores,& nequeunt cum Canonicatus fructibus, qui sexaginta ducatorum summam non excedunt,decenter viuere, nec ad alia possunt adspirare Beneficia, cùm omnia ferè de iure Patronatus sint, nec possint idcircò absque præsentatione Patroni obtineri.Aliter enim fiet vt dispergātur hi Canonici,desinántque in vinea Domini laborare,eo quòd viuere nequeant.Atque hic Septimus fuit libellus supplex. Octauus. Exponit humillimè tuæ Sanctitati.Episcopatus Gebennensis quamplures habet subditos seu tributarios innumeris astrictos seruitutibus, quæ plus Ethnicismum quàm Christianismum sapiunt,veluti cùm absque

Pro eximendo à decimarū persolutione Episcopo.

Pro dispēsandis ad parœciales Ecclesias Canonicis.

Pro liberādis Episcopatus tributariis.

filiis moriuntur, in nullius fauorem testamentum condere posse: nec nigro panno vestiri, ne quidem tenuem eligmum limbi ex colorato panno gestare; sunt & nonnulli quibus seruitus est cuandi per noctem dum Dominus dormit, ne ranæ coaxent, quæ quàm indigna sint homine Christiano nemo est qui non videat. Quamobrem supplicat Sanctitati tuæ, vti sibi dignetur impertiri licentiam huiusmodi homines mediantibus nummis liberare, prout inter ipsos conuentum fuerit, & quæ quidem pecuniæ in euidentem Episcopalis mensæ vtilitatem, aut fundi eiusmodi in Emphitheutica bona conuertantur. Atque hîc Octauus fuit libellus Supplex. Nonus. Exponit humillimè. Omnia ferè, tum Virorum, cùm mulierum Monasteria, & Prioratus Conuentuales in Sabaudia, Gebennesio, aliisve Sereniſſimi Allobrogum Ducis Ditionibus & Regionibus vltramontanis, adeò ab regulari & antiqua disciplina deciderunt, vt vix regulares à sæcularibus dignoscantur; alij enim huc & illuc palantes discurrunt, alij autem in claustris degentes grauissimo populis sunt scandalo. Quapropter supplicat Sanctitati tuæ, vti commissionem alicui ex Vltramontanis Prælatis de rebus omnibus benè instructo dignetur dare, qui cum duobus ex Societate Iesu, vel Capucinorum Ordine Patribus, addito etiam brachij Sæcularis auxilio, si opus fuerit, debeat, possitque liberè, & absolutè eiusmodi Monasteria visitare, & in veterem Ordinem reducere, & inobedientes corrigere, & rebelles coërcere, prout expedire viderit ad animarum ipsorum salutem, populíque consolationem appellatione quauis neglectâ, & oppositione, quandoquidem illorum Monasteriorum Superiores huiusmodi dissolutiones ferunt, & patiuntur, eo quòd remedium nullum adhibeant. Atque hic nonus fuit libellus supplex. Decimum suis pro Sodalibus addidit, sub hac forma. Beatissime Pater, Deuotissimi Tuæ Sanctitatis Oratores, Prępositus, Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis sancti Petri Gebennensis exponunt humillimè, cùm ab hinc annis sexaginta à Geneuensi Ciuitate expulsi fuerint, & vnà cum Episcopo in Vrbem Anicien sem ad residendum, celebrandáque diuina officia recesserint, euenit vt præteritis mensibus, per virtutẽ Spiritus sancti, & continuas verbi Dei prædicationes factas, omnes ferè, qui Caballium & Terniacum Ditiones Sabaudicas incolunt, Sacrosanctam fidem Catholicam amplexi sint, ij maximè,

Pro Religiosorum vtriusque sexus reformatione.

Pro Canonicis Ecclesia Cathedralis.

mè,qui Tononum inhabitant,primariam Prouinciæ Vrbem, cũ sexaginta quatuor Paroeciis circum circa longè latéque diffusis. Quare ad confirmandos conuersos, reducendósque cæteros, tũ ipse Episcopus, cùm Præpositus & Canonici in eam Tononensem Vrbem se transferre statuerunt, ibique cum tanta animorũ cõtentione in vinea Domini laborare,vt breui flores fructúsque appareant.Verùm quia non habent quo decenter viuant, non enim quilibet eorum Canonicatus sexaginta ducatorum est.Tononi autem erat antiquitus Ecclesia cum Couentu Ordinis Eremitarum sancti Augustini,valoris annui cẽtum nummorum circiter,vnira militiæ sanctorum Mauritij & Lazari à Gregorio fœlicis,recordationis Papa decimotertio,sub prætexta causa, quòd populus ille longè à Conuersione esset, Conuentus autem ille destructus & Ecclesia multas patitur ruinas, vnde impossibile ferè essetFratribus illis restruere.Supplicant igitur humillimè Sanctitati tuæ vti dissoluendo & relaxando vnionem illam, Capitulari mensæ renouare dignetur, & eidem fructus & reditus Conuentus applicare,Militibus etiam perpetuum imponendo silentium,quandoquidem Sereniſſimus Sabaudiæ Dux consentit, & Canonici pro maiori parte Doctores sunt,validique Concionatores. Hac ratione poterunt Tononum se transferre, sacram ædem restaurare,fructúmque facere, qui ex diuini verbi effectu expectari potest.Cum decreto tamen,vt omnes Beneficia quæuis in Ecclesia Gebennensi fundata possidentes, duodecim præsertim.Sacelli sanctorum Machabæorum Sacerdotes,qui vi fundationis ad residentiam in eo sacello faciendam obligantur, debeant,absque vlla vel oppositione, vel exceptione Capitulum, & Canonicos sequi & comitari. Sub pœna priuationis ab eodem Capitulo. Quo casu alij in eorum locum sufficiantur; Quòd si nulli inueniantur,qui ad eam residentiam obligare se velint, tũc illius Sacelli fructus & reditus mensæ capitulari applicentur.Atque hi fuerunt decem libelli supplices, Supremi Pontificis Sanctitati oblati,quibus omnibus manu propriâ subscripsit Franciscus Salesius Prepositus Ecclesiæ Cathedralis Gebennensis.Pontifex petita ferè omnia concessit,alia dedit ad tempus, alia ad Illustrissimum Cæsarem Cardinalem Baronium, & alia ad Iulium Cæsarem Riccardum Apostolicum apud Allobroges Nuntium remisit. Salesius tunc primum cum Baronio sanctæ amicitiæ fœ-

Franciscus cum Baronio amicitiam init.

dus percuſſit, apud quem etiam de erigenda, vel Anicij, vel Tononi Typographia publica ſub authoritate & protectione Apoſtolica egit, exhibitis ob id conſilium optimis rationum momentis, & Baronius omnem opem amiciſſimè pollicitus, cœpit Saleſium magis ac magis amplecti. Dum mirabile illud Sanctorum & Doctorum virorum par in vnam mentem Virtus cogit, Chiffæus non inaniter laborabat. Acceſſit ſecundò ad Pontificem, & ab eo Auunculi ſui nomine, Franciſcum Saleſium in Adiutorem cum futura ſucceſſione petiit, hoc oblato libello ſupplici, quem antea Cardinali Baronio videndum dederat. Beatiſſime Pater. Exponit humillimè tuæ Sanctitati Claudius Granierius Epiſcopus Gebẽnenſis, cùm ab hinc annis viginti Epiſcopali dignitate ſit oneratus, & præterquam quòd quinquaginta annos iam prætergreditur, aduerſis adeò continuò detinetur valetudinibus, quæ canitiem dederunt, vt impoſſibile ferè ſibi iudicet tam vaſtam ampliùs regere, & gubernare Diœceſim, quæ ſexcentarum circiter eſt Parœciarum, cùm ita ſit vt immenſos oporteat tolerare labores, nunc maximè cùm in ſexaginta quatuor parœciis Cæmeteria, Eccleſiæ, & altaria benedicenda & conſecranda ſunt. Vnde quo decentiùs faciliúſque tale onus portare queat, de Nobilitate & doctrina pietati & probitati vitæ coniuncta, deuoti Oratoris & humillimi tuæ Sanctitatis Serui Franciſci Saleſij Præpoſiti Eccleſiæ Cathedralis Gebennenſis plenè & optimè inſtructus, ſummoperè cuperet, vti à Sanctitate tua in Adiutorem ſuum, cum futura ſucceſſione admitteretur, ſimúlque cum illo diſpenſaretur ad retinendam eamdem Præpoſituram & Canonicatum, quorum fructus non excedunt octoginta ducatos, necnon Eccleſiam Parœcialem parui Bornandi, quam ex diſpenſatione Apoſtolica obtinet, & cuius fructus aſcendunt ad ducentos circiter ducatos, præter quartam partem omnium fructuum & redituum eiuſdem Epiſcopatus, deductis tamen prius oneribus ad cuius aſſignationem, idem Epiſcopus conſentit, & quæ poterit aſcendere ad ſummam ducentorum ducatorum circiter quotannis. Quandoquidem ipſe Franciſcus optatur & deſideratur non ab eodem dumtaxat Epiſcopo, ſed etiam à Sereniſſimo Sabaudiæ Duce, & omnibus iis populis, qui ex habitis continuò ab eo concionibus, non ſine maximo vitæ periculo ab hinc quatuor annis inter Caluinianos hæreticos, & ex inde ſequuta con-

Libellus ſupplex quo in Adiutorem Granieritus Franciſcũ petit.

uerſione

uersione eius omnium actionum probationem & viderunt, & de die in diem vident. Erit res hæc Deo & hominibus gratissima, & ex singulari admodum Tuæ Sanctitatis gratia proueniet. Ita eam Deus Opt. Max. quamdiutissimè seruet incolumẽ; Gauisus est hac propositione Pontifex, confestimque Salesium aduocauit. Velle se, dixit, Optimo Præsuli Gebennensi, quod petebat, concedere. Et gaudeo (subiunxit, fili mi) diuinæque bonitati gratias ago, quòd te ad Pastoralem dignitatem aduocet. Verumtamen præpara te ad diem Lunæ, vt coram nobis examẽ subeas, (die Iouis aut Veneris hoc fiebat.) Salesius his auditis non timore quidem percussus, sed ne quid in se contra Gallicanæ Ecclesię priuilegia fieret, vnde postea minus æquis oculis videretur, statim Philibertum Gerardum Verrucanum Comitem, ex Scalliarum familia Sereniſſimi Ducis Allobrogum Oratorem cõuenit, quæque ab Pontifice iussa sibi fuerant, retulit. Comes, Sabaudiæ priuilegiis hoc nocere inquiens nullâ adhibitâ morâ in Rhedã ascendit, iuitque ad Papam examen istud impediturus. At Pontifex, audito eo, Salua omnia Sabaudiæ iura velle se declarauit, nec vllum priuilegiis examen hoc allaturum esse detrimentum, Animi tantùm gratiâ cupere illius probare doctrinam, differentémque audire, quem eruditissimum iam satis agnoscebat, & toti cõscriptorum Patrum Collegio reddere commendabilem. Hoc responso satisfactus Verrucanus receſſit, & Salesius de subeundo examine cogitare cœpit. Breue temporis habebat spatium, studuisse oportuerat, ad Sacrosancti Crucifixi pedes prouolutus, Orationem continuam præparationem fecit. Obtulit idcircò sacrificium Deo, & offerri curauit, ac vbi indicta dies Lunæ illuxit, in Pontificiam aulam se cõtulit. Transibat fortè ante sacram Dui Iacobi in Burgo (vt vocant) ædem. Intrauit, & genuflexus fleuit amarè tum in hanc sententiam orauit Deum. Domine, si ex æterna tua prouidentia scis me inutilem seruum in Episcopatu fore, nec earum animarum, quæ mihi pascendæ tradentur, curam sedulam habiturum, ne permitte me respondere rectè, immò verò operiar sicut diploide confusione corã Vicario tuo, & ab hoc examine prẽter ignominiã reportẽ nihil. Surrexit & perrexit. Repletã inuenit aulã præter locũ spatio destinatũ. Clemens Põtifex, sedebat in solio, Maiestatem & Amorem, (citra Prouerbium) ore toto spirans. Circumsedebant Cardinales octo, inter quos Flo-

Pontifex Franciſco gratulatur, & indicit diem examinis.

Franciſci laudes à Pontifice.

Franciſci examẽ subituri oratio.

Franciſci examinatores quales, ac quantiꝑ

rentinus, Burgheſius, Baronius, & Borromæus erant, Archiepiſcopi, Epiſcopíve, aut Ordinum Superiores Generales viginti, præter quamplures alios examinatores, Protonotarios, Canonicos, & ex diuerſis Ordinibus Patres. Fortè eodem tempore cum Saleſio examinandus in Epiſcopum erat, Hiſpanus quidam, vir alioquin Doctus, qui ſtatim ac in auguſtiſſimo hoc cœtu comparuit, tanto eſt pauore apprehenſus, vt diffuſo totos per artus frigore, virium & cordis ſit deliquium paſſus. Subleuatus fuit illicò, ſuorúmque manibus in hoſpitium reportatus. Deponitur quietem accepturus, accurrunt Medici, nullum in reficiendo eo prætermittitur remedium. Viſitatur nomine Pontificis, bono eſſe iubetur animo, expeditas eſſe litteras quibus creatur Epiſcopus, notam omnibus ſingularem quâ polleat doctrinam & pietatem, nihil non ei dicitur, vt ad ſe redire poſſit, fruſtra tamen. Moriendum eſt, adeò pauor ingens violentiùs fortè ab præparatis iampridem noxiis humoribus excitatus, naturam concuſſit, perdidit. Saleſius, quem caſus iſte etiam terruiſſe debuerat, idem tamen perſtitit. Itaque vbi genuflexit, generalibus interrogationibus præmiſſis, hanc audiit. Cui ſcientiæ ſtuduiſti? Iuribus reſpondit Ciuili & Canonico necnon ſacroſanctæ Theologiæ. Perrexit examinator. Ex qua ſcientia formari tibi vis quæſtiones? Ex qua placuerit ſuæ Sanctitati, reſpondit. Sed determina. Sorti meæ (inquit) magis conuenit Theologia, ideò cum vtrius electio meo relinquatur arbitrio, ad quæſtiones Theologicas reſpondere, Deo dante, conabor. Continuò triginta quinque quæſtiones, & ad ſingularum reſponſiones optimas, ſubtiliſſima argumenta laxata ſunt. Interrogauit, inter cæteros, Bellarminus nondum Cardinalis, Vtrum Beatitudo ſit formaliter in voluntate, vel in intellectu, aut in vtraque potentia ſimul, circa quam quæſtionem diu inter illos diſceptatum eſt, tandem tamen doctiſſimè & ſolidiſſimè reſponſionem primam Saleſius propugnauit. Poſtremò interrogauit Pontifex, qui & inceperat. Vtrum Epiſcopi poſſint diſpenſare ſuper irregularitatibus ex occulto peccato prouenientibus (reſpondit) poſſe, excepto homicidio voluntario, & iis quæ ad contentioſum forum deducta ſunt, & in hoc reſponſum Papa etiam argumenta contexuit, ſubiunxítque ex occaſione. Vtrum Epiſcopus abſoluere poſſit ab hæreſi. Reſpõdit, poſſe, adduxítque in dicti probationem ſextum caput

Hiſpanus quidam mirè pauidus.

Franciſcus interrogatur.

ſeſſionis

seſſionis vigeſimæ quartæ Concilij Tridentini. Quod poſtquàm diu defendit Pontifex (quia nouiſſimè poteſtas huiuſmodi reuocata fuerat.) At nos (inquit) ô fili, non ita intelligimus. Tunc Saleſius profundiſſimè inclinatus, Beatiſſime Pater (ait.) Si Tua Sanctitas non ita intelligat, neque ergo ita volo intelligere. Stupuerunt ſanè Patres ad eruditionem & humilitatem miram, & Pontifex ad proximiores verſus, à nemine (inquit) quem huc vſque examinauerimus tantam ſatisfactionem habuimus. Nec mora relicto ſolio (vt erat naturâ ſicut nomine Clementiſſimus) expreſſis præ gaudio lachrymis, genuflexi, quem & ſuæ Maieſtatis penè oblitus amplexatus eſt, madefecit genas, & altè hæc ex Prouerbiorum capite quinto verba pronuntiauit (Fili) bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui; deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide; Prælati omnes protinus gratulati ſunt, & diffuſa eſt per totam hanc orbis dominatricem Romam tam eximia de Saleſio fama, vt ab omnibus ſumma cum auiditate cultus fuerit, & honoribus cumulatus. Interea dum de omnibus quæ apud Sedem Apoſtolicam, ſupplicibus egerat libellis, litteras expectat, plurimorum, tam Cardinalium, quàm Epiſcoporum, & Religioſorum hominum amicitiam iniit, Illuſtriſſimi inprimis Cardinalis Burgheſij, cum quo de conuerſionis Caballianæ & Geneuenſis methodo ſæpiùs conſultationē habuit, & qui poſteà Papa fuit Paulus quintus nominatus. Baronius Saleſij ſui conſuetudine ſatiari non poterat; Cùm ab illo ſemel viſitationis accepiſſet officium, exeundúmque eſſet, Cardinalis vnum Saleſio ex altis Rhedæ ſedilibus obtulit: ſed ille conſtantem excuſationem faciens, ſedit in infimis ad apertum, aítque. Sedebo ad pedes Gamalielis. Idem poſtea Cardinalis diſceſſuro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quos eo anno compoſuerat, in ſui memoriam dedit. Aderat tunc Romæ vir piiſſimus Iuuenalis Ancina, Congregationis oratorij in Eccleſia Vallicellæ tunc Sacerdos concionator, móxque Sallutienſis Epiſcopus factus. Cum eo etiam Sanctiſſimam Saleſius habuit familiaritatem, ac deinceps coluit; Demum nono Calendas Aprilis, eiuſdem anni milleſimi quingēteſimi nonageſimi noni, ampliſſimas ſub forma Breuis Apoſtolicas litteras, ſub annulo piſcatoris apud ſanctum Petrum datas, à Barbiano ſignatas, & ad Claudium

Franciſci humilitas & modeſtia.

Frāciſcum Pontifex cum lachrymis & oraculo oſculatur.

Franciſcus Burgheſio acceptiſſimus.

Saleſij humilitas.

Franciſcus Iuuenali Ancinæ amictus.

Franciſcus Apoſtolicas litteras obtinet.

Claudium Granierium Episcopum Gebennensem directas obtinuit, quibus Supremus Pontifex de omnibus, quæ Caballianam Conuersionem, Curionúmque solidam institutionem spectabant, prudentissimè sanctissiméque disponebat, Supplicata reliqua minoris instantiæ ad Apostolicum apud Allobroges Nuntium remissa sunt. Salesius expediri sibi Adiutoriæ litteras minimè curauit; Sufficiebat sibi habere in manibus vnde suos Veragros penitus confirmaret. Ne tamen rem à cœlo (proculdubio) factam negligere videretur, Claudium Coëssium Tallorien-sem Iurisconsultum grauissimum, ac postea in Gebennesiano Auditorio Iudicem Collateralem, rogauit, vti litterarum illarum Adiutorię Curam habere dignaretur. Itaque discessurus Summo Pontifici gratias egit, eiúsque benedictionem paternam postulauit, & Pontifex gratulatoriis ad Episcopum Gebennensem, quòd tam idoneum haberet Adiutorem, datis, non sine lachrymis benedixit ei. Redeundo cum Chissæo Lauretanam Virginis ædem secundò visitauit, Hospitio à Patribus Societatis Iesu nullo prætermisso officio exceptus, ac ab Reuerendissimo Episcopo, qui ei librorum suorum prototypa manuscripta videnda porrexit, magnis cumulatus gratiis. Vota quæ adolescens emiserat renouauit, de reddita sibi sanitate, sed præcipuè de conuersis ad veram fidem tot Hæreticis, & nato & Matri gratias egit, & reliquos vitæ suæ dies ardentissimis cum affectibus diuino cultui dedicauit. Tot cernens hac in sacra Basilica thesauros, tot diuitias, gemuit, & vtinam (inquit) Suæ Beatitudini consilium esset, horum omnium maximam partem vendendi, insumendíque pretium ad debellandum immortalem Christianorum hostem, Turcam, aliáue pia opera facienda, certè non displiceret hoc glorisissimæ Virgini, immò verò gratissimum foret. Et timendum est, ne fortiores aliquando Piratæ ingentium huc spe diuitiarum adducti omnia tollant. Laureto Bononiam venit, vbi admodùm à Reuerendissimo Archiepiscopo cultus fuit, Bononia, Mediolanum vbi vitam Diui Caroli Borromęi recens editam, ingenti cum gaudio comparauit, Mediolano Augustam Taurinorum. Hîc cum non inuenisset Barensem Archiepiscopum, expectandum fuit, intra paucos enim dies ex Visitatione, quam in Subalpinis tractibus faciebat, rediturus erat. Chissæus tamen, quem priuata negotia arctissimè premebant præstolari non potuit, sed relicto ad negotiorum

Pontifex de Francisco, gratulatur Granierio.

Francisci de diuitiis Lauretanis sententia.

tiorum Diœceſis Gebennenſis complementum Saleſio, in Sabaudiam celeribus rediit equis. Itaque Saleſius Sereniſſimo Duci, quæcunque Romæ acta fuerant, fusè retulit, oſtenditque Breuis apographum, aut certè ſummarium. Dux primâ fronte rectè eſſe dixit, quandoquidem nihil non erat ab iis, quæ Tononi præterito anno ſtatuta & concluſa fuerant, vel diſſonum vel alienum, reſtabátque ſola Senatui & rationum Curiæ iuſſio, vti omnia rata eſſent, cùm Lazariani Equites oblato libello ſupplici rem tantiſper protraxerunt. Narrabant illi, vt accepiſſent Præpoſitum Saleſium electum Gebennenſem, litteras à ſummo Pontifice reportaſſe, quibus Religio & Militia ſanctorum Mauritij & Lazari Beneficiis omnibus, non Curioniis dumtaxat, verùm etiam quibuſuis aliis in agris Caballiano & Terniacenſi exiſtentibus ſpoliaretur, contra litterarum à Gregorio Papa decimo tertio obtentarum argumentum. Hócque ſub prætexta cauſa alimenti Sacerdotibus conſtitutis, aut conſtituendis neceſſarij. Aiebant nolle ſe vllo modo rem tam piam perturbare aut impedire, quin potius promptos eſſe & paratos ad omnia, quæ rationi conſentanea eſſent, ſed à ratione videri alienum, ſi poſtquam Curioniis congruã, & pluſquàm congruam dediſſent portionem, reſiduis ſpoliarentur reditibus, Abbatiis, maximè & Prioratibus, in quibus nulla eſt animarum cura. Addebant Suæ Celſitudini, eiúſque ſucceſſoribus nominationis, & iuris Patronatus, ratione detrimentum. Concludebántque, vti Dux ſuperſederi omni exequutioni iuberet, quouſque ad redituum omnium diſcuſſionem faciendam vocarentur, communicarentúrque Apoſtolicæ litteræ ab eodem electo Gebennenſi reportatę. Dux decreto iuſſit libellum ſupplicem Præpoſito Saleſio denunciari, vt intra dies duos reſponderet, & quouſque aliter decerneretur omni exequutioni ſuperſederet, darétque Militię Apoſtolicarum litterarum, & prætenſarum ſuarum rationum apographum. Acta eſt tertio Calendas Maij denunciatio, & Saleſius ſic reſpondit. Præpoſitus Saleſius conteſtatò denunciat nullum habere, nec ſibi vindicare ius in bona, de quibus in libello ſupplici mentio fit, & nolle propterea vllo modo in ſupplicantes aduerſarij nomine agere, Litteras Apoſtolicas à ſe reportatas, petitas, conceſſas & obtentas ad Dei, Eccleſiæ, & ſuæ Celſitudinis obſequium fuiſſe, ad eam ideò ſpectare litteras illas aſſerere, non

Franciſcus Duci refert quæcunque Romæ egerat.

Mauritiani Equites rem Franciſci protrahunt.

ad ſe, qui tanquam ſeruus minimus eas portat, & producit, & qui in hac re nullam habet cauſam pręter generalem, vt regnum Dei dilatetur. Si nihilhominus ita ſuæ Celſitudini placet, vt idem Præpoſitus, tanquam ſeruus, voluntatis Papæ in litteris contentæ rationem reddat (inquiet) litteras Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis octaui, litteris Gregorij decimi tertij à ſupplicantibus allegatis conformes eſſe. Nam idem Gregorius rei fœliciter diebus noſtris, ſub tuæ Calſitudinis authoritate, euentæ præuidens, ea Beneficia Caballiana, & Terniacenſia (tanquam tunc temporis ad naturalem vſum cui deſtinata ſunt, id eſt, Eccleſiaſticorum alimentum inutilia) Militiæ cum hac conditione tradit. Ita tamen vt cùm primùm eorum locorum homines veritatis lumen commiſerante Domino reciperent, in quacunque parte contingeret, Paroeciales Eccleſiæ & alia Eccleſiaſtica loca ad exercitium curæ animarum idonea, ab ordinariis locorum, quibus illa ſuberant, cum dote non minore de proprietatibus bonorum prædictorum, ad iuſtum & competentem numerum inſtituerentur, illiſque ab eiſdem ordinariis de Rectoribus & Paſtoribus idoneis, iuxta Concilij Tridentini diſpenſationem, & alias Canonicas ſanctiones prouideretur, &c. Et quamuis in litteris Gregorij decimitertij nulla talis appoſita fuiſſet conditio, Pontifex hodie ſedens qui hac in re abſolutè poteſt diſponere, in populorum fauorem & Chriſtianæ religionis progreſſum, vt conſtat, diſponit. Verumtamen in iis litteris Clementinis nullum aliud detrimentum eſt Militiæ, quàm in conditione Gregorianarum, quarum ad omnem dubitandi rationem tollendam declaratio tantùm eſt. Quod enim Militiæ graue videtur in poſterioribus, ſecundùm libelli ſupplicis verba eſt. Primò. Quòd ea Religio omnibus, & quibuſuis beneficiis ſpoliatur. Sed conditio indiſtinctè fert de proprietatibus bonorum prædictorum, & Concilium Tridentinum ipſo iure dat portiones congruas ſuper omnibus beneficiis aſſignandi poteſtatem. Secundò. Quòd hoc fiat ſub prætexta cauſa alimenti, atqui hoc nullomodo prætextus eſt, immò verò pura & ſancta realitas, vt ita dicatur, cui non Clemens tantùm, ſed ipſe etiam Gregorius conditione cauet. Tertiò. Quòd alimẽti determinatio Epiſcopo relicta ſit. Sed & Concilium Tridentinum diſertè, & conditio Gregoriana id ad Epiſcoporum cognitionem remittunt. Quartò. De numero hominum

num neceſſariorum. Volunt enim Equites id ſecundum numerum à tua Celſitudine, dum Tononi ageret, conſtitutum fieri. Sed non exceditur,& vix ſufficiet: Et ſi ampliorem neceſſarium eſſe experiẽtia docuiſſet, impedirene deberent?Haudquaquam omnia ſubitò accommodantur.Imò minor numerus conſtitutus fuerat, vt ſi fieri poſſet ad reſtaurandas ædes, emendáque ornamenta aliquid ſupereſſet & populo multiplicato poſtea; de multiplicandis etiam Curionibus aut Vicariis cogitabatur. Quintò. Quòd inauditâ Militiâ, hæ litteræ conceſſæ fuerint. Sed Appoſita ab Gregorio conditio, cui Equites conſenſerunt, ab hoc eos labore exemit. Quam verò rationem ad impẽdiendam harum litterarum conceſſionem attuliſſent?Ea profectò eſſe non poteſt præterquam in facto & in iure.In iure; Productio eſt litterarum Gregorianarum. Sed eas Clemens ferè integras in ſuis inſeruit, nec quidquam eorum quæ continent, ignorauit, cùm hac in re ex certa ſcientia egerit. In facto; Negando conuerſionem & reductionem illorum populorum. At hoc quomodo? Vltrò id ipſi in libello ſupplici fatentur: Et certè quamuis decem dumtaxat in vnaquaque Parœcia homines conuerſi fuiſſent, eodem in eorum fauorem modo Pontifex diſpoſuiſſet, Sed proferunt Equites rationes duas, vnam ne in exequutione committatur abuſus. Ad hoc reſpondetur ſupereſſe ſemper eis quærendi locum, abſque eo quod neceſſarium ſit tam vrgenter neceſſariæ exequutioni remoram inijcere. Aliam. Ne pereat nominandi ius. Sed Curiones illi Tuæ Celſitudinis ſerui erunt & ſubditi. Minima anima, Minima Miſſa; ſi Minimum dicendum eſt, Maximum ſacrificium omnibus nominationibus ad tuæ Celſitudinis conſeruationem præualet. Cœterùm Concilij decretum eſt, vti ſuper omnibus portiones congruæ ſumantur. Quod de reditibus eſt non ſufficiunt ad ea quæ fieri oporteret. Meliùs fuiſſet nihil feciſſe, quàm frigidè agere. Aiunt, ſe ad fouendum tam pium opus paratos. Nihil vnquam meliùs agere poſſunt. Porrò Salus populi ſuprema lex. Nemo ſingularis ex iis reditibus capit, nec Epiſcopus Gebennenſis, nec ego. Et coram vno aut pluribus ex tuæ Celſitudinis muneris Adminiſtris accuratè ſupputabuntur. Quamobrem idem Præpoſitus Saleſius, tanquam tuæ Celſitudinis Seruus ſubditus,& Orator humillimus, ſupplicat ob amorem Dei, vti earum litterarum exequutio minimè omninò differa-

Fortiæ Franciſci verba.

tur, quin potius suis acceleretur; feratúrque fauoribus, & tãquam Lazarianæ Militiæ humilis seruus, & Orator, rogat Equites, vti satis sibi esse velint, si apertis oculis videant, vtrum vllus committatur abusus. Nec contra se factum putent, quod ad Religionis obsequium, nullo aduerso in eos animo, agit. Vidit has respõsiones Dux Sereniſſimus, Equitibúsque perpendendas dedit, quas eum frãgere aut infirmare nullo modo possent, differrentque quotidie: Salesius inutilium, imò noxiarum, quas Taurini faciebat, morarum impatiens accessit ad Principem, ac sic intrepidè loquutus est. Sereniſſime Domine, tua Celsitudo, Sanctæ Sedis Apostolicæ declarationem expectando fiduciario iure de Beneficiis omnibus Caballianis & Terniacensibus ad Ecclesiasticorum iis in recuperatis Prouinciis alimentum vindicias dederat. Tuus Camberiensis Senatus, tuáque suprema Rationum Sabaudicarum Curia, litteras à te in hanc rem concessas, & obtentas; adhuc ratas habere noluerunt. Summus Pontifex, secundùm tuæ Celsitudinis intentum, Reuerendiſſimo Gebennensi Episcopo omnimodam potestatem dedit: Beneficia omnia Militiæ sanctorum Mauritij & Lazari in Caballio & Terniaco vnita dissoluendi, prout sibi expedire videbitur, ad conuersorum populorum instructionem: Ecclesiarum & altarium reparationem, aliáque necessaria. Atqui tua Celsitudo decreto suo, tertio Calendas Maij mihi denunciato, omni executioni supersedere iubet. Adeò vt miseri illi conuersi populi omnibus, in sancta Religione quam amplexati sunt, perseuerandi rationibus priuati remaneant. Et quia, Princeps optime, tuam vt hîc expectarem voluntatem præcepisti, oro supplex humillimè, vt rem tanti ponderis, quæ absque ruina differri nequit, perpendendo tuæ Celsitudini placeat, vel absolutè & efficaciter imperare, vti Apostolicæ litteræ confestim executioni mandentur, Salua Militiæ facultate, vti abusus fuerit, prout, & apud quem æquum fuerit recurrendi, vel disertè præcipere vni Senatori, aut ex Rationum Curiæ Auditoribus, vti exequutioni per Reuerendiſſimum Episcopũ Gebennensẽ faciendę, præsens sit, cui etiam adesse poterit constitutus vnus ab eadẽ Lazariana militia, vt omnis abusus accusatio euitetur. Asſero verò Gebennensem Episcopum, has in litterarum executione conditiones religioſiſſimè obseruaturum. Vt non excedatur æquus necessariorum operariorum numerus,

Franciscus intrepidè Ducem alloquitur.

merus, qui tamen absque peculiari circumstantiarum, locorum cognitione, præcisè determinari nequit. Vt in massam conferantur omnia beneficia, quæcunque tandem sint; (iis exceptis, de quibus tua Celsitudo à conuersionis tempore disposuerit) vt ex hoc toto eruantur necessarię diuino cultui partes. Vt fiat æqua vniuscuiusque beneficij æstimatio, & vt bonorum omnium legitimus vsus insumptúsque, tum in portionibus congruis assignandis, cùm in aliis ad fidei conseruationem necessariis operibus, obseruetur. Et quamuis reditus omnes inpræsentiarum existentes, vix ad agenda, quæ hoc initio necessaria sunt, sufficiant. Nihilominus Episcopus, quod ad officium suum attinet necessarium duntaxat aget. Facies quod reliquum est, Princeps Sapientissime, nimirùm Patres Societatis Iesu, prout iam cum Generali eius Ordinis Præposito conclusisti, Tononi collocabis, adimplebísque cætera, quæ flagrans tuum in religionem studium tibi suggeret. Placeat ergo tuæ Celsitudini, me quamprimùm absoluere, & ab tot animabus, quas in fide Catholica conseruabis, cœlestium gratiarum abundantiam tibi conciliabis. Non distulit Dux Sereniſſimus (his auditis) dimittere Salesium. Litteras confici iussit; quibus declarat velle se, Apostolicas executioni mãdari, ab Reuerendissimo Gebennensi Episcopo, præsentibus tamen Carolo Rupeculano in Supremo Sabaudiæ Senatu primario Præside, & Iosepho Ruffiano sacri Ordinis sanctorum Mauritij & Lazari Equite, necnon Subalpinæ Prouinciæ Magno Priore, vt omninò secundùm Sedis Apostolicæ sanctam dispositionem res Ecclesiastica in Caballio & Terniaco stabiliatur. Quod supererat, cum Archiepiscopo Barensi, agendum Salesius & voce & relictis scripto articulis confecit. Pro liberandis scilicet subditis seruis; pro eximendo ab Decimarum solutione Gebennensi Episcopo. Pro præbendis Theologali applicandis. Pro Concionatore ex Abundantianæ Abbatiæ præbenda vna, Aquiani constituendo, vt erat aliàs, Franciscus Papardus Ordinis Fratrum Prædicatorum; & vt de his omnibus Reuerendissimus Archiepiscopus ad Illustrissimum Cardinalem Aldobrandinum, cui iam omnia ab summo Pontifice Romæ commissa fuerant, scribere dignaretur. His actis, superauit Ciniſium, & Anicium faustus & incolumis aduenit. Exultauit Granierius ad successoris sui intuitum, & vniuersa Ciuitas continuò gratulata

Fr̃anciscum Dux tandem absoluit.

Ad Franciſci aduentum Anicienſes exultant.

est. Communicatæ sunt ferè omnibus congratulatoriæ litteræ, quas Clemens Pontifex mittebat ad Granierium, ipseque Granierius, totis iubilans artubus, dum Hilarium Furerium apographa describentem attentiùs consideraret, Prophetico spiritu procul dubio motus, ait; Ne rerum istarum omnium obliuiscaris, sed attendè, & vide quid agas, veniet enim, veniet aliquando tempus illud, cùm de omnibus oportebit te succinctissimè respondere. Interea tot fatigatus itineribus & negotiis, tantillum Salesius respirabat, cùm è cubiculo suo clamores parturientis audiit. Intellexit esse Petræam Moërodam, Caroli Tromberti Ciuis & Mercatoris Anicienſis, cuius ædes Salesianis iunctæ sunt, vxorem. Miseratione tactus, extraxit è cistula zonam quamdam, quam Laureto detulerat, aduocatóque Ioanne Francisco Salesio fratre suo Canonico Cathedralis Ecclesiæ: Rogo te frater, ait, defer zonam hanc ad purturientem Tromberti coniugem, grauissimis (vt audio) conflictatam doloribus, dic Matronis vt eam præcingant, interim dum ego hîc fœliciter, vt prolem emittat, orabo. Abiit Ioannes Franciscus, & Præpositus ante Cubili oratorium genuflexus, precibus à Deo dolorum breuitatem pro Moëroda obtinebat, cùm statim ac apposita est zona, fœliciter, & nullo penè dolore partus sequutus est. Miraculi speciem obstetrices dixerunt, volauîtque subitò fama, Salesij preces Tromberti vxorem à doloribus partus liberasse, sed minori admiratione, iam enim tunc ille, vt Sanctus ab omnibus colebatur. Recreatus ac refectus, vt sui Caballiani operis exitum tandem aliquando videret; de meliori, ad mandandas exequutioni litteras Apostolicas methodo cum Granierio cogitare cœpit, sanè præuidebat, si iudicij figura seruaretur, rem in longissimum tempus abituram, non modico cum religionis recens stabilitæ detrimento. Quare cùm Dux venisset Camberiũ, in Franciam iturus, supplicãdum suæ Celsitudini rursus decretũ est, vti promptè, & absque litis forma executionẽ fieri; suprema authoritate permitteret, ac iuberet: iis rationibus, quia de re purè & simpliciter (si ita dicendum sit) spirituali ageretur, quam summus Pontifex, qui beneficiorum dominus est, arripuit. Quia hoc ad Ordinem & politicam Ecclesiæ spectat, cuius idem Pontifex Iudex est Arbiter & dispensator. Et quia ea omnia Caballiana & Terniacensia beneficia, licèt ab Hæreticis vendita & abalienata fuerint, nihilominus

Franciscus precibus Moërodam à doloribus partus liberat.

Franciscus iterũ cum Duce Cãberij agit.

hilominus ſtatim ac reſtituta fuit Catholica religio, in priſtinam ſuam naturam redierunt; & ad caſum à quo alienationes illę non potuerunt incipere: ideóque non eſt hac in parte quod obſtare poſſit. Quod autem emptores Beneficiorum illorum detrimentum & noxam patiantur, in nonnullis negandum non eſt, ſed Deo & Eccleſiæ poſthabendi ſunt: & multis aliis æquis & facilibus viis poteſt illis fieri ſatis. Supplicandum item eſſe, vti Prioratus Tononenſis, & Decanatus Anthyacenſis in Epiſcopi manus, remittantur, vt eorum fructus, tum ad alendos Curionem, Sacerdotes, & Concionatores Tononi conſtitutos, cùm ad Collegij Societatis Ieſu præparationem inſumantur. Cùm Prioratum illum ab Bernatibus, quadraginta quinque millium florenorum pretio, ſub perpetuæ redemptionis gratiâ tenuerint, vendiderintque poſteà, ex eiuſdem beneficij fundis, pluſquàm ad quinquaginta millia florenorum, vnde ſatis ſupérque ſolutionem acceperunt. Quod ad Vicedomnũ Caluomõtanum Charmoëſiaci Dynaſtam, qui Decanatum Anthyacenſem emit, poſſe aliunde ex Suæ Celſitudinis immenſis fauoribus indemnem exire. Poſtremò ſupplicandum eſſe, vti de Curionio Armoënſis Eccleſiæ, cum duabus filiolis beneficio, ac Prioratu Dralliantino, hactenus à Geneuatibus poſſeſſo, plenæ & abſolutæ dentur Collegio Canonicorum Cathedralium Sancti Petri Gebennenſis vindiciæ, ſecundùm litteras iam à ſua Celſitudine Tononi præterito anno conceſſas; ſaluis in tempore omnium iuribus. Dux, nihil non rationi conſonum his in petitionibus reperiens, conceſſit. Saleſius qui nullum vnquam pium negotium faſtidiebat, vbi periiſſe vidit conſilium, quod de transferenda Tononum Cathedrali Eccleſia captum ſupplicatúmque, idcircò Romæ fuerat, aliud mox tentauit. Cum Granierio Cherubino Maurianenſi, & Spiritu Balmano, Capucinis, cæteríſque piis ac religioſis Ordinis vtriuſque, tum ſæcularis, cùm regularis viris. His rationibus. Cùm Ciuitas Geneuenſis ex vicinorũ præcipuè Catholicorum ad eam concurſu, multis ſanè potiatur commoditatibus temporalibus, vt vicini ipſi in emendo, ſeu vendẽdo vix eius commercio carere queant, quandoquidem res venales vix alibi recuperari poſſunt, quàm in ea Ciuitate, vel quæ parùm diſtat, & alterum exiſtit hæreticorum receptaculum Lauſanenſi. Hinc fit vt iidem populi, & illi maximè qui in Catholica religione

Dux Franciſco omnia concedit.

Franciſcus de domo ſancta Tononienſi cogitat.

ne sunt recentes; cum huiusmodi commoditatibus indigeant, & aliorum quàm ipsorum hæreticorum auxilio iuuari non possint, ab iisdem hæreticis de Catholica fide relinquenda, & ad falsa eorum sectæ dogmata redeundo, quotidie tentantur, & incitantur, alij verò circumuicini qui numerum centũ millium hominũ excedunt, si artem aliquam mechanicam addiscere, vel alicuius famulatibus insistere cupiant, ad Ciuitates illas, tanquam omnibus iis rebus affluentes, confugere; & eorumdem populorũ adolescentes, ac pueri pro scientiis & artibus capescendis eò mitti consueuerunt, quodque omnium illarum retium, quibus Catholicorum corpus & animam venantes insequuntur, periculosius & damnabilius est: si quispiam salutis æternę oblitus, ab Orthodoxa fide recedens, ad eam Gebennensem Ciuitatem se contulerit; bona, vxor, aliæque temporales commoditates ipsi suppeditantur; Prout è conuerso, si quis ipsius Ciuitatis incola veræ fidei lumẽ agnoscat, omnia eius bona Ciuitati addicuntur, & exinde ingentes vicini populi præ annonę caritate, bellíque, & aliis tẽporũ calamitatibus, ad eam Ciuitatem confugerunt; ibíque cùm aliunde non habeant, quo viuant adhuc commorantur, qui tamen si alibi viuere possent, Catholicam se fidem amplexaturos pollicẽtur. Quamobrem si Tononi vna domus omnium scientiarum & artium perpetuò erigeretur, & institueretur, in qua tanquã publica vniuersitate omnes scientiæ, & artes, præcipuè Theologia scholastica, controuersiæ, casus conscientiæ (vt vocant) sanctorum Patrum traditiones, & sacræ Scripturæ docerentur, & legerentur; ac omnes è densis hæreseos tenebris ad lucis splẽdorem accedentes reciperentur, & educarentur; ac fidei Catholicæ prę-ceptis imbuerentur, & instruerentur, illíque sic edocti & imbuti fructum eidem domui adferrent, ex quo merces, & alia venalia compararentur, & qui ad eas comparandas Geneuam petunt, pro maiori commoditate Tononum se cõferrent, ac in eamdem societatem cuiusuis generis sexus, cõditionis, & professionis personæ Catholicè tamen viuentes reciperentur, & in ea quisque suæ artis aut scientiæ talentum exerceret, varióque modos ad hæreticorum conuersionem excogitaret, profectò fidei propagationi, & animarum saluti ac securitati, plurimùm consuleretur: Prudentissimè consideratum (dixit Granierius, & cum eo quotquot aderant) Consilium, Sereníssimo Duci referendum quamprimum

primum esse. Dux nullâ difficultate consensum præbuit, immò hoc se auidè expetere significauit. Restabat summi Pontificis authoritas. Scripserunt idcircò Granierius, Salesius, & Cherubinus, Romam. Commissa res est ab Pontifice Cardinali Gyuriaco, qui nullam operam in promouendo tam pio negotio prætermisit. Tandem superatis difficultatibus omnibus, quæ in Romana Curia formari consueuerunt, eam domum sub inuocatione Beatæ Mariæ compassionis, seu septem dolorum; Clemens octauus Pōtifex, litteris Romæ datis apud sanctum Marcum eo anno, millesimo quingentesimo nonagesimo nono, idibus Septembris, Pōtificatus sui anno octauo, perpetuò erexit, & instituit; Quam ab vno Præfecto, & septem Sacerdotibus sæcularibus, vitam & institutа Congregationis Oratorij Romani obseruaturis, regi & gubernari voluit; Omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, indultis, indulgentiis, concessionibus & gratiis, ad instar aliarum publicarum Vniuersitatum, præsertim Bononiensis & Perusiensis authoritate Apostolica donauit. Ei tres prioratus Conuentuales, videlicet sancti Ioricij, quem Gregorius tituli sancti Augustini, Presbyter Cardinalis de Montelparo nuncupatus: Nantuaci, quem Tiberius Mutus, & Contaminæ, quem Philippus Butius in Commendam obtinebant, primò vacaturos perpetuò vniuit, annexit; & vt ita dicatur incorporauit. Eam sub suæ Beatitudinis, & Sedis Apostolicæ, necnon vnius ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, túncque primùm sub Cæsaris tituli, sanctorum Nerei, Achillei, & Domitillæ Presbyteri Cardinalis Baronij nuncupati protectione & auspiciis constituit. In eius Præfectum; tum primum Franciscum Salesium Præpositum Cathedralis Ecclesiæ Gebennēsis, qui rem omnem mouerat & apprimè nouerat, elegit; nominauit & constituit: Eidem Præfecto & Sacerdotibus, pro salubriori domus directione, quæcunque statuta condendi & condita, quoties opus fuerit immutandi & corrigendi, ac secundùm rerum & temporum qualitatem interpretandi, & illorum loco alia, prout expedire videbitur, de nouo edendi & condendi, ad quorum obseruationem singuli de domus gremio existentes astricti sint, plenam & omnimodam authoritatem, potestatē & facultatem concessit, & impartitus est. Omnibus denique eam domum intrantibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra cōmunione refectis, qui eius Ecclesiam, singulis Beatæ Mariæ festi-

Franciscus scribit Romam.

Domus Tononiēsis erigitur.

Donatur priuilegiis

Sub auspiciis Cardinalis Baronij.

Franciscus primus Præfectus.

Indulgētiæ concedun-tur.

uitatum diebus à primis Veſperis, vſque ad Solis occaſum viſitauerint, ibique pias, vt mos eſt, ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum eorum indulgentiam, & remiſſionẽ, conceſſit, & elargitus eſt. Itáque his receptis Apoſtolicis litteris, Saleſius ſeriò de formanda hac Pietatis domo ſeriò cogitare cœpit. Primò quidem Maior Eccleſia aſſignata eſt ea, quę Diuo Hippolito ſacra erat, ſub titulo deinceps Beatæ Mariæ Compaſſionis, vt habetur in litteris, à qua dependeret alia Diui Auguſtini, Collegio Patrum Societatis Ieſu deſtinata, ſtatim Dux Sereniſſimus pro fabricis duodecim nummorum millia dedit, & inter quamplurimos Diuinæ gloriæ amatores, Nobilis quidam recens ad fidem conuerſus, octo millia. Poſtea Saleſius ad quem huiuſmodi cura incumbebat, perlectis Sacerdotum Romani Oratorij legibus, quas quantum fieri poſſet obſeruari volebat Pontifex, difficultatibus annotatis, déque ſuis conceptibus cum Antiſtite ſuo, quem nunquam prætermittebat, ſecundóque & tertiò cum Veſpaſiano Gribaldo Archiepiſcopo Viennenſi, Veſpaſiano Agacia Abbate Abundantiano, Ludouico Saleſio Patruele ſuo, Claudio Grandi, Nicolao Gottrio Doctoribus Theologis, ac Cathedralibus Canonicis, duobus ex Capucinorum miſſione Patribus, Thoma Bergera Equite Lazariano, Claudio Marinio fiſcali in Caballio Procuratore, pluribúſque aliis Theologis, ac verbi Diuini Concionatoribus, collatione habitâ, tandem has manu propria ſcriptas, ſignatáſque Conſtitutiones dedit. Præfectus & Sacerdotes Oratorij Beatæ Mariæ Compaſſionis Oppidi Tononenſis, omnibus & ſingulis feſtis ſolemnibus primæ Claſſis, ſinguliſque Beatę Marię Virginis integrum Diuinum officium Romani Breuiarij modulato cantu in choro perſoluant, incipientes ad Auroram à feſto omnium Sanctorum, ad Dominicam vſque Reſurrectionis, & ad horam quartam matutinam, à Dominica Reſurrectionis vſque ad feſtum omnium Sanctorum, reliquis verò diebus, quia quamplurimis paſtoralis muneris exercitiis fæpiſſimè diſtrahuntur, Tertiam dumtaxat, Sextam, Nonam, Miſſam, Veſperas, & Completorium, in choro cantẽt. Singulis primis diebus Lunæ cuiuſque menſis Miſſam vnam pro defunctis, quæ magnę Miſſæ diei locum habeat, ſecundùm Miſſalis rubricas cãtent. Dicatur Tertia hora octaua matutina, & conſequenter poſt horas Miſſa. Veſperæ hora tertia poſt meridiem, Completorium

Franciſcus leges dat Sacerdotibus ſanctæ Domui.

Cantus & diuina officia.

conſe-

consequenter: sed in Quadragesima Vesperę post magnam Missam, & Completorium, horâ quintâ post meridiem. Singulis diebus Sabbathi, per annum, & vigiliis Beatæ Mariæ, Litaniæ eiusdem Virginis ad Solis occasum decantentur. A Calendis Martij vsque ad Calendas Nouembris, diebus singulis horâ quartâ matutinâ dicatur vna Missa, à Calendis verò Nouembris vsque ad Calendas Martij horâ quintâ, ita tamen vt mediâ hyeme ad primam tantùm Auroram incipiatur. Secunda Missa horâ septimâ, tertia magna erit. Quarta, horâ sesqui nonâ aut decimâ. Nemini liceat, dum diuina peraguntur, aliter in choro quàm in habitu & tonsura comparere. Scilicet cum talari toga, quadrangulari pileolo, corona capitis quæ dignosci possit, & supparo ex tela alba, quod vnusquisque suis sumptibus habere tenebitur, qui aliter comparuerit censeatur absens. Decorem, munditiam, & vrbanitatem in vestibus vbique, sed in Ecclesia præsertim obseruent. Quicunque diebus solemnibus Matutinis non interfuerit, sex asses amittat. Missæ tres. Vesperis tres, diebus reliquis Tertiæ assem. Missæ duos, Vesperis duos, Completorio in Quadragesima vnum. Litaniis diebus sabbathi & Vigiliis Beatæ Mariæ duos. Quicunque ad celebrandas Missas assignatus, eas non celebrauerit, vel celebrari curauerit, pro vnaquaque, si parua sit, florenũ amittat, si magna viginti tres asses. Sexto quoque mense Depunctor eligatur, vel continuabitur, qui statim in omnium consessu iuramentum præstet, se fideliter & studiosè functurum officio absque personarum acceptione, præsentiam omnium illicò notando in libro, in hunc finem parato. Quandocunque vltimò ad Officium pulsatum fuerit, si quatuor in choro sint, cæteris minimè expectatis officium inchoent. Quicunque in fine saltem primi psalmi, & antequam incipiatur secundus, non adfuerit, vel qui vsque ad Officij finem non perseuerauerit, abesse cẽseatur. Quicunque in Missa initium Epistolæ non audierit, vel in ea benedictionem non expectauerit, vt absens habeatur. Verumtamen qui Pastorali munere detinebuntur, vel aliter necessaria agent, nec in choro adesse poterunt, vel si adsint, egrediendum fortè erit, dummodò de omnibus constet, ad esse censeantur. Omnes Ceremoniæ & Ritus in Ecclesia Cathedrali obseruari soliti, sed hi præcipuè obseruentur. Stent omnes detecto capite ab initio Officij quousque primus psalmus inceptus sit. Sed quotiescunque

Habitus.

Absentes vt puniantur.

Depunctor eligendus.

Ritus & Cerimoniæ.

dicetur Gloria Patri, vel, Gloria tibi Domine, vel, Deo Patri ſit gloria, vel, Sit nomen Domini benedictum in pſalmo Laudate pueri Dominum, vel, Pater noſter, vel, Abſolutiones in Matutinis, vel Preces, vel Magnificat, vel Nunc dimittis, vel Benedictiones ad Capitula, Reſponſoria parua, Orationes, & hymnos, tunc omnes ſtent detecti. Quotieſcunque incipietur pſalmus, omnes tantùm caput detegant, ſed qui incipit vel antiphonas, vel pſalmos, non modò caput detegat, ſed & ſtet: Nemini liceat dum celebratur Miſſa, cooperire, niſi dum cantatur Epiſtola. In Officio aſſignentur primi toni, tum antiphonarum, cùm pſalmorum iis qui debebunt incipere, vt rectè omnia fiant. De cęteris videndus eſt Rituum Cathedralis Eccleſię liber, & habeatur apographum. Præfectus, & eo abſente Plebanus (vt vocant) ſeu Curio, & iis abſentibus, Ordine receptionis, Senior celebret, diebus ſolemnibus primæ Claſſis, & feſtis Beatæ Mariæ, reliquis aſſignatus Sacerdos, quem Hebdomadarium appellant: exceptis tamen Miſſis, & Benedictionibus fontium Baptiſmalium in Vigiliis Paſchatis & Pentecoſtes, quæ ad Plebani officium ſpectant. Cæterùm omnes ordine, ipſe etiam Præfectus, pro Miſſis tam paruis quàm magnis in tabula deſcribantur. Magnæ Miſſæ Hebdomadarius Sacramentorum adminiſtrationis curam habeat, dummodò ab Epiſcopo, ſeu eius Vicario admiſſus fuerit. Præfectus tamen ab hac cura eximatur, ob negotiorum, quæ aliundè ſuperueniunt ei, multitudinem: Quare in ſua hebdomade Sacramentorum adminiſtratio per reliquos ſex Sacerdotes ordine fiat. Omnes in habitu Sacram Cõcionem audituri, & ordine receptionis, poſt Priorem & Plebanum ſuper ſcamnum ad id deſtinatum ſedeant. Singulis diebus Mercurij poſt Veſperas, cum habitu pariter in Sacrariũ conueniant, vbi Sancti Spiritus ope imploratâ: de regulis obſeruandis, de rebus tum Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, cum Oeconomicis & temporalibus, agant; A Secretis vnus, qui decreta & conſilia in Conuentu habita deſcribat, conſtituatur. Quandocunque quis ab his conuentibus abfuerit, tres aſſes amittat. Singulis diebus Lunæ, elapsâ poſt prandium horâ de caſibus Conſcientiæ, & Cerimoniis Eccleſiaſticis, ſemi horæ ſpatio conferant. Quandocunque quis ab his collationibus, niſi legitimam habeat cauſam, abfuerit, amittat aſſem. Omnes ſimul, & ex communi menſa cibum capiant; ſedeántque Religioſorum in morẽ,

Cõuentus.

Menſa.

ex-

ex vna tantùm parte,& vnicuique ſua portio detur.Inter veſcendum continua habeatur lectio,principio quidem ex hiſtoricis ſacræ ſcripturæ libris,ſpatio quadrantis horæ, reliquo tempore, ex pio aliquo libro,prout in conuentu videbitur. Benedictio menſæ,& gratiarum actio,poſt eam fiant, prout in fine Breuiariorum pro Clericis notatum eſt:idque ab eo qui magnam Miſſam celebrauerit. Diſcumbant pariter Seminarij adoleſcentes,& vnus ex iis legat. Vnus autem ex Sacerdotibus,cùm opus fuerit, malè legentes corrigat:fiátque lectio lentè & intelligibiliter.Poſt cibum adoleſcentes in locum ad recreationem (vti vocant deſtinatum) recedant,vt Sacerdotes ſimul relinquãt ſolos, qui ſanctè & Chriſtianè conuerſabuntur. Præfectus authoritatem & curam habeat, vt ſtatuta, leges & clericalis diſciplinà in Congregatione obſeruentur,& extrà.Corrigat,& admoneat delinquentes, qui ſi rebelles fuerint in Congregationem ab eodem vocati, votis captis aliqua ſalutari pœnitentiâ,aut etiam pecuniaria pœna,operibus piis applicanda, quæ tamen quinque florenorum ſummam non excedat,mulctentur. Si delinquens ita caſtigatus contumax perſeuerauerit,vel graue aliquod ſcelus perpetrauerit,Præfectus Superiorem Ordinarium totius rei certiorem reddat. In graui ſcandalo,& cùm de fuga timebitur, Præfectus,prout in congregatione deliberatum fuerit,donec ab Ordinario decretum venerit,incarcerandi ius habeat.Præfecto ægrotante,vel abſente, Ad Plebanum,& ſic ad Seniorem receptionis ordine,hæc corrigendi cura ſpectet. Idem Præfectus de iis, qui ad Diuina peragenda diebus ſolemnibus deſtinandi erunt, diſponat. Plebanus omnibus, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, incumbat. Chriſtianam inſtitutionem populo inter Miſſarum ſolemnia recitet, Catechiſmum omnibus & ſingulis diebus Dominicis,niſi æger,aut legitimè impeditus,docere teneatur. Aliàs Præfectus in Congregatione prouideat.Ideoque Plebanus, quãdocunque congruum iudicauerit, Sacramentorum adminiſtrationem exercere poſſit: nec vnquam rogatus recuſare. Sacriſta pueros miſſis inſeruientes doceat,& corrigat,vt rectè induantur, ritus obſeruent,ſintque modeſti, & aſſidui. Veſtium Sacrarum, ſupellectiliúmque omnium Eccleſiaſticarum indicem perſcribat, & quotanuis rationem reddat. Eccleſiam ſingulis diebus Sabbathi, & Lunæ decenter verri curet. Toto matutino tem-

Recreatio.

Correctio.

Præfectus.

Curio.

Sacriſta.

pore, vt celebrare volentibus promptus sit, suo in Sacrario resideat. Calices quater in anno lauet. Vestiaria ornamenta quater etiam ad Solem exponat. Secundo quoque mense mappas, singulis mensibus albas, secunda quoque hebdomada amictus, octauo quoque die purificaroria, dealbari curet. Congregatio constituat Ostiarium, qui parua toga cærulea induatur. Is antequam extraneis aperiat, Præfectum admoneat. Sacerdotes oratorij, dato salutationis Angelicę signo serotino, in domum se recipiant; nec nocte vagentur, exeántve, nisi necessitas vrgeat. Die cùm egredientur, Ostiario quò eant, dicant; vt si fortè postmodum ab aliquibus petantur, vbinam sint, docere possit. Sit vnicum in domo ostium, & vnica clauis, quæ die ab Ostiario seruetur, nocte à Præfecto. Nemini licitum sit nocte quemquam extraneum, nisi speciali cum venia retinere. Fœminæ omninò à Domo arceantur. Extranei Sacerdotes, qui in audiendis confessionibus, aliisve exercendis officiis laborauerint, velut domestici excipiantur. Præfecto reuerentiam & obedientiam deferant omnes. Is in Conuẽtibus habeat duo vota, Plebanus eo absente præsideat, habeátque tunc votum & dimidium voti, scilicet cùm par erit votorum numerus, ea pars vincat in quam inclinauerit. Reliqui omnes (etiam si eis aliquando contingat, vt præsideant) non nisi simplex votum habeant. Cùm opus fuerit, præter ordinem, conuenire, Præfectus conuentum cogat. Duo ex Congregatione constituantur Sacerdotes, qui erogandis ritè, & absque fraude stipibus inuigilent. Poterit vnusquisque triginta diebus, vel continuis vel discontinuis, à congregatione absque reprehensione abesse. Moneatur tamen antea Congregatio, ne plures simul abesse contingat; atque ita diuinus cultus minuatur. Alias si ex necessitate alicui exeundum sit, licentiam à Congregatione petat. Nemini liceat vltra tres menses, Beneficium aliud, quod residentiam requirat, possidere, nisi fortè ex causâ summus Pontifex dispensasset. Alioquin loco à Congregatione priuetur. Præter communem impensam Congregationis Præfectus sua pro mercede accipiat cẽntum aureos nummos. Plebanus centum ducatos. Sacrista trecentos florenos. Reliqui omnes ducentos quinquaginta florenos. Inter famulos, prout Congregatio viderit, quadraginta ducati distribuantur. Nemini liceat vigiliis festorum Beatæ Mariæ Virginis carnes in domo edere.

Ostiarius.

Fœmina arceantur.

Eleemosinarij.

Merces.

Ieiunium.

Vigilia

Vigilia autem Natiuitatis eiusdem, quippe cùm sit festum in Congregatione solemnius omnes omninò ieiunium obseruent. Præfecti errores ad Superiores ordinarios deferantur. Is à Congregatione eligatur; & vel Theologiæ, vel iurium Doctor esse debeat, ætatisque annorum triginta. Plebanus in Concursu, vt alij Curiones secundum statuta Concilij Tridentini eligatur. Sacerdotes tamen Congregationis cæteris paribus præferantur; eligantur hi à Congregatione. Examen subeant an ad Sacramentorum administrationem idonei sint. Constituatur Quæstor Generalis, qui rerum omnium, quæ ad Oeconomicam spectant, curam habeat. Is in Conuentu singulis sextis mensibus rationem reddat. Quod ad Gymnasium attinet, si Patres Societatis Iesu, vt ferè concluſum est, veniant, dabuntur eis velut pro mercede quadringenti aurei nummi. Sin minus habeantur quatuor scholarum moderatores, præter eum qui pueros docebit legere. Primo dentur pro mercede centum ducati: Secundo quingenti floreni. Tertio & quarto vnicuique quadringenti quinquaginta floreni. Adolescentes Seminarij cærulea talari toga induãtur. Atque hæ sunt præcipuæ leges, quas Sacerdotibus Sanctæ Domus Beatæ Mariæ Tononensis Præpositus, & Præfectus Sanctissimus, sapientissimúsque initio tulit quibus successu temporis, & experientiâ magistrâ alias addidit. His pendentibus, non erat immemor eorum, quæ ex commissione Apostolica, pro Gebennensi Diœcesi, agenda Romæ habebat Cardinalis Aldobrandinus. Quarto igitur Calendas Maij anni millesimi sexcentesimi, sic Roma ad Apostolicum Nuntium Barensem Archiepiscopum scripsit. Propositum à Præposito Ecclesiæ Gebennensis, ad mundandas Tononensium conscientias, vsuris illaqueatas remedium sanctissimo Domino nostro minimè displicuit. (Ait) Præpositus rectè futurum, si die vno vel pluribus solemnibus, quibus promulgarentur plenariæ indulgentiæ, cohortatione etiam compellerentur fideles omnes, vt sibi inuicem vsuras quascunque absoluto dono dimitterent, & huiusmodi dimissio postea ab Confessariis procuraretur. Non displicet inquam, Suæ Sanctitati remedium. Quamobrem dat tibi & concedit authoritatem, & facultatem omnimodam, vti tu illud applices. Credo autem his meis, & aliis, eiusdem Præpositi satisfactum iri desiderio, & ardenti iuuandarum animarum studio; eum sanè sua Beatitudo

Præfecti & Curionis electio.

Quæstor.

Scholæ.

Remedium pro vsuris à Francisco propositum. Pontifici gratum.

titudo valde laudauit. Vale, & diu viue. Ecce aliàs. Vidit Dominus noſter ex litteris Prępoſiti Gebennenſis neceſſitatem, quam eſſe (ait ille) vt complura apud Tononenſes, in quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu abſque diſpenſatione contracta matrimonia valida fiant. Sua Sanctitas in animarum illarum ſalutem pietatis ſuæ ſinum aperiens, quidquid petebatur conceſſit, harúmque mearum vigore tibi omnimodam impertitur facultatem, neceſſarias omnes in eam rem expeditiones faciendi. Viue & vale. Barenſis autem Archiepiſcopus ſic ad Franciſcum Saleſium. Epiſtolam illam, quam ad me ſcripſiſti de vſuris & matrimoniis, ad Sanctiſſimum Pontificem miſi; Ille conceſſit omnia, dátque mihi omnimodam in eas res facultatem, vt ex alligatis Cardinalis Aldobrandini litterarum apographis videbis. Eamdem autem ego facultatem tibi ſubdelegatam facio, ſperans te nihil quod rationi conſonum ſit prætermiſſurum. Vale Monte regio, decimo ſeptimo Calendas Iunij, milleſimo ſexcenteſimo. Saleſius igitur his acceptis, breui omnia (vt propoſuerat) ad animarum illarum vſuris illaqueatarum ſalutem perfecit. Interea de reſtituendis Caballianis & Terniacenſibus Eccleſiis ſeriò cogitatum eſt; ac poſtquam Apoſtolicas litteras exequutioni mandari, Supremus Sabaudiæ Senatus permiſit, Ducíſque Sereniſſimi priores & poſteriores ratas habuit. Edictum publicum in valuis Cathedralis Eccleſiæ Anicij, & ſancti Hippolyti ſeu B. Mariæ, affixit Granierius; quo ad Synodum Anicij celebrandam ad decimum tertium Calendas Maij, vocauit omnes, & ſingulos obtinentes, ſeu ius habentes in Beneficia quæcunque Caballiana, & Terniacenſia; ſiue Curionia, ſiue ſimplicia, ſiue ſæcularia, ſiue regularia: quorumuis Ordinum (etiamſi Abbatiæ, Prioratus, Præpoſituræ, & dignitates etiam præcipuæ eſſent, Adminiſtrationes, officia etiam clauſtralia) necnon membra, villas, decimas, primitias, cenſus, reditus, aliáve bona Eccleſiaſtica; vti ſcilicet, chartas ſuas, iura, titulos (vt aiunt) & inſtrumenta ſolemniter oſtenderent: alioquin vlterius, prout rationis ordo dictaret, procederetur. Ad indictam ergo diem primus omnium in Synodo comparuit ipſe Franciſcus Saleſius Eccleſiæ Cathedralis Præpoſitus, & Eccleſiarum ſancti Ioannis Baptiſtæ pagi Corſerienſis, eíque vnitæ Beatæ Mariæ Aneriarum Rector qui chartas ſuas exhibuit; ſequutus eſt Claudius Angeuillanus Eccleſiæ Collegiatæ

Nuntius Apoſtolicus Franciſcũ ſubdelegat.

Franciſcus animas vſuris illaqueatas liberat.

Edictum ad Synodum pro Caballis.

Franciſcus primus comparet.

legiatæ Rupensis Primicerius, ac Decanus Vullionensis, & perpetuus Commendatarius Rusticani Prioratus sancti Lupi pagi Douenensis Ordinis sancti Benedicti. Idem fecerunt, Franciscus Lornaius Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Virginis vrbis Anicensis Decanus, & Rector Parœcialis sancti Britij Confessoris pagi Theriacensis, Franciscus Torentius Prior Ecclesiæ sancti Petri pagi Draillantini Ordinis sancti Benedicti. Michaël Eschallonius Rector Parœcialium Ecclesiarum vnitarum sancti Martini Confessoris pagi Collongensis sub monte Salleuio, & sancti Mamerci Confessoris pagi Erchantini. Petrus Mugnerius Rector Ecclesiæ Parœcialis Vici Saniulianensis, & Franciscus Boriallianus Rector Parœcialis Ecclesiæ sancti Stephani Martyris pagi Bellimontis. Cùm nemo alius comparuisset, Granierius, Salesius, Chissæus, Angeuillanus, & alij, Calendis Iulij ad Tononense oppidum accesserunt, statímque adfuit Carolus Rupeculanus, Sereniſſimo Duci à sanctioribus Consiliis, & in Supremo Sabaudiæ Senatu primarius Præses. Iam de rebus omnibus optimè tractatum erat, feréque dabatur conclusio, cùm improuisò Henricus quartus Francorum Rex, Sabaudiam inuasit, nec mora Geneuates ad vsurpandos Caballianum & Terniacensem agros, conscripto milite, ei tulerunt auxilium. Granierius Tonono rediit Anicium, quia Rex tertio Nonas Octobris vēturus erat, mittítque protinus Salesium Gratianopolim ad Henricum Sabaudum Nemorosij, & Gebennēsij Ducē; vt ab eo commendatitias ad Regem litteras, ne scilicet Sua Maiestas Ministros hæreticos sineret redire in Caballium, obtineret; functus est optimè legatione sua Salesius, & cùm rediisset, essetque Rex Anicij, Granierius exhibitis quæ tanto Regi debebantur, officiis, demùm libellum supplicem, cui componendo Salesius laborarat; vt nihil eorum, quæ pro fide Catholica in Caballio & Terniaco tam fœliciter gesta erant, immutaretur: Rex optimi Præsulis canos veneratus, quidquid petitum fuerat, hilari vultu concessit: & ob amorem Dei (inquit) ob summi Pontificis sanctitatem, & tui gratiā, & Antistites, qui tuum semper munus & officium optimè exercuisti, nihil contra ea, quæ in Caballio pro fide gesta sunt, noui fiet: & ego sanguinis mei periculum tibi polliceor. Ad hęc regia prorsus verba Granierius resumpsit animum. Postquam tamen Rex processisset, ecce Caballio nuntium allatum est, Monglanum

Franciscus cum Granierio Tononium proficiscitur.

Henricus quartus Galliæ Rex Sabaudiā occupat.

Franciscus Gratianopolim mittitur.

Regia verba Granierio.

Dynastam, quem Caballij Toparcham Rex constituerat, virum hæreticum Geneuatum furfurris incitatum, Beneficiorum omnium Ecclesiasticorum, Lazarianæ militiæ vnitorum reditus, tanquam ad ipsum Serenissimum Ducem spectantes, Regiis rationibus coniunxisse; iis malis opportunum subitúmque remedium adhibendum erat. Alius nemo quàm Salesius negotium hoc aggredi poterat idoneè, tum, vt cum viro Gallo, qua valebat morum experientia & suauitate, loqueretur; cùm vt attonitos nouos Catholicos consolatione reficeret, & dispersos huc & illuc Curiones reuocaret. Itaque in Caballium profecturus, Anicio egreditur: iam bis millè ferè passus confecerat, cum militum copiis vndequaque se circumcinctum videt, ij opimam prædam ex nobilissima specie arbitrantes, iure bellico captiuum denunciatum ad Vitriacum duxerunt. Sed eo viso Vitriacus captiuum potius sui se captiui professus est, obtulítque ei omne officiorum genus, non fuit tam extra rem hæc occasio, nam potens erat in Regis gratiis Vitriacus, quippe militum Suæ Maiestatis Custodum Præfectus, Agri & Ciuitatis Meldensis Gubernator, necnon vtriusque torquis Eques. Salesius voluisse Regem (ait) Curiones, & Ecclesiasticos homines omnes, ac præcipuè in agris Caballiano & Terniacensi saluos esse; nec quidquàm immutari. Accepisse se verò Monglanum Satrapam Ecclesiasticorum reditus feciisse Regios, ac propterea ab Episcopo, qui Regis mentem habebat, in Caballium missum, vt Monglanum rogaret, ne in Ecclesiarum & animarum detrimentum Beneficia aliis cederent, quàm Curionibus. Vitriacus laudauit consilium, daturúmque se Commendatitias ad Monglanum litteras, promisit. Montemmelianum per hæc tempora Rex obsidione cinxerat, aderátque Camberij. Vitriacus Salesium Regi gratum fore arbitratus; vellétne (inquit) vti eum suæ Maiestati præsentaret? Futurum enim vt ab Rege minimè rediret vacuus, Salesius oblati officij gratias egit, respondítque in hæc verba: Quod aliàs ingenti me honore afficeret, nunc verteretur in dedecus & vituperium, cùm legitimi mei & naturalibus Principis, tantus Rex sit hostis, qui tamen ambo (Deo dãte) aduersum animum deponent: adeò in Francisco virtutes omnes cohærebant: Vitriacus non potuit quin captiui sui prudentiam, eminentémque tẽperantiam, cuius quiuis aliùs vanitate ductus oblitus fuisset, valde extulerit; tum dimisit.

Franciscus in Caballium redit.

Franciscus Captiuus ad Vitriacum ducitur.

Franciscum laudat & amat Vitriacus.

Franciscus renuit videre Regẽ.

dimisit eum, fortunæ officium debere se professus, quod viri tantis decorati virtutibus cognitionem sibi dedisset. Perrexit igitur Salesius in Caballium, rectáque in Allingianam arcem, quam Monglanus implebat, ascendit. Monglanus tum ex Episcopi, cùm Vitriaci litteris de Salesij Nobilitate, egregiisque virtutibus certior factus, serenum se illi exhibuit: rationum momenta, & Regis voluntatem non audiuit modò, verùm etiam quamuis Hæreticus laudauit, atque adeò Salesius ab eo vindicias eorum omnium Ecclesiasticorum redituum, quos occupauerat, obtinuit. Plus egit, námque vt Curiones Caballianos, & Ecclesiasticos omnes in suam specialem protectionem reciperet, curauit; effecítque, vt Hæreticum militum Ministri coram suis dumtaxat copiis concionaretur, nec vlla nouæ religionis dogmata in populum seminarent. His in arce actis, descendit ad populos, quos assiduis cohortationibus recreauit, Curionum animos erexit, absentes reuocauit, spem indidit. Tononenses præsertim Sacerdotes; qui, vt in initiis solet, titubabant; confirmauit: demúmque omnibus omninò mirabilis Anicium ab Episcopo vocatus reuersus est. Ibi octauo Calendas Nouembris Caballianæ restitutionis operi vltima manus apposita est. Primò quidem omnia beneficia Ecclesiastica, cum animarum cura, vel sine cura; sæcularia & quorumuis ordinum regularia Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, portiones, officia, curionia, clausträlia, & electiua, hospitalia, xenodochia, & alia quæcunque religiosa loca, eorúmque membra, villæ, possessiones, & prædia, in quibus nullus Ecclesiasticus cultus, sęcularis, vel regularis, seu hospitalitas, ante obtentas litteras Apostolicas, vnionis eorumdem Mauritianæ & Lazarianæ militiæ exercebatur; nec tunc, saltem quoad Parœciales Ecclesias, restitui poterat. Quæque nulli canonicè collata, aut commendata seu commissa, nec in Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, aut aliorum piorum locorum tunc vigentium, extra eos agros existentium, commodum & fauorem vnita essent, nec ab Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Conuentibus, Hospitalibus, extra existentibus, veluti vnita aut membra dependerent; quæ omnia salua & illæsa Pontifex Gregorius restare voluerat, nomine, titulo, denominatione, ordine, statu, & essentia etiam regulis, prout fuerant perpetuò suppressis & extinctis cum suis Ecclesiis, domibus, bonis,

Franciscus vindicias obtinet.

Curionibus animũ dat & absentes reuocat.

Restitutio Caballianarum Ecclesiarum.

Iuriſdictionibus, iuribus, fructibus, cenſibus, & actionibus omnibus, & quibuſcunque Lazarianæ Militię, donec Veragri & Terniacenſes veritatis lumen (commiſerante Domino) recepiſſent vnita & annexa fuerant diſſoluta, reuocata, & reſciſſa ſunt. Secundò Mauritianos & Lazarianos Equites ex eorum Beneficiorum diſſolutorum fructibus, reditibus, aut prouentibus generaliter, aut peculiariter ab Eccleſiarum Rectoribus, nihil vnquam petere, aut prætendere; ſeu litem & cauſam quomodolibet mouere poſſe, authoritate Apoſtolica decretum eſt, ac perpetuum illis impoſitum ſilentium: perinde ac ſi vnio & annexio eis, ſeu eorum Militię, facta non fuiſſet. Tertiò viſis viſitationum Epiſcopalium codicibus, auditiſque Paſtoribus, & eorum Vicariis, quibus ab aliquot iam annis nonnullarum Paroeciarum cura demandata fuerat: triginta quinque Paroeciales Eccleſiæ reſtitutæ ſunt, erectæ, & inſtitutæ. Tononi ſcilicet, Armoij; Bellæualli, Lullini, V Valliaci, Drallianti, Allingiis, Perrigniaci, Seruenti, Feſſiaci, Brentonç, Bõti, Brenti, Machilliaci, Sanciricij, Vegiaci, Douẽni, Loiſini, Balleſoni, Maſſongiaci, Serij, Margencelli, Eſcheueneſij, Meſſeriaci, Hermantiæ, Corſerij, Collongii, ſub monte Salleuio, Belmonti, Verſi, Cheneſij, Viriaci, Fegeriis, Theriaci, Saniuliani, & Berneſij. Verùm cùm multæ aliæ eſſent Eccleſiæ, quæ nullas haberent Sacerdotales domos, & carerent reditibus, eas triginta quinque deſignatis, donec aliter diſponeretur, inpræſentiarum vnire neceſſarium viſum fuit. Eccleſiæ igitur Tononenſi vnitæ ſunt Marclana Tulliacenſis & Conciſana, Armoënſi, Reuroenſis & Aiana. Dralliantinæ Orſerienſis. Allingianæ Meuingenſis. Perrigniacenſi Bracorentina; Feſſiacenſi Lullerienſis. Brentonianæ Vigniacenſis, & Auulliacenſis. Bontinæ Sandeſideriana, & Saſſellenſis. Sanciricianæ Iuniperiana & Buringiana. Sierienſi Chauanenſis, & Filliacenſis, Margencellenſi Anthiacenſis. Eſcheuenienſi Aquariana: Meſſeriacenſi Narniacenſis. Hermantianæ Cuſiacenſis. Corſerienſi Aneriana; Lugriniana verò ſemper in fide Catholica perſeuerauit. Stramberianæ, quæ nunquam defecit, Veriacenſis ſub monte Salleuio: Viriacenſi Sanmauritiana, Humilliacenſis, Exertetenſis, & Magliniana: Compeſerianæ Bardoneſienſis, & Berneſienſi, Configonenſis, & Lullerienſis: ita vt hæ vnitæ Eccleſiæ, ſint filiolæ illarum Matricum, eodémque iure & priuilegio vtantur, potiantur,

Beneficia Mauritiana Militiæ vnita diſſoluuntur.

Paroeciales Eccleſia triginta quinque.

Eccleſiæ vnitæ.

&

& gaudeant:etiam quoad sepulturas Christi fidelium, Sacratissimæ Eucharistiæ, pro infirmis asseruationem, ac sacri olei & collocationem fontium baptismalium, necnon administrationem, & receptionem Sacramentorum; prout decentiùs & commodiùs fieri poterit.Cæterùm quia in plerisque Ecclesiis sic restitutis, erectis, & vnitis vnus solus Rector deseruire rectè nequit;ideò multis Vicarius,seu Adiutor adiunctus est,& constitutus:scilicet in Ecclesia Bellæuallensi vnus,tum propter Parœciæ amplitudinem,quæ longitudinis est quinque milliarium, tũ quia ibi olim erant tres Monachi;Monasterij Athenæensis, Ciuitatis Lugdunensis, qui Curionem in Missarum, aliorúmque diuinorũ Officiorum celebratione ac administratione Sacramẽtorum adiuuabant. In Ecclesia Dralliantina vnus, quia ab ea Orserienſis mille & quingentis passibus distat. In Ecclesia Fessiacensi vnus quia ob Lulierienſem multos pagos habet. In Ecclesia Bontina vnus quia Sassellensis in altissimo monte sita est & ab ea mille & quingentis passibus distat. In Ecclesia Sanciriciana vnus, quia Iuniperiana & Buringiana vnaquæque à Matrice milliari distat. In Ecclesia Douennensi vnus tum quia pagus in medio Caballianæ planitiei, & in via publica ab oppido Tononi Genevam tendente situs admodum celebris est, & ad quem ex aliis pagis populi negotiationis causâ quotidie concurrunt:tum etiam quia perpetuus Commendatarius Prioratus rusticani in eadem Ecclesia fundati Sacerdotem sæcularem qui vnà cum Curione inseruiret propriis sumptibus alere solebat. In Ecclesia Sierienſi vnus eo quod parœciam habeat amplissimam ad duo milliaria extensam,tum quia solus Curio ad filiolas duas Chanaueſienſem & Filliacenſem populosissimas sufficere nequit, quarum vltima in qua olim Monasterium erat,proprium Rectorem si facultates suppeterent habere deberet.In Ecclesia Hermantiana vnus,tum quia matrix in oppido sita est ad littus Lemanni lacus in quo est famosissimus portus,tum quia filiola Cusiacensis plusquam mille passibus distat. In Ecclesia Corserienſi vnus.Quia quamuis ab ea Aneriana non multum distet,nihilominus Matrix vicinior est parœciis ab Genevatibus occupatis,in quibus plerique sunt Catholici quos Rector commodius visitabit si Adiutorem habeat. In Ecclesia Collongiana vnus, tum quia Rector antiquitus Adiutorem habebat,tum quia Parœciarum fines (Erchantina iuncta)

Vicarij seu Adiutores constituti.

duobus milliaribus diſtant. In Eccleſia Viriacenſi tres, tum quia ipſe pagus celebris eſt, itémque Leluiſetinus, tũ quia olim Viriaci erat ſæcularis Eccleſia decem Canonicorũ. In Eccleſia Saniulianenſi vnus, quia in eo vico Prætor Terniacenſis tribunal erectũ habet. In Eccleſia Berneſienſi vnus, quia etſi pagi non procul diſtent, nihilominus multùm incoluntur & in iis Gebennenſes quamplures Ciues domos & villas habent. Poſthæc ad aſſignationem dotum & portionum congruarum accuratiſſimè proceſſum eſt. In Eccleſia Armoënſi nihil innouatum. Eccleſiæ Bellæuallenſi centum & viginti áurei nummi Italici dati ſunt. Eccleſię Lullinenſi ſexaginta. Dralliantinæ centum & viginti. Allingianę centum & triginta. Perrigniacenſi octoginta. Seruentinæ ſexaginta. Feſſiacenſi centum & viginti. Brentonianæ Octoginta. Bontinæ centum & quinquaginta. Brentinę ſeptuaginta. Machilliacenſi ſexaginta. Sãciricianæ centum & triginta. Vegiacenſi octoginta. Douennenſi centum & quinquaginta. Loiſinianæ octoginta. Balleſonenſi ſeptuaginta quinque. Maſſongiacenſi ſeptuaginta. Sierienſi centum & quinquaginta. Margencellenſi ſexaginta. Eſcheueneſienſi ſeptuaginta. Meſſeriacenſi ſeptuaginta. Hermantianæ centum & quadraginta. Corſerienſi centum & quinquaginta. Veriacenſi viginti. Collongianæ centum & viginti. Belmontanæ ſexaginta. Cheneſienſi triginta. Theriacenſi centum. Saniulianenſi centum & triginta. Compeſerianæ centum. Berneſienſi centum & triginta, & ſic de reliquis. De Tononenſi verò longè aliter diſpoſitum eſt, tum quoad Sacerdotes, tum quoad reditus & portiones: ſtatutum eſt præterea vt in Eccleſiis Armoënſi, Bellæuallẽſi, Dralliantina, Allingiana, Feſſiacenſi, Bontina, Sanciriciana, Douennenſi, Sierienſi, Hermantiana, Corſerienſi, Collongiana, Viriacenſi, Saniulianenſi, & Berneſienſi, ſingulis diebus vna parua; Dominicis verò & feſtis diebus in matrice vna magna, & in vna filiolarum vna parua; in reliquis autem, Dominicis & aliis feſtis diebus vna; & intra hebdomadem tres paruæ Miſſæ celebrentur. Ac vt diuina officia, Rectoribus abſentibus ſeu impeditis aut infirmis; ſine defectu aut excuſatione commodiùs peragerentur; tres ſimul vel plures Eccleſiæ, non tanquam ab inuicem dependentes, ſed vt peculiariter, & tanquam Sorores inter ſe fœderatæ, & vt dici ſolet, conuocatæ, deſignatæ ſunt: & earum Rectores alter alterius, tanquam

Portiones congruæ aſſignatæ.

Curionũ obligationes.

Eccleſiæ foederatæ.

Adiu

Adiutores,ita vt in ſolemnitatibus Patroni, & dedicationis in ſepulturis,& exequiis defunctorum conueniant, ſicque alter alterius onera portando,in charitate Dei legem adimpleant, ſcilicet in agro Caballiano Eccleſiæ Tononenſis,Armoënſis,Allingiana, & Margencellenſis. Bellæuallenſis,Lullinenſis,V Valliacenſis,& Reuroënſis. Dralliantina, Seruentina, & Perrigniacenſis. Feſſiacenſis, Brentoniana & Bontina, Brentina, Machilliacenſis, & Sanciriciana,Douenẽſis,Loiſinenſis,& Maſſongiacenſis.Sierienſis,Eſcheueneſienſis,& Meſſeriacenſis.Hermantiana,Vegiacenſis & Corſerienſis. In agro Terniacenſi. Eccleſiæ Collongiana, Belmontana,& Prizilliacenſis, Verſenſis,Fegeriana,Cheueſienſis & Viriacenſis. Theriacenſis, Saniulianenſis Compeſeriana & Berneſienſis. Poſtremò conſtituti ſunt poſt examen, in ſingulis ſic deſignatis, Curiones & Rectores, inter quos Ludouicus Saleſius Franciſci ſocius & Adiutor Tononenſem habuit, Ioannes Neyretus Dralliantinam.Petrus Mõjonerius Allingianam. Ioannes Ludouicus Fagianus Perrigniacenſem. Philippus Aurillio Seruentinam.Claudius Cheuallerius Feſſiacenſem.Michaël Mõtanus Brentonianam. Ioannes Mangerius Bontinam. Carolus Gontherius Brentinam.Bernardus Monjonerius, Machilliacenſem. Franciſcus Tabuiſius Sanciricianam. Claudius Grandis Douennenſem. Stephanus Dunantius Maſſongiacenſem. ſem. Claudius Blonnayus Sierienſem.Theodorus Varuffius Corſerienſem. Michaël Eſchallonius Collongianam.Franciſcus Borjallius,Belmontanam. Franciſcus Lornaius Theriacenſem;Claudius Mollerius Berneſienſem. Machetus Saniulianenſem. Operator Veriacenſem cum Stramberiana. Bochutus Hermantianam.Cornutus Margencellenſem & Randolletus Vegiacenſem. Demùm ne Abbates Abundantianus, Alpenſis & Athenæenſis. Priores Douenẽſis & Dralliantinus,& Præpoſitus Montis-Iouis, ex congruarum portionum aſſignatione ſuper decimis nonnullis,quas hactenus percipiebant, nimium paterentur detrimentũ, ipſos & eorum quemlibet vigore conſtitutionis Pij Papæ quinti in eiſdem Paroecialibus, dum poſthac vacabunt, poſſe idoneos Sacerdotes, iuxta formam Concilij Tridentini in Concurſu ſolemni Epiſcopo Gebennenſi aut eius Vicario Generali, præſentare & nominare: decretum eſt & declaratum; nempe Abbatem Abundantianum in Eccleſia Hermantiana,Abbatem Alpium in Eccle-

Curiones conſtituti.

Abbatũ & Priorum iura.

Eccleſiis Sanciriciana, Iuniperiana Buringiana, Perrigniacenſi, Bracorentina, Feſſiacenſi & Lullerienſi. Abbatem Athenæenſem, in Eccleſiis Bellæuallenſi & Lullinenſi. Priorem Douenenſem in Eccleſiis eiuſdem loci, Loiſinenſi, & Meſſeriacenſi. Priorem Dralliantinum in Eccleſia eiuſdem loci, & Præpoſitum Montis-Iouis in Eccleſiis Allingiana, Meuingenſi, & Brentoniana. Hæc fuit Caballianæ conuerſionis & reſtitutionis ſeries, hoc maximum opus Franciſci Saleſij Præpoſiti Gebennenſis laboribus, ſtudio, vigiliis, peregrinationibus, Concionibus, priuatis colloquiis, Epiſtolis, conſiliis, induſtriæ, ſanctitati, ſollicitudini, & perſeuerantiæ omninò debitum, vt titulis omnibus Veragrorum & Terniacenſium Reſtitutor, Reparator & Apoſtolus appellari mereatur.

Franciſcus verè Caballij Apoſtolus.



DE

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER QVINTVS.

ABEVNTE sæculo decimo sexto hæc fiebant Tononi & Anicij, & conciliandis magnis Principibus Henrico quarto Francorum Regi, & Carolo Emanueli Allobrogum Duci, Cardinalis Aldobrandinus Sedis Apostolicę Legatus à latere incumbebat, prout tãdem decimo septimo ineunte sæculo firmum Lugduni fœdus percussum est, quo Sebusiani, Bugicienses, Val-Romæenses & Gexenses qui inter Rhodanum & Ararim degunt adiuncti sunt Franciæ, Salutiani verò Allobrogibus. Recreauit bonos omnes pax illa optima, quæ regios animos indissolubilibus coniunxit nodis: Sed Franciscum nouus dolor & quidem magnus iuccessit. Dum agit Anicij, ecce nuntium venit Dynastam Boësiacum Salesium acerrimis conflictatum doloribus ad mortem decumbere, datæque sunt vnà litteræ quibus ad se parens optimus charissimum filium suum Franciscum, Gebennensem Præpositum & electum aduocabat. Moras nullas traxit Franciscus, sed con citato equo rectà Salesium profectus est. Quanta perfusus fuerit consolatione Natum intuens & alloquens Bonus senex vix dici potest: nam non tantùm vt prolem suam agnoscebat, sed vt Patrem venerabatur, tum ob Sacerdotij dignitatem, cùm propter ingentes quibus eum micare videbat virtutes; Recogitauit apud eum omnes annos suos, in amaritudine animæ suæ, Generali vt vocant peccatorum suorum confessione præuiâ, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum eius sumpsit manibus, & ad æternita-

Pax inter Regem & Ducem.

Franciscus ægrum Patrem inuisit.

tis quam fide videbat viam salutifera documenta recepit. Primogeniti sui, quo se térque quatérque beatum aiebat, satiari non poterat sanctissimis alloquiis: verumtamen instante Quadragesimali tempore iis priuatus est, quia Præpositus ad Conciones sacras fide se iampridem expoſcẽtibus Anicienſis Ciuitatis Cõsulibus obstrinxerat; reliquit igitur caduciſſimum Patrẽ, quem tamen adhuc visurum Paschalia coniecturis Medici asserebant, & Anicium Hilariorum die rediit. Luce posterâ in Diui Dominici æde, Concione de more celeberrima quadragenarij ieiunij dies inchoauit, tamque potenti perrexit virtute in extirpandis vitiis, plantandísque Christianis virtutibus, tantâ verborum agebat efficaciâ, vt nunquam sic loquutum hominem illi dicerent, isti nũquam se anteà horridius vitiorum concepisse deformitatem & pulchritudinem virtutum. Accedebant quotidie ad sanctissimũ Concionatorem qui odia, & inimicitias ponerent, ablata restituerent, iniqua fœnora renuntiarent, & euadebat bene institutæ religiosæ familiæ similis Ciuitas. Cum ecce Nonis Aprilis suscitati à Christo Domino quatriduani Lazari miraculum annunciaro, ascendentíque in pulpitum, imprudens tabellarius vixisse Patrem renuntiauit. Conturbasset quemuis alium simile nuntium, at Franciscus proiectis in cœlum oculis viuentem Deum adorauit, elatúsque in sublime sic perfecit sermonem suum, vt neminis in cogitationem venire potuerit attonitum ipsum esse; tum acto Epilogo, his Populum verbis ad rem protinus mutatis rogauit. Dum venirem ad vos obiisse eum intellexi cui maximè debeo, duo à vobis peto. Primum, veniam vt concedatis mihi ad vnum aut alterum diem quò parentare queam ei. Secundum, vt pias ad Deum preces fundere pro animæ eiusdem requie dignemini. His dictis cohibere non potuit impetum lachrymarum. Properauit igitur Salesium cum Patribus Dominicanis Anicienſibus qui Crucem suam & funebria ornamenta bombycina vt ab anno iam millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo tenentur, detulerunt. Aduentatus defuncti corpus lachrymis suis lauit deoscúlando, tum fusis iterum precibus animam Deo commendauit & instruxit funus. Præcedebat Crux vna, duobus cum acolythis accensos cereos deferentibus; veniebat deinde pauperum vestes & calceamenta donatorum facésque symbolicâ Gentis tesserâ insignitas gestantium longus ordo, tum Dominicani Patres,

Franciscus Anicij Quadragesimam concionibus peragit.

Francisco nuntiatur vixisse Patrem.

Franciscus iusta funebria Patri persoluit.

tres, & post eos, Sacerdotes in Paroeciali Ecclesia sacri Gebennensium Canonicorum Collegij Vicarij, lugubriter cantantes, quos sequebantur Dynastici Muneris administri, tum Serui domestici & liberti. Corpus amplo heteromallo quod Nobiles quatuor viri è quatuor angulis sustinebant sublime, opertũ, tectúmque spectantes omnes ad lachrymas prouocabat. Incedebat sociatus stipatúsque suis fratribus patruelibus, cæterísque consanguineis & affinibus, qui omnes pullati erant demissis oculis Franciscus. Claudebant ordinem Fœminæ implentes querelis & gemitibus vias; ac tandem in Paroecialem Torentini Vici Diuo Mauritio sacram Ædem peruẽtum est. Sandapila in medio chori reposita. Ecclesiastico solemni ritu persolutæ exequiæ nullo prætermisso officio, corpus in Antiquo Maiorum tumulo sub prægrandi marmore quieti datum est. Sed & Dynastam Nobilissimum, tanti viri qualis Franciscus Salesius fuit Patrem notiorem orbi reddere fuerit operæpretium. Ille ex Claudia Charansonaia Illustri admodum fœmina Ioanni Dynastæ Salesio natus anno decimi sexti sæculi vigesimo secundo litteris tinctus humanioribus Illustrissimo Principi Francisco Luceburgensi Marticiarum Vicecomiti Ephebus datus, cum luculento commeatu dimissus est: transiens deinde ad equestres Stempensis Ducis pro Christianissimo Francorum Rege Copias, & in iis præcipua adeptus munera, multum ense prævaluit, & eximia suæ bellicæ virtutis tum in Francia cùm apud Belgas in obsidionibus præsertim Landreciaca & Sandesideriana, exhibuit specimina; inter Nobiles postea Nemorosij Ducis ab ipso Principe ascitus Regiã Gallici Monarchæ aulam sapientissimè fœlicissiméque incoluit. Variis legationibus optimè functus in Patriam redux ac vxore ductâ Principum meruit esse & Consiliarius & Arbiter, sexagesimo quinto sæculi anno Nobilibus Gebennesianis, quos Anicium Iacobus, Sabaudus Dux Nemorosius conuocarat, cum laude præfuit, résque dissoluit intricatissimas. Anicienſem Ciuitatem ab incendio & strage, offensas Raconisij Comitis Sallienses copias pacans ac placans, solertissimè liberauit, ac tandem liberis fortunatissimus annísque grauis in Salesiano suo Castro ac prædio nobili salutare quæsiuit otium. Vir erat solidissimi iudicij, subtilissimique ingenij, in rebus arduis profundæ cogitationis & animi constantissimi, ab omni inani fastu alienus; in sermone & victu

Francisci Toparcha Salesij Boẽsiaci Elogium.

temperantiſſimus. Cæterùm ad delicias facundus & elegans, in ſe ſatis parcus, in alios munificentiſſimus, Subditis & clientibus æquiſſimus, pauperum ærumnas abundè ſuis opibus ſubleuabat. Ab omni hæreſi tanquam à peſte fugiens & dicere ſolitus, nunquam ſe religionem illam amplexaturum quam naſcentem vidiſſet, de Caluiniana autem loquebatur, quâ duodecim annis ſenior erat. Singulis menſibus & amplius ad Pœnitentiæ & Euchariſtiæ accedebat Sacramenta, & in extrema ſua valetudine ter Angelorum pane refectus eſt. Cúmque ſe moribundum ſentiret, liberos ſuos qui tunc aderant, Patriarcharum antiquorum in morem coram ſe conuocauit, vnicuíque ſalutaria præcepta dedit. Franciſcum Gebennenſem Præpoſitum & Electum vt velut Patrem venerarentur, eíque in omnibus obtemperarent diſertiſſimè iuſſit; tum ſingulis benedictione datâ, relictáque ampliſſimæ familiæ curâ dilectiſſimæ Coniugi Franciſcæ Sionnaſiæ, condito teſtamento, extrema vnctione bis ſuſcepta, iunctis manibus crucifixum tenens, eleuatíſque in cœlum oculis Amedeo Bouardo Sacerdote Tulliano, & Curionis vices gerente perpetuis intento precibus ſuauiſſimè ſpiritum Deo reddidit, annos natus ſeptuaginta octo. Et talis decebat vt eſſet Beato Franciſco Pater, qui ſicut piiſſimè vitam duxerat, ita clauſit ſanctiſſimè. Celebratis funeralibus ad Diem Dominicam Franciſcus Anicium rediit fœlicitérque & ampla cum animarum meſſe Quadrageſimam & Paſchalia feſta ſuperauit. Vix reſpirabat cùm è Caballio relatum eſt Geneuenſes Ciues in Dralliantinos & Armoënſes irruiſſe in eorúmque pagis collocaſſe Miniſtros vnum autem Iacobum Cuſinum qui amplexatam recens Catholicam fidem ab ipſis euelleret hæreticámque reſtitueret prauitatem, indignatus Saleſius tantæ perfidiæ & temeritatis non diſtulit Allingios proficiſci, ibíque à Brottyaco, quem Caballianæ legionis & Arcis Præfectum Dux Sereniſſimus ab reſtituta ſibi Sabaudia conſtituerat ſelectorum militum manipulum vi vtendum ratus, cùm nihil fœdera, vel data toties fides iam valerent obtinuit: egit ipſe Ducem pro Chriſto, & quos rationum momentis quantumuis validiſſimis, & lenitate quâ pollebat ad cicurandos efferatos animos flectere nequiuiſſet, duriores ſaxis Miniſtros minis & præſenti ferro abegit procul ab iis Eccleſiis, Geneuámque trepidos profligauit, Curiones reuocauit, non eos tantùm Armoënſes, ſed & quam

Franciſcus Anicium redit ad Concliones.

Franciſcus Geneuenſes Miniſtros profligat Caballio.

& quamplures alios Caballij incolas variis concionibus confirmauit. In Ciuitatem redux nouum mox & glorioſum opus aggreſſus eſt. Gexenſes populi ſunt qui eum tractum incolunt, cui Vallenſis ager ab Oriente, Lemanus Lacus, & qui ab eo emergit Rhodanus à Meridie, Cluſenſis ſaltus & Michallia ab Occidente, & Sanclaudiani Montes ſeu Iura à Septentriones fines ſunt. In triginta ſeptem Parœcias olim diſtincti, ſcilicet Diuonienſem, Grilliacenſem, Gexenſem, Vergineren ſem, Verſouianam, Prigninianam, Sacconaienſem, Verneyẽſem, Meirinianam, Matigninianam, Pratouinicienſem, Ferneſienſem, Moyntianã, Collyanam, Ornayanam, Boſſiacenſem, Ceſſiacenſem. Togninianam, Cheuryacenſem, Croſetinam, Polliacenſem, Sergiacenſem, Thoiriacenſem, Alamognianam, Gouuillianam, Maluaſianam, Peſſyacenſem, Penæanam, Bordignianam, Satigniacenſem, Roſſinianam, Dardagniacenſem, Chaleſienſem, Peronianam, Grigniacenſem, Aſſerentinam, Fargianam, & Collongianam. Præter Prioratus quatuor ſancti Ioannis extra muros Ciuitatis Gebennenſis, Aſſerentinum, Diuonienſem & Ceſſiacenſem. Eorum populorum ager longè ſatis latéque porrectus eodem tempore quo Caballium cum ſcilicet Rex Franciſcus in Sabaudiam irruit, à Bernatibus eſt occupatus, ac poſtmodum Emanueli Philiberto Duci, iis tamen conditionibus reſtitutus, vt nonnullus in eo religionis Catholicæ cultus reſtauraretur. Poſt aliquot deinde annos fracto Bernates fœdere in eumdem rurſus agrum irruerunt, at breui ſuæ perfidiæ dederunt pœnas; nam Sereniſſimus Carolus Emanuel valido conflato exercitu cæſos eos ac fugatos procul expulit à continente, & religionem Catholicam diu exulantem reſtituit. Verùm (quæ rerum eſt viciſſitudo) elapſis paucis annis eumdem tractum Geneuates Francicis niſi & tuti armis occuparunt, & quidquid religionis Catholicæ ſtatutum fuerat ſubuerterunt. Iſque fuit eius Ditionis Gexenſis ſtatus donec Lugdunenſi fœdere pars facta eſt Regni Francogallici. Apoſtolicus vir Saleſius pari donandos munere Gexenſes quo Caballianos ditauerat, ſanctè de more ratus, rogatis in conuentum Ordinis Eccleſiaſtici Proceribus, conſilia ſua explicuit. Hi rem ſuis votis amplexati quia non ipſe Rex duntaxat Chriſtianiſſimus, ſed etiam qui ei ſunt ab intimis & ſanctioribus Conſiliis Magnates alloquendi erant, Franciſcum

Gexenſis agri deſcriptio.

Gexenſis ager à bernatibus deinde à Geneuatibus occupatus.

Saleſium protinus ad Regem Oratorem allegauerunt, & non diſtulit Saleſius profectionem captis quibus fidem faceret, tum ab Epiſcopo Granierio cùm ſacro Canonicorum Cathedralium Collegio, reliquóque Clero litteris ineunte Ianuario, anno milleſimo ſexcẽteſimo ſecundo viam iniit. Baronem Luxium apud Heduos Præfectum, Rex conſtituerat, & ei colloqui debebat Saleſius, rerúmque ſummam quo expeditiùs tum in Aula cum ſecretiori Conſiſtorio ageret, accipere, & ille tunc Diuioni morabatur. Diuionẽ ergo verſus Saleſius iter adornabat, & iam Sebuſiæ tangebat fines, erátque Matiſcone tranſiturus, cum de tranſitu ſubito formidatum eſt. Araris quippe ingenti imbrium delinqueuntiúmque niuium copiâ extra alueum ſuum cum horrore inflatus periculum vitæ tranſire audentibus faciebat. Fortè itineris Comitem ſeſe Faber cum Renato filio aliíſque nõnullis Saleſio adhibuerat, & ipſe abhorrebat à flumine: at Saleſius à nautis de inſolita vi fluminis certior factus, committendam tamen flumini ſcapham ait in nomine Domini. Paruerunt illi inuiti licèt, voluntati Sacri Sacerdotis cui fidebant cæteroquin maximè, ipſumque Saleſium, Antonium Fabrum, Renatum filium, Georgium Rollandum, & Sergium Sagetum aſſumpſerunt. Medio in flumine parum aberat quin mergeretur ſcapha, erántque qui natatu emergendum eſſe cogitarent, ſimul & Faber & cæteri miſericordiam Dei altis clamoribus implorabant. At Saleſius leuatis in cœlum oculis, flexíſque genibus tacitus & ſerenus bono omnes animo eſſe iuſſit. Volendum quod Deus vult, cæterùm non perituros, quamuis vix ſcapha ad littus appelleret. His dictis veluti ſi remiſſiores vndæ fluxiſſent, vel diminutum fuiſſet pondus erexit ſe ſcapha & incolumes terræ dedit. Tribuerunt ſalutem ſuam nautæ & comites Franciſci precibus, ipſe verò fidendum ſemper eſſe Deo inquiens, ſermones illos eludebat. Diuionem peruenit, vbi à Barone Luxio hoſpitio etiam exceptus per aliquot dies vix ſuſtinendis viſitationum officiis quæ ei ab omnibus, ſed Senatoribus præcipuè exhibebantur cumulatiſſimè ſuffecit. Dedit autem pergenti in aulam Epiſtolas varias Baro, quibus eum réſque quas tractaturus erat amicis Proceribus, Aulicis impensè commendabat, & profuit certè Saleſio Luxium propenſi in eum eſſe animi: magni enim erat is apud Aulicos nominis,

Franciſcus Lutetiam Pariſiorum proficiſcitur.

Frãciſcum Deus, & eius precibus alios à ſubmerſione præſeruat.

Franciſcus cum Luxio colloquitur.

nis,& à Rege multum amabatur. Tandem vndecimo Calendas Februarij Lutetiam Parisiorum appulit. Acceſſitque ſtatim ad Camerinum Epiſcopum Apoſtolicum apud Chriſtianiſſimum Regem Nuntium, cui quidquid habebat negotiorum & conſilij aperuit. Salutato deinde Rege oblatiſque quas ad eum Gebennẽſis Epiſcopus & Baro Luxius ſcribebant litteris fuſam de ſuæ profectionis cauſa narrationem contexuit. Rex ſereno eum vidit vultu, promiſitque ſe in omnibus quæ iuſta & æqua eſſent propitium fore, accederet modò ad Nououillanum Villaregium eique ſua omnia explicaret. Saleſius verba Regis retulit Nuntio,& is quidem dignatus eſt eum ad Villaregium conducere ſpem multam faciens. Sed Villaregius diu fortitérque petitiones Saleſij earúmque momenta impugnauit, ita vt in iis defendendis Saleſius multùm laborauerit vicit tamen tandem aſpera huiuſmodi principia, obtulítque libellum ſupplicem qui caput eſſet & totius ſumma rei; Narrabat autem illo exponebátque, quo pacto à Gexenſi agro religio Catholica exularet, priuarentúrque ſuis Eccleſiaſticis bonis Sacerdotes, concludebat, vti Regi placeret imperare & decernere, eandem religionem Catholicam in omnibus in quibus olim vigebat ditionis illius locis, cum antiquis etiam omnibus & ſolitis iuribus, priuilegiis,& immunitatibus in Sacerdotum gratiam reſtitutum iri; Secundum promulgatum Lutetiæ edictum quinto Calendas Martij præteriti ſæculi anno nonageſimo nono, cuius beneficium implorabat. Ad hæc Villaregius ius Regem dicturum indubiè reſpondit, petiuítque ſibi fuſiora porrigi & digeſta totius argumenti commentaria. Erectus animo Saleſius perſcripta in hunc modum capita dedit. Duo petuntur à Chriſtianiſſimo Rege: Primum, vt religionis Catholicæ exercitium in omnibus Ditionis Gexenſis locis reſtituatur. Secundum, vt reditus Eccleſiaſtici Eccleſiaſticis perſonis etiam reſtituantur, & omnia quidem hæc iuxta edictum: Quod ſpectat ad primum, nemini fit iniuria. Relinquetur enim Gexenſis hic ager, vt & omnes Regni Prouinciæ ſuæ libertati; neque verò rationi conſonum eſſet prætenſos reformatos illius incolas cæteris Regnicolis hac in re præferri, aut hunc regni angulum ab generali edicti lege excipi, cùm icta in contrarium omnia fœdera ſint bellis fracta ſequentibus. Adde quòd non ita pridem Religio in eo Catholica fuit, introduxerat enim eam Dux Sabaudiæ anno

Franciſcus Lutetiam appellit.

Franciſcus libellum ſupplicem Regi porrigit.

Franciſcus fuſiora commentaria dat Villaregio.

nonage

nonagesimo, postquam datam Bernates fidem violassent. Inde nouo fœdere Niuiduni percusso liber ambarum religionum cultus indictus fuerat, ita tamen vt prætensa in tribus tantùm locis esset, Catholica verò vbique alibi remaneret: veruntamen irritum fuit hoc pactum. Itaque nullus est restituendæ religioni Catholicæ ex edicti generali lege obex, vt in commutatis cæteris ditionibus & Prouinciis obseruatum est. Quod spectat ad secundum, distinguendus est varius bonorum illorum & redituum status secundùm enim variam eorum acceptionem varia & alia oritur difficultas. Quædam igitur bona à Bernatibus vendita sunt & abalienata, quæ tamen euinci possunt, & quod adhæc non aliud petitur nisi vt quandocunque iustum pretium Ecclesiastici homines offerent, prout Bernates ipsi acceperunt, redire statim in pristinum Ecclesiastici iuris statum possint. Quædam alia possidentur à Geneuatibus, sed titulo supremi Dominij, & de his nullus est impræsentiarũ sermo, quia quãuis intrà Regias terras sint, nõ tamẽ Regij sũt iuris, & huiusmodi sunt bona, quę olim Episcopi erant. Quædam alia possidentur quidem à Geneuatibus, sed dependenter à Rege, & vt restituantur (cùm nullo alio nomine quàm vsurpationis iniquissimæ veniant illis) procedit ex parte libellus supplex. Huiusmodíque bona sunt quæ sacri Canonicorum Cathedralium Collegij (quod Capitulum vocant) olim erant. Quædam alia possidentur à Ministris Regi subditis, hominibúsque laicis. Et circa hæc nulla est vel minima difficultas. Quid si postquam de huiusmodi restitutione statutum fuerit de rebellione timeatur? Sed timeretur frustrà, nam nemo est qui imperitæ plebi dux esse velit, cùm Nobilium pars maxima fidei & religionis Catholicæ partes tueatur: præterea nulla est ad recipiendos tumultuantes arx vel rupes, quid si Bernates aut Geneuates offensos se existiment? Sed quis dicat Regiam Galliæ Maiestatem cogi, vt subditos suos ad exterorum morem compellat viuere? An Heluetij illi intentabunt in Regem minas qui ne hiscere quidem ausi sunt cùm Sabaudiæ Dux occasione & re simili Catholicæ religioni Veragros suos Galliardenses & Terniacenses restituit? An illi de modo Regnicolas gubernandi legem ferent? Dicatur idem de Geneuatibus, & hac ratione magnus Rex iustitiam faciet, & iudicium, Sacrosanctam religionem Catholicam propagabit, ingens Ecclesiæ beneficium impendet,

Bona singularium.

Bona Episcopalia.

Bona Canonicorum Gebennensium.

&

& oratores qui continuas pro incolumitate sua fundant preces multiplicabit. Dum hæc agit Salesius, eum esse fama prædicat qui potenti virtute finitimos Geneuæ populos ad Catholicam fidē conuertisset, qui tentandi Theodori Bezæ Hæresiarchæ curam à summo Pontifice habuisset, qui omnium Purpuratorum Ecclesiæ patrum votis & magno cum applausu electus esset Gebennensis Episcopus, eum denique esse qui verbo & opere si quis vnquam, valeret quamplurimum; & hæc quidem à Maria Luceburgensi Mercuriani Ducis coniuge nonnullisque Allobrogici nominis amicis fama mutuabatur. Instabat quadragintadiale ieiunium, & sacellum, quod Reginæ vocant in aula Luparæ, fortè fortuna Concionatore destituebatur. Inter tot doctrinâ moribúsque celeberrimos, qui in tam ampla Ciuitate degunt, Principum virorum & fœminarum oculos, Salesius existimationis suæ radiis verberauit. Ab Catharina Aurelianensi Longauillana, Principe vti concionandi munus illud subiret enixè rogatus recusare non potuit: sedit igitur syncerè suo more panem fracturus esurientibus, statimque non Principes modò & aulicos homines, sed & vtriusque conditionis Ecclesiasticos, Doctorésque Sorbonicos eloquentiæ & pietatis suæ catenis pertraxit. Incolebat tum aulam nobilis fœmina & Matrona, quam ex Coniugis nomine Perdrieluilliam vocabant, hæc Caluinianam Hæresim tam altè imis gerebat infixam præcordiis, vt doctissimi quamplures viri in ea auellenda frustrà hactenus laborassent. Salesij tamen permota famâ desiderio eum audiendi teneri cœpit, ferialis erat secunda dies post Dominicam primam Quadragesimæ, & Salesius de extremo Iudicij die sermonem habebat, Perdrieluillia compunctione tacta cordis tunc primùm & seriò de conuersione cogitauit: accessit postea nec mora nimia priuatim ad Salesium, tandémque Apostolici viri conuicta persuasaque rationibus cum vniuersa familia quam amplam habebat, solemne sui in Patris Francisci Salesij manibus remisit hęresi nuntium. Commouit res hæc totam Lutetiam, Hæreticósque quamplures ad Salesij conciones adduxit, nobiles inprimis Raconisios, qui non vltimo ordine inter Parisienses ambulant, & ex iis vnum, qui post varias cum viro Dei habitas collationes, nō hæresim modò abiecit, sed & sæculi vanitates, religiosam vitam in Capucinorum Ordine amplexatus, Angelus Raconisius

Francisci fama Lutetiæ.

Franciscus concionatur in aula Luparæ.

Franciscus Perdrieluilliam conuertit.

Franciscus Raconisiam familiam conuertit.

appellatus eſt, euaſitque verbi Diuini concionator validiſſimus, & cum eo vniuerſa familia ad orthodoxam conuerſa eſt fidem.

Turcæ cuidam ſatisfacit.

Eodem tempore Turcæ cuidam Lutetiæ agenti ſuper myſterio ſacroſanctæ Trinitatis plenè admodum ſatisfecit, dimiſitque æquo ſatis in Chriſtianam religionem animo, an is poſteà vti tunc omnes coniiciebant Mahometis impietati renuntiauerit, non conſtat. Conſtat autem innumeros homines Saleſij concionibus ſacris priuatiſve colloquiis aut abiuraſſe hæreſim, aut valedixiſſe vanitatibus, aut vitia cum virtutibus commutaſſe. Tandem exiit Quadrageſima, & de remunerando Saleſio inter eos qui eius paſti fuerant diuinis ſermonibus Principes cogitatum eſt. Principi Longauillanæ incumbebat hæc ſollicitudo, quippe quæ eum inuitarat. Amplam igitur hæc crumenam è ſuppellectili ſua ſelegit, quam repleuit nummis aureis Francicis quos Solares vocant, ſuique Præfecto hoſpitij ad Saleſium cum gratiis deferendam commiſit. Defunctus officio ſuo Præfectus ſtatim ac crumenam oſtendit perfudit Saleſij rubore genas, qui illuſtriſſimæ Principi retulit in hæc verba grates. Maiori me cumulauit honore quàm vnquam mereri potuerim Longauillana Domina, cùm me ad Quadrageſimales Conciones aduocauit, eſt quòd illi cæteriſque Principibus gratias immenſas agam. Paratam me ad alia difficilioráque ſemper inneniet; doleo tantùm non eorum dignitati celeberrimæque cathedræ reſpondiſſe; verùm hic error non affectui aut diligentiæ meæ, ſed tenuitati ingenij, maléque excultæ linguæ tribuatur. Cæterùm do ego gratis quod gratis dedit mihi Deus, nec vllam ex meis laboribus mercedem expoſco præter eam quæ in cælis, Dominicæ vineæ datur cultoribus. Quamobrem nummos iſtos ad Dominam referre potes, ego gratias iterum atque iterum immenſas ago. Mirati ſunt Principes magni animi opus, & deinceps celebris omninò de Saleſij non doctrina tantùm ſed Sanctitate per vniuerſam Galliam fama increbuit. Præcipui quique homines eius familiaritatem deperibant, præ cæteris autem Iacobus Dauidius Perronius Ebroicenſis Epiſcopus ac poſtmodum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, vir vndequaque magnus. Is ſanctæ amicitiæ cum eo fœdus percuſſit authórque Regi fuit vt diſſerentem è pulpito audiret Saleſium. Fortè ad Bellaqueum ab initio ieiuniorū Rex trahebat moras, & Saleſij negotia illius aures & verba

Longauillana Princeps nummos Francisco offert.

Franciſcus Longeuillana nummos recuſat.

Perronius Franciſco amicus.

poſtu-

postulabant. Itaque Salesius cõcionibus liber Lutetiâ fontẽ Bellaqueum profectus est. Rex gustato eo quem tantum antea libauerat multum ex eius moribus voluptatis accepit, voluitque concionantem audire. Itaque Salesius Dominica die in Albis coram Rege doctissimum eloquentissimúmque sermonem habuit, & Rex eo audito, non me (inquit) fefellerunt qui virum Magnum esse dixerunt hunc Allobrogem, næ validiorem Concionatorem audiui nunquam, & dignus est qui fœliciorem fortunam sortiatur. Complacuit sibi deinceps cum Salesio plurimùm magnus Monarcha, erátque solitus dicere cùm de eo loqueretur, raram esse in terris auem. Nam aiebat Præsulum nostrorum plurimi, si nobiles sunt ignari sunt, si docti sunt, non ita pij sunt, deficiunt ferè semper in aliquo. At Salesius electus Gebennensis, & nobilis, & doctus, & pius est. Profuit autem non parum cœptis negotiis cognitum Regi esse, aliter enim cum viris frigidis agebat. Interea Rege Lutetiam regresso, Norembergo triste nuntium allatum est obiisse Philippum Emanuelem Lotharingum Mercurij & Pentheurij Ducem Marticiarum & Romani Imperij Principem, necnon exercituum Cæsareorum in Hungaria summum Præfectum, statimque de persoluendis tanto Principi iustis funebribus non à suis duntaxat sed ab vniuersa Gallia cogitatum est. Maria Luceburgensis vidua rogauit Salesium vti Orationem funebrem habere dignaretur; iis mota rationibus, quòd præter vim Oratoriam quam possidebat maximam, ad id præstandum quasi naturâ obligatus videretur, quandoquidem Franciscus, Ioannes, & Christophorus, Salesij Pater, auus, & proauus inter nobiles Illustrissimorum Principum Luceburgensium Marticianorum Ephæbos & assecias educati fuerant, ipseq; auiti proauitiq; hæres affectus in augustam illam familiã censebatur. Acceptauit onus Salesius cũ honore, & quinto Calendas Maij in summa Cathedrali Beatæ Mariæ Parien sienſis Æde corã Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Senatoribus, innumeriſq; proceribus & Satrapis defuncti laudes Principis duarum horarum spatio declamauit. Habitámque postmodum Orationem, quia vitam illius & res gestas veriſſimè continebat, instante Principe vidua necnon filia adhuc Virgine, quæ postea Duci Vindocino vxor data est, in lucem emisit. Et sic creuit in immensum eius fama, adeò vt ab vniuersis Ciuitatis finitimo-

Rex Franciscum laudat & amat.

Regis præclara de Francisco verba.

Franciscus in Ducis Mercuriani obitum orat.

rúmque locorum Eccleſiiis ſæcularibus & regularibus de concionibus, & circa varia negotia ſententiis rogaretur, vixque relinqueretur ei ſomni & cibi capiendi tempus; Hæreticorum multos manipulos tanta cum facilitate & fœlicitate ad Eccleſiæ Catholicæ acies reuocabat, vt Petri & Pauli Apoſtolorum virtutem habere videretur. Vnde cùm ſemel Illuſtres quidam viri nonnullos Hæreticos ad Perronium Ebroicenſem Epiſcopum duxiſſent rogaſſentque vti eos dignaretur ab errore ſuis argumentis reuocare. Quid à me vultis? ait Perronius, cum obſtinatis illis hæreticis vt agam? Profectò ſi tantum conuictos eos videre cupitis, Doctrina quam dedit mihi Deus id efficiet, at ſi conuerſos, ducite eos ad Dominum Saleſium Gebennenſem Electum, cui dedit Deus vt quibuſcunque colloquatur eos indubiè conuertat. Idémque cùm in Raconiſiorum conuerſione extremam Saleſius appoſuiſſet manum, eſſétque fortè de iis coram Rege ſermo, non dubitauit hæc verba pronunciare; Domine, parum abfuit quin libros meos quotquot de rebus fidei controuerſis agunt Vulcano conſecrauerim, poſtquam intellexi Raconiſiam familiam, quæ à me tot labores & vigilias tulit, Saleſij Gebennenſis Epiſcopi in manibus Hæreſim abiuraſſe. Iis temporibus fors inter concionandum negotium aliquod magni momenti (& conuerſio erat quorumdam hæreticorum) ſui populi precibus (vt fit) commendarat, & fors item ædem in qua ſepultus fuerat Caſtrorum Præfectus Dux Bironius non ita pridem Coniurationis in Regem capitali crimine damnatus, intrauerat Saleſius, & Oratione Deo facta, humanam ſortem miſeratus emiſſo ſuſpirio nonnulla de Dynaſta illo quem ſtrenuiſſimum nullus neſciebat prædicabántque omnes, tanquam ſi laudare voluiſſet pronunciarat. Non defuerunt inuidi (& iam mirum erat tanto tempore abſque inuidiæ morſibus aulam incoluiſſe) qui renuntiarunt Regi, Allobrogem illum diſſimulatis negotiis aliud quàm exponeret in aula agere, conſciúmque & correum omnium conſiliorum & criminũ quæ Bironius coniurarat, propterea cauendum ab illo eſſe. Non credidit abſolutè Rex, intrauit tamen in ſuſpicionem quamdam. Saleſius tunc in Diui Benedicti Eccleſia quotidie Concionem habebat de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quoniam dies erant Octauarum (vt Eccleſiaſtici dicunt) ſolemnitatis Corporis Dominici. Et ſtatim in cathedram

Perronij præclara de Franciſco verba.

Franciſcus per calumniam reus fit apud Regem.

erat

erat aſcenſurus,cũ ex amicis ſuis nõ nemo nuntium ei dedit,malè apud Regem eſſe,quoniam à nonnullis intellexiſſet Bironianæ eum Coniurationis conſcium. Concionatus eſt tamen ſereno & tranquillo vultu,poſteáque is qui hæc ei dixerat animi robur miratus interrogauit:Quid?nõ te ampliùs mouit hoc nuntiũ mox à me tibi datũ?ſis apud Regem criminis læſæ Maieſtatis reus,& nõ turbaris?Turbarer(reſpõdit Saleſius)ſi verè reus eſsẽ:verùm quia innocẽs ſum in Domino cõfido,& quomodo dicitis animæ meę, tranſmigra in montem ſicut paſſer? Adornaſſem profectò fugam ſi conſcientiæ laqueis me ſenſiſſem irretitum,tantum ergo abeſt vt pauceam,iſto greſſu ad Regem pergo & Deum exiſtimationis meæ ſi ad ſuam maiorem gloriam valere tantillum poteſt,curam habiturum ſpero. Cum his verbis in aulam profectus Sereniſſimis oculis Regem aggreſſus eſt , qui venientem & prima verba habentem in labiis , ſermone placido præuenit. Nil opus eſt(inquit)vt purgare te velis,ego enim de te ſiniſtri nihil vnquam cogitaui , ſed impedire nequeo quin de omnibus qui apud me degunt multa referantur mihi:tum Saleſius actis humillimè gratiis. Non is ſum, inquit, Domine , qui res illas quas ſtatus vocant ita intelligam,vt in iis tractandis me immiſceam, & ſi quid intelligerem aut intelligere vellem cum tanto ſcelere tyrocinium meum non ponerem , ſubiunxit & alia quibus cognouit optimè Rex prudentiſſimus ingenuum eius ingenium , tantúmque abfuit vt eum malè dimitteret quin potius ſeſe illi, mirabili prorſus humanitate vltrò obtulerit. Ac deinceps ab eius laudibus ceſſare non poterat;verè Saleſius vir Dei eſt,aiebat aliquando , omnia enim ad Deum refert, neque adulationis methodum nouit, & cũ tanta animi quam vbique præ ſe fert ſynceritate modeſtiſſimus & temperantiſſimus eſt,reddítque honorem cui honorem.Libertatem arripuit Dynaſta quidam Regi familiaris cùm hæc audiſſet, petendi cur Epiſcopum illum Allobrogem Sua Majeſtas tantis amicitię teſtimoniis proſequeretur.Quia virtutes omnes in ſummo gradu poſſidet,reſpondit Rex , & vitium nullum habet ; Magis idoneum ad reſtituendum in priſtinum ſuum ſplẽdorem Eccleſiaſticum ordinem adhuc cognoui neminem. Mitis eſt & hulis corde,ſumma animi fruitur trãquillitate,religioſiſſimus & piiſſimus eſt abſque ſcrupulo & ad fugandas hæreſes & nouitates omninò vt iterum dicam idoneus. Tanti porrò Saleſium Rex

Franciſci inuicta fortitudo & animi robur.

Rex ſereniſsimis oculis rã iſcum excipit.

Franciſci verba.

magnus faciebat vt eius amicitiam aliquando seriò per Hayanũ quæsierit, & eum penes se, retinere non semel tentauerit, sollicitandíque hac eum de re iussionem & curam viris dederit quamplurimis, necnon & principibus fœminis, quas plurimùm apud eum valere sciebat. Dux Mercuriana, Princeps Longauillana, Dynasta Hayanus, cæterique nõ pauci suam apud eum operam luserunt. Rex ipse dum vacaret Episcopatus opimus aliquis amplam obtulit pensionem annuam, deditque idcircò eo inscio litteras ad Quæstorem. Et Salesius quidem oblatis sponte pecuniis pudore suffusus statim ad Regem acturus gratias recusaturúsque simul accessit: Munificentiæ & liberalitatis Maiestatis tuę, ô Rex, gratias immensas ago, inquit. Nullis sanè meis meritis hic mihi accedit honos, placeat verò vti pensionem eam apud Quæstorẽ tanquam depositarium relinquam. Non indigeo modò. Verùm si indigere contingat, accipiam eam, vtárque Regia tuâ beneficentiâ. Verba hæc cum summa animi libertate, prudentiáque maxima prolata Regi admirationem indiderunt, qui neminem vnquam se vidisse protestatus est, qui honestiùs oblatum aliquod beneficium recusasset. Sed perrexit vti saltem Episcopatum Gebennensi opulẽtiorem expectaret sollicitare, & Salesius se à Deo ad Gebennensium ouium curam vocatum ait, atque id suæ debere patriæ, quę eum huc vsque tam beneuolè aluisset. Cæterùm iussionibus Regiis futurum semper obtemperantissimum. Sic stupentibus omnibus spernebat mundum & in cœlis coronam gloriæ parabat sibi immarcessibilem. Præstantissimorum per hæc tempora, pietate & doctrina Virorum fiebãt binis aut ternis diebus apud Nobilem fœminam Matronámque sanctissimam Mariam Aurillotiam Acariæ Viri Clarissimi Coniugem conuentus, intererántque ex præcipuis Petrus Berullius posteà Ordinis Sacerdotum Oratorij in Gallia Generalis Superior, & tandem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Andræas Duuallius Doctor Sorbonicus celeberrimus, ac Dynasta Santeullius. Hi cùm Salesium cognouissent, eum Directorem & Patrem in Christo elegerunt, nihilque illum quod ad conscientiam spectaret celabant; sed vt sua pectora patefaciebant ei, ita ingens ex eius pectore veræ & syncerę pietatis lumen hauriebant. Fidebat autem præ cæteris ei Aurillotia, quæ posteà defuncto marito, in discalceatarũ Carmelitanarum Monialium Ordine religiosam vitam professa est,

Rex Franciscum conatur retinere.

Franciscus optimè & prudenter Regis recusat oblatũ.

Franciscus spernit mũdum & honores.

Franciscus Maria Aurillotia spiritualis Pater.

est, ac Maria ab Incarnatione nominata. Et Salesius mira cum suauitate Diuiniq́ue amoris abundantia eam audiebat, proficiebátque tantæ fœminæ piissimis colloquiis, nec vllus eum hac in re terrebat labor, quamuis quotidie è Vico San-Iacobæo ad eum qui pone est Minorem Diui Antonij ædem duo ferè milliaria conficienda essent, & quæ nulla temporum habita ratione siue per æstum siue per lutum (quod Parisiis multum est) & imbrem pedes conficiebàt. His in consuetudinibus, seu potiùs piis Conuẽtibus authore Salesio & gestiente Aurillotia statutum est, mittendum in Hispaniam ad habendas quæ Gallicam exornarent pietatem Moniales Carmelitanas Theresianas, itémque Romam ad habendos Sacerdotes Oratorij nominis Iesu. Quæ omnia tam fœliciter successerunt, vt consentiente Rege fauentéque supremo Pontifice, breui Catharina Aurelianensis Longauillana Princeps, nouo earum Monialium Monasterio decorarit Lutetiam, postquam ipse Salesius de rebus omnibus Apostolicam fusè Sedem per litteras fecisset certiorem. Sex autem mensium spatio mirabile illud Sanctorum par Salesius & Aurillotia à Virtute coactum fuit, & alter alteri mirum in modum fidebat, quamuis suas vtérque imperfectiones detegeret potius quàm acceptas à Deo gratias, sicque factum est vt Salesium posteà pœnituerit quòd ab extrahendis ex illius pectore de rebus æternis sensibus, tam modestè temperasset. Eius autem de ea defuncta iudicium fuit, Verè ancillam Domini fuisse cuius humilitatem respiciebat Deus, seque non eam velut pœnitentem suam, (vt Christiani Patres vocant) verùm vt vas electionis quod suo vsui Spiritus sanctus consecrasset, & verba sunt eius disertissima, respexisse. O quantum errorem commiseram, inquit, cùm ex sanctissima eius consuetudine non profeceram, detexisset enim libenter mihi omnem animam suam, sed immensa mea erga eam reuerentia ne quidquam auderem inquirere faciebat. Inter hos actus non desistebat à Cõcionibus reducendisque Hæreticis Salesius. Cùm populo semel in Monasterij cuiusdam æde sacra verba faceret, accidit perturbatione subitâ vt à proposito themate laberetur, ad quod vt rediret in controuersas de religione sententias occulto artificio digressus est. Eas autem tam piè & eruditè pertractauit, vt maturo quædam Matrona iudicio, & Nobilis, statim dixerit eum audiens: Non iam amplius Gebennensis Episcopus loquitur,

Franciscus scribit pro Carmelitanis ad Papam.

Franciſci de Maria ab Incarnatione iudicium.

quitur, ſed per eum Spiritus ſanctus, & effati mei probabit breui illuſtris aliquis effectus veritatem. Ita euenit, nam abſolutâ Cõcione, Nobilis fœmina Caluiniana validis eius argumentis commota & conuicta, non diſtulit eius in manibus hæreſim abiurare. Tandem cùm nouem Lutetiæ Menſes Saleſius non inaniter inſumpſiſſet, cogitauit de reditu, ac primò quidem Regias promiſſas recepit litteras ad Baronem Luxium & Senatum Diuionenſem, pro fidei Catholicæ in Gexenſi tractu reſtitutione, necnon & alias quibus Eccleſiaſticos omnes Bugienſes, Valromæanos & Gexenſes ſub ſua peculiari protectione Rex recipiebat. Inde gratiis humillimè actis recuſatiſque magnanimiter prorſus toties oblatis dignitatibus, honoribus & diuitiis, magno ſui relicto deſiderio vrbe exceſſit. In itinere ecce inſperatum affertur nuntium de Claudij Granierij Epiſcopi Gebennenſis obitu, quod ſanè ita eius mentem ingenti cumulauit mœſtitiâ, vt poſt adoratum numẽ largis lachrymarum imbribus macularit genas. Vir erat Granierius cunctis laudibus ſuperior, & irreprehenſibilis vitæ, auis atauiſque nobilis, qui in Conuentuali Monaſterio Beatæ Mariæ Virginis Diui Benedicti Talloriarum religionem profeſſus, ac effectus Prior multos annos peregit ſanctiſſimè, poſtmodum extractus è cellula viginti quinque annorum ſpatio Gebennenſem fœliciſſimè adminiſtrauit Eccleſiam, victu & veſtitu auſterus, paucis contentus, Eccleſiaſticæ libertatis propugnator acerrimus, fortiſſimi animi, ſupra mediocritatem doctus & facundus, beneficẽtiſſimus in pauperes, & qui terrena omnia velut fumum aut feſtucam reputabat. Obiit venerandâ canitie conſpicuus, & multis valetudinibus grauis, Polingij, dum è Iubilæo Tononenſi rediret, decimoquinto Calendas Octobris. Sepultus Anicij in Sanctuario Eccleſiæ Diui Franciſci, quæ eſt Cathedralis loco, & creditur à populis frui cœleſtibus. Longior ſupererat via quàm vt funeri potuiſſet intereſſe Saleſius, prẽter nonnulla, quæ etiamnum Lugduni agenda reſtabant; accelerauit tamen profectionẽ & ne Paſtoris ſolatio tam ampla Diœceſis deſtitueretur, Epiſcopalis conſecrationis munus accepturus, ſtatim ac Sabaudiam ingreſſus eſt, non Anicium, ſed rectà petiuit Saleſium. Prædium eſt Clientelis & ditione nobile, cui deducti longâ ſerie Toparchæ Saleſij olim nomen dedêre, & Sereniſſimus Allobrogum Dux Carolus Emanuël in Baronatum erexit, poſteáque eius filius Victor

Franciſcus Nobilem fœminam conuertit.

Franciſcus iter faciẽs obiiſſe Granieriũ intelligit. Granierij Elogium.

Franciſcus redux.

Saleſiani Caſtri deſcriptio.

ctor Amedeus in Comitatum sub quo ex quatuor Parœciis triginta sunt pagi. Huius castrum ad Terei montis radices in extensa modicè planitie situm quadrangulari figura in obtusum acumen desinente, circumscribitur, & vbi vel Felirum vel Flancium amnes, qui eius agros rapidis fluctibus intersecant pertransieris, exiguúmque superaueris cliuum lata & recta via hortensibus marginata sepibus te ducit ad fores in quadrata turri duplicatas. Frons gentilitiam parmam spectandam præbet ex marmore; in cærulea scilicet area aureas duas fascias coccino sinuatas cum aurea crescente Luna in coronide & duabus stellis pariter aureis vna in ventre altera in cuspide. Syluani tres hederâ cincti & coronati, clauáque armati laterculum custodiunt, quorum duo tenent superiores angulos à dextris & sinistris, tertius verò è quinqueforis galeæ cono plumatili fastigiato muscario incultus erumpit cum hoc elogio, nec magis nec minus. Si duo limina fueris prætergressus delectabit oculos tum paucis fructiferis arbustis area consita, cùm longa & multis suffulta columnis ad læuam porrecta porticus, cuius medium ad meridiem turricula pensilis aperit, & Vsillionensis Vallis, Feuolerij montis Rupis ceruinæ, errorum Feliri & subiecti horti conspectum permittit. Orientalem extremitatem Sacellum facit, Occidentalem autem planus ad apertissimam aulam (triáque coniuncta cubicula, aditus, è quibus præter iucundissimũ pomarium Torentinus videtur tractus, quem hinc Castrum illinc Vicus, Pagi, Villæ, interiecti colles, interfluentésque riui multa amœnitate exornant, & in suo Soloccasu remotissimus longis & cæruleis vmbris distinguit. Iam verò si ad areæ dextram redeas, sublimem habes turrim ex quadrato potissimùm constructam lapide, quæ per infractos flexionibus gradus quatuordecim exhibet portas, & hæ in viginti sex siue triclinia, siue cubicula, & eorum conclauia te intromittent. Restat alia posterior area stabulis & villaticę rei destinata in qua fons est è vicini montis deiectu per subterraneos canales ductus, qui postquam querneum labrum impleuit per chortis medium moderatis saltibus descendens in Pomarium se diffundit. Elegit hanc Domum Salesius pro suæ consecrationis solemnitate celebranda, & causa in promptu erat Matris & fratrum incolatus, subditorum omnium Salesiensium & Torentinorum desiderium & preces, præterea naturalis in Patriam pro-

penſio, quæ id ab ipſo exigere videbatur, vt ſicut naſcentem & in Chriſto renaſcentem viderat, ita tam ſanctę in Antiſtitem vnctionis teſtis eſſet. Non aduentauit citiùs quàm ad eum cum litteris congratulationis ergo Anicienſes Ioannem Baptiſtam Furneum miſerunt, nec obliti ſunt officij Cathedralis Eccleſiæ Canonici cæteríque Collegiatarum, & Vrbium Conſules. Quibus omnibus dimiſſis, ad Ioannem Forerium Societatis Ieſu Virum religioſiſſimum tunc temporis Tononi agentem litteras miſit, quibus eum ad ſe vocabat vt Deo ſuo apud illum recogitaret omnes annos ſuos, effunderétque animum ſuum. Curis igitur cæteris omnibus liber viginti dierum ſpatio penè vixit ſolitarius, continuíſque precibus, ieiuniis, corporis afflictionibus, & huiuſmodi exercitiis peccatorum ſuorum generalem (vt vocant) confeſſionem parauit, quâ peractâ hanc ſibi viuendi normam ex directoris optimi conſilio ſtatuit, adſignauit. Et quidem quantum ad exteriorem hominem. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Gebennẽſis Sericis veſtibus nullo modo induetur, nec quę iis quas anteà detulit pretioſiores exiſtant, mundas tamen habebit, & ſecũdum vrbanos mores: nullis hibernis crepidis anſatis calceabitur, tum quia hoc mundanam redolet vanitatem, tum quia id Eccleſiæ ſuæ ſtatuta prohibent. Nunquam in templum aliquod abſque ſacro lineo ſagulo & epomide ibit neque per Ciuitatem, & id quoque domi quantum poterit ſaltem pro epomide obſeruabit. Domi, in Eccleſia, per Vrbem, quantum tempus feret quadratum pileolum ſemper geſtabit, abſtinebit ab annulis, præterquam ab eo quem fidei & paſtoralem vocant. Nullis chirotecis quæ odoribus imbutæ vel magni pretij ſint vtetur, nec manicis fericis & pellito texto inſtructis, verùm id tantùm aſſumet quod vrbanum erit, decorum & neceſſarium. Zona poterit eſſe ſerica, ſed non pretioſa, & in ea appẽſum geſtabit roſarium. Calceamentorum corrigiæ non erunt ſericæ, nec item tibialia. Corona capitis in eo ſemper ſtatu vt notabilis ſit, barba rotunda, non acuta, & abſque myſtacibus quæ ſuperius labrum excedant. Nullos inutiles & ſuperfluos ſeruos habere conabitur. Duo erunt Eccleſiaſtici, quorum vnus negotiorum omnium habebit curam, alius ad diuina officia inſeruiet, & adhuc ſufficeret vnus, ſed impræſentiarum duos accipit in gratiam Andrææ Sauzeani Decretorum Doctoris & Baccalaurei Theologi, qui quandoquidem

Franciſco Anicienſes gratulantur, de aduentu.

Franciſcus vt ſe præparat ad Conſecrationis munus.

Franciſcus leges ſibi præſcribit. Habitus.

Serui.

validus

validus est verbi diuini Concionator, in hac Diœcesi multam vtilitatem faciet. Hi Romano si fieri potest more induentur cum omni modestia, aut vt Sacerdotes Seminarij Mediolanẽsis, quorum habitus minoris est sumptus & commodior. Famulus vnus à Secretis, duo à cubiculo, & vnus quidem pro se, alter pro familia. Coquus vnus cum suo puero, & à pedibus vnus, qui ferrugineo colore cum limbis violaceis vestietur. Nemo seruorum plumarias feret paniculas nec ensem, nec splendidi coloris vestes, nec profusos capillos, nec nimium eleuatas mystaces. Secundâ quáque mensis Dominicâ ad sacram synaxim accedent iuxta statuta fraternitatis Pœnitẽtium sanctæ Crucis cui nomina sua dabunt, & communicabunt in Missa Episcopi. Missam quotidie audiẽt, & Dominicis festisque diebus totum diuinum Officium in Ecclesia Cathedrali. Surgent omnes è lecto horâ quintâ matutinâ, diebus autem solemnibus cùm ad Matutinum eundum erit horâ quartâ. Ibunt cubitum horâ decimâ serotinâ: sed ante in aulã conuenient ad recitandas Litanias; die Dominicâ, nominis Iesu; die Lunæ, omnium Sãctorum; die Martis, Angelorum; die Mercurij, sancti Petri Patroni Ecclesiæ Gebennensis; die iouis, sanctissimi Sacramenti; die Veneris, Passionis Dominicæ; die Sabbathi, Beatæ Mariæ Virginis, nisi fortè occasione alicuius festi hę Litaniæ transferri debeant. Episcopus orationem dicet, fiet examen conscientiæ, & posthæc recedẽt omnes. In vnoquoque cubiculo erit Oratorium, & in eo aqua sacra cum pia aliqua imagine & agno Dei. Duo cubicula tapetibus ornabuntur, vnum pro extraneis, & aliud ad negotiationes peragendas, nempe aula. Excubabit semper aliquis ad excipiendos & introducendos eos qui venient, & is comis erit & gratus, nec cuiquam vel minimo fastidium vel tædium pariet. Ecclesiasticos inferiores spernere nimia est Prælatorum seruis audacia. Quicunque Gebennensi Episcopo inseruient moniti sint, & soliti cum omnibus honestè agere, præcipuè verò cum Sacerdotibus. Iã quod ad mensam. Ea moderata erit, & (vt ait Concilium) frugalis, munda tamen. Sedebunt in ea Sacerdotes, & quantum fieri poterit primas habebũt. Benedicet vnusquisque mensam vicissim, paritérque Deo gratias aget, festis solemnibus exceptis, tunc enim Episcopus & benedicet & gratias aget, sicut & quotidie Orationem eam dicet, Benedic Domine nos, quia minor à maiori benedicitur. Ad

Pia eorũ exercitia.

Cubicula.

Mensa.

medium vsque siue prandij siue cænæ liber aliquis pius legetur, honestis sermonibus dabitur reliquum. Hora prandij decima: cœnę, sexta: diebus ieiunij ad refectiunculam nemo sedebit, & tunc hora prandij vndecima pulsata, refectiunculæ septima.

Eleemosyna. Quod ad Eleemosynam spectat, electi ab Reuerendissimo Episcopo fœlicis memoriæ dies obseruabuntur, vt publicè fiat, curandum est vt elargiatur amplior hyeme quàm æstate, præcipuè verò à festo Regum, tunc enim pauperes magis indigent, proptereáque legumina distribuentur, & nescio an expediret vt Episcopus ipse manu propriâ stipes elargiretur cùm id fieri commodè posset, vt Iouis die sanctâ, siue feriâ quintâ in Cœna Domini, vel feriâ sextâ in parasceue, aut die Mercurij feriâ quartâ maioris hebdomadæ. Feriâ quintâ in Cœna Domini ad Mandatum dabitur prandium pauperibus, antequam lauentur eis pedes, vel post, si fiat mandatum manè, vt defunctus Reuerendissimus Episcopus faciebat. Curandum erit vt distribuendæ fratribus Minoribus, Dominicanis, Capucinis, Diuæ Claræ Monialibus, & Xenotrophio eleemosynæ ad exemplum & maiorem erga populum efficaciam notentur. Quantum autem ad peculiares & extraordinarias stipes vnctio docebit.

Diuina officia. Iam quoad diuina officia. Festis omnibus iussionis Ecclesiasticæ Episcopus intererit primis vesperis, secundis & magnæ Missæ, officióque quod vel præcedit vel subsequitur, diebus verò solemnibus Matutino. Celebrabit officium nocte & die Natalis Domini, festo Regum seu Epiphaniâ, Dominicâ resurrectionis, Dominicâ Pentecostes, festo Corporis Christi, festo sanctorum Petri & Pauli, festo sancti Petri ad vincula patroni Gebennensis Ecclesię, festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, festo omnium Sanctorum & die suæ consecrationis anniuersaria. Tota octaua festi Corporis Christi intererit officio, & precedente Dominicâ concionẽ habebit, quâ monebit populũ sui officij, vt peccatorũ indulgentiã cõsequatur. Die festi, Dominicâ infrâ octauã, & die octauo benedictionẽ in Ecclesia Monalium Diuæ Claræ dabit, tum vt consolationem accipiant, tum quia populo solet esse ædes pleniſſima, & vltima est in qua benedictio habetur. Intererit quantum fieri poterit sæpissimè officiis & exercitiis Sodalitatum Sanctæ Crucis, Sanctissimi Sacramenti, sancti Rosarij, sancti Franciscani cinguli, specialiter autem sanctæ Crucis, ob communionem quæ in ea

fit.

fit,& quam ſæpiſſimè facere conabitur. Atque hic eſt homo exterior,iam quantum ad interiorem, & quidem quantum ad ſtudium ſic aget,vt quotidie aliquid poſſit addiſcere,vtile nihilominus & profeſſioni ſuæ congruum. Ordinariè duas horas,quæ intra ſeptimam & nonam de manè ſunt, ad ſtudium habere poterit. Poſt cœnam curabit legi pium aliquem librum horæ ſpatio, qui partim ſtudio partim orationi inſeruiet. Manè poſt ſolitam gratiarum actionem, diuinæ opis inuocationem & dedicationem ſui ipſius, horæ ſpatio meditabitur ſecundùm quod antea diſpoſuerit. Præſentem ſe ſemper Deo ſiſtet, eúmque in omnibus occaſionibus inuocabit.Quantum ad orationes iaculatorias, hauriet eas vel ex matutina meditatione, vel ex variis quæ ſeſe offerent obiectis, & hæ vel vocales erunt vel mentales, ſecundùm quod à Spiritu ſancto incitabitur,formabitq;ſibi ex his breue aliquod compendium vt aſpiret ad Deum, ad Deiparam, ad Angelos,& ad Sanctos, quos peculiari deuotione colet. Recitabit officium ex more ſtans aut genuflexus. Matutinum & Laudes,ad Veſperam poſt lectionem libri pij. Primam, tertiam, ſextam, & nonam; intra ſextam & ſeptimam horas matutinas ſcilicet poſt meditationem. Veſperas & completorium ante cœnam & poſt Veſperas roſarium cum meditationibus,quandoquidem illud recitare ex voto tenetur. Cùm præuidebit vrgens aliquod negotium præuenire poterit ad aſſignatam horam pro veſperis & roſario.Diebus feſtis horæ & veſperæ recitabuntur cum choro, & roſarium tempore magnæ Miſſæ. Egredietur manè horâ nonâ ad offerendum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium,quod quidem niſi extrema eum impediat neceſſitas, quotidie offeret, & vt deuotiùs celebret, diuerſarum faciet compendium & collectionem cõſiderationum & affectuũ, quibus erga magnum hoc myſterium pietas poteſt excitari, & his egrediendo è cubiculo & accedendo ad altare afficietur. Cùm ad ſacrarium peruenerit præparatoriam orationem nec nimis breuem nec nimis longam faciet, ne expectantibus tædium pariat,aut eos frigidos reddat; poſt Miſſam gratiarum actio erit huiuſmodi, in qua ſe cum ſeni grauitate geret, nemini colloquetur ſi fieri poteſt, vt minimum cùm ad Miſſam ibit,præſertim verò de ſæcularibus negotiis vt in ſe prorſus collectus ſit animus.Non abs re eſſe videtur,vti diebus quos deuotionis vocant, Miſſam iis in Eccleſiis celebret, in qui-

Studium.

Meditatio.

Officij recitatio.

Miſſa.

bus erit religio, vt populus ſuum ſemper Epiſcopum in capite reperiat, veluti ſolemnibus Eccleſiarum feſtis, & cùm in iis indulgentia eſt peccatorum. Veſpere exercitium cum reliqua familia faciet. Peccata ſua ſecundâ quâque die vel tertiâ confitebitur, niſi aliter neceſſitas ferret, idque apud magis idoneum quem habere poterit commodè Confeſſarium, quemque non abſque neceſſitate mutabit. Aliquando confitebitur in Eccleſia ad omnium conſpectum, vt exemplo ſit omnibus. Pręter dies ieiunij ab Eccleſia ſtatutos ieiunabit omnibus vigiliis feſtorum Beatæ Mariæ Virginis, itemque diebus Veneris & Sabbathi. Singulis annis octo dierum ſpatio & amplius, cùm fieri poterit, recolliget ſe & purgabit animam, iiſque pendentibus ſucceſſus & progreſſus animi ſui ab anno præterito examinabit, & poſtquam præcipuas offenſas notauerit, accuſabit apud Confeſſarium, cum quo de prauis propenſionibus & difficultatibus ad bonum, conferet, quo facto multas fundet preces præſertim mentales, cum applicatione Miſſarum quas celebrabit & celebrari curabit hoc tempore, ad obtinendam neceſſariam Dei gratiam ſuo regimini, & Eccleſiæ ſuæ, bonáque omnia conſilia & propoſitiones, ſibi à Deo data renouabit. Et in hanc rem ſuorum omnium conſiliorum commentaria antequam ad confeſſionem accedat releget, annotabítque iterum, vt ſi fortè experientia addendum aliquid nouerit, illud addat. Recollectionis huius tempus vix indici poteſt. Niſi quod Hilariorum Hebdomadæ huic accõmodatiſſimæ rei videntur. Tum vt popularis inſolentiæ & diſſolutionis quæ vix impediri poteſt, teſtis non ſit, tum vt ad Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti & Beati Ioannis imitationem exeat è deſerto ad prædicationem & magna opera. Si tamen populum à diſſolutione extrahendi per aliquod notabile exercitium ſpes eſſet, de quo in articulis de republica ſermo erit, tunc Hebdomadæ aliquæ intra Paſcha & Pentecoſtem eligendæ recollectioni erunt, vt acquiſitus Dei Spiritus feſtis iis ſolemnibus & octaua Corporis Chriſti bonum operetur, tum ea ratione, quòd negotia tunc minus vrgere ſoleant, & purgationi animi vt corporis tempeſtas accommoda. Immò & purgatio corporis prætexta purgationi animi eſſe cauſa poterit. Hæ ſunt conſtitutiones ſanctiſſimę quas vir Apoſtolicus ſibi indixit ſacram Epiſcopalem vnctionem acceſturus, quaſque Ioannis Forerij Directoris ſui manu obſignari voluit.

Confeſſio

Ieiunium.

Recollectio.

Franciſcus leges obſignari vult. Manu Forerij.

voluit. Posthæc cùm indicta solemnitati dies appropinquaret, Procerum & Magnatum multitudo ingens ex omnibus Sabaudiæ angulis Salesium confluxerunt, Consecratores inprimis tres magnæ virtutis Pontifices, Vespasianus Gribaldus Archiepiscopus & Comes Viennensis, Primatum Gallicanorum Primas, Thomas Pobellus Falcinas Fani Pauli seu Tricastrensis Episcopus, & Iacobus Maistretius Damascenus, ex Ordine Carmelitarum, & Cathedralis Ecclesię Canonici, postquam Ioannes Franciscus Salesius Boësiacus Canonicus in Collegij manibus electi Domini Canonicatum & prębendam (vt vocāt) resignasset, quatuor Canonicos qui consecrationi interessent & inseruirent Episcopo Salesium allegarunt Franciscum Chissæum Pollingianum, Stephanum Combanum, Ianum Regardium Priorem Louagniacensem, & Carolum Aloysium Pernetum. Cæteros qui adesse vellent exemptos declararunt; nemo Musicorum tum Cathedralis Ecclesiæ cùm Collegiatæ Diuæ Virginis, à tanta celebritate abfuit. Cúmque octaua Decembris dies Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis sacra illuxisset, manè Salesio in Torentinam Ecclesiam ad solemnitatem processum est. Torentum Vicus est clientelis & ditione nobilis, quem olim Franciscus primus Galliarum Rex dum teneret Sabaudiam in Baronatum erexit & postmodum à Luceburgensibus Lotharingisque Principibus Dynastæ Salesij suo Comitatui adiunxere. In eo Parœcialis Ecclesia sacro Canonicorum Cathedralium sancti Petri Gebennensis Collegio perpetuò vnita, ampla satis quippe, quæ plusquam duo hominum Parœcianorũ millia contineat, ab hesterna die altis tapetibus Belgicis instructa. E suprema chori facie symbolica Salesiæ gentis tessera consecrandi causa Episcopi mitra & lituo aureis necnon galero viridi pendentibus hac & illac cordulis fastigiata dependebat, cum Epigraphe, Post æuum, cælum. Sancta sanctorum theatrum occupabat erectum affabrè, picturisque & emblematibus adornatum. E theatri medio surgebant altaria duo, & à choro ad theatrum per octo gradus ascendebatur ex vna parte, & per totidem descendebatur ex alia. Ad interiorem chori faciem, quæ supra sacrarij portam est abietinam porticum recipiendis Musicis fabricarant, nihilque in tota æde non erat Pontificali magnificentia dignum. Super maius altare magnam crucem argenteam, & sex candelabra collocarant,

Episcopi consecratores.

Torentum vicus.

Torentina Ecclesia vt instructa.

nec

nec procul ab eo prope murũ neceſſaria omnia, vt vaſa ad ablutiones & aquam luſtralem, thuribulum, ampullas, calicem, hoſtiaria, medullam panis, ſanctum Chriſma, paramenta omnia Pontificalia, & his ſimilia, ante altare faldiſtorium (quod vocant) & tres ornatas tapetibus ſedes. Altare minus oneratum erat cruce, duobus candelabris argenteis, libris Miſſali, & Pontificali, veſtibus coloris albi & his ſimilibus. Non procul ſuper tabulam mappulæ octo erant, ex duabus cannis panni linei ſubtilis per medium ſciſſis, in longitudinem quarum duæ longitudinis erant palmorum ſex quælibet, aliæ verò ſex æqualis quantitatis. Præterea annulus cum gemma benedicendus, & electo tradendus, pecten eburneum, & cerei duo quatuor librarum quilibet, duo doliola vini inſignibus Archiepiſcopi Viennenſis & Electi Saleſij ornata. Paratis omnibus & Cõſecratore ſedente Thomas Pobellus Tricaſtrenſis ſubleuari ad Epiſcopatus onus præſentem Presbyterum Franciſcum Saleſium genuflexum ſanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ nomine poſtulauit, nec mora lectum eſt mandatum Apoſtolicum Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Idibus Iulij, Pontificatus Clementis octaui anno vndecimo, tum ad iuramentum examen, interrogationes, reliquáſque cæremonias ritè proceſſum, quibus nihil auguſtius. Ecce autem dum genuflexus electus ante conſecratorem immobilis manet, ſubitâ vi Diuinitatis corripitur, manifeſtátque ſe ei ſacroſancta & indiuidua Trinitas modo ineffabili, & vidit ipſe glorioſiſſimam Virginem Deiparam, ſanctóſque Petrum & Paulum Apoſtolos aſſiſtentes ſibi. Qua maieſtate circumfuſus tam inſolito rubore murauit faciem, vt veluti toto vultu radiare videretur. Semihoræ ſpatium fuit, quo elapſo virium paſſus eſt deliquium, ſed mox releuatus nemine non attonito, valere ſe dixit, & timendum nihil: ſed in ipſo quidquid viſibiliter Conſecratores Epiſcopi agebant Auguſtiſſima Trinitas inuiſibiliter & in eius animæ ſupremo cacumine operabatur, adeò vt ad libri Euangeliorum ſuper ceruicem & ſcapulas impoſitionem datum ſibi prædicandi onus diſtinctiſſimè perſpicaciſſiméque cognouerit, ad impoſitionem manuum, diuinæ benedictionis effuſam in ſe virtutem. Ad vnctionem, abundare debere in ſe conſtantiam fidei, puritatem dilectionis & ſynceritatem pacis, ſermonem ſuum & prædicationem eſſe debere,

Pobellus Promotor.

Apoſtolica littera.

Examen.

Franciſcus genuflexus Trinitatẽ videt.

Patitur virium deliquium.

Vnctio. Liber Euangeliorum.

debere non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, mysticæ se delibutionis liquore perfundi, & spiritualis benedictionis vbertate fœcundari, vt cunctis proficeret ad salutem, esletque sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Ad pastoralem baculum in corrigendis vitiis piè sæuiendum, iudicium sine ira tenendum, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcendos, & in tranquillitate seueritatis censuram non deserendam. Ad annulum fidei signaculum intemeratâ se fide ornatum esse debere, vt sponsam Dei sanctam Ecclesiam illibatè custodiret. Ad mitram, galeam munitionis & salutis, debere se decoratâ facie & armato capite cornibus vtriúsque testamenti terribilem apparere aduersariis veritatis, & impugnatorem eorum robustum existere. Ad chirotecas, circundari manus suas munditiâ noui hominis, qui de cælo descendit, vt quemadmodum Iacob pelliculis hædorum opertis manibus paternam benedictionem, oblato patri cibo potúque gratissimo impetrauit, sic oblatâ ille hostiâ salutari diuinæ gratiæ benedictionem impetrare mereretur. Posthæc à Consecratore in faldistorio tanquam throno collocatus est, statímque cùm iam Musici lætitiæ hymnum potentissimè decantarent ab assistẽtibus Episcopis duobus per Ecclesiam ductus, omnibus benedixit. Nec multo temporis interiecto spatio exequendis vltimis ceremoniis, post actas Deo gratias in pace recessum est. Tantis porrò diuinitatis motibus agitatus fuit Salesius, vt cœlestis totus nec iam quid terrestris hominis habens appareret. Aliquot elegit adhuc dies antequam proficisceretur Anicium, & interim præsentari iussit Cathedralium Canonicorum collegio Apostolicas suæ promotionis litteras viâ secretâ expeditas, signatásque de Alexiis & in acta relatas, apud Camillum Secretarium, quarum vigore in persona Ludouici Salesij Canonici Patruelis sui, Procuratorísque constituti ritè in possessionem inductus est (vt aiunt) & Franciscum Salesium Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum & Principem Gebennensem Deus Optimus Maximus tam vastæ naui gubernandæ quàm diutissimè seruet incolumem, inclamatũ. Decimo nono autem Calendas Ianuarij & Sabbatho Anicium versus viam iniit. Ingens Procerum & Nobilium turba ex vicinis oppidis & castris præiuit & sequuta est

Pastorale pedum.

Annulus.

Mitra.

Chirotheca.

Franciscus omnibus benedicit.

Franciscus Anicium proficiscitur.

triumphaturo similem. Exconsules & Consiliarios quatuor qui venientem conducerent Ciuitas delegarat. Hi suo functi officio in Sacellum Beatæ Mariæ Virginis, quam Pietatis vocant ad suburbium Bouis introduxerunt Episcopum, qui precibus breuiter fusis ante altare versus ad populum & Ciuitatem solemnibúsque indutus ornamentis sedit in faldistorio & Magistratuum orationes auscultauit. Venerunt primi Consules togati ebeninis innixi baculis, pro quibus Michaël Viollo Nouellanus Causarum Patronus, in absentis Petri Cransij locum suffectus orauit elegantissimè, idémque à Consilio Ducis Nemorosij & Gebennesij, curiáque rationum factitatum est: quibus omnibus cum suauissima responsione dimissis, omnes ordines Præfectus Ceremoniarum iussit procedere. Primus ibat vnus ex publicis Ciuitatis famulis purpureâ opertus chlamide & sequebãtur Capucini fratres; bini & bini, Franciscani Minores regularis obseruantiæ. Fratres Ordinis Prædicatorum; Canonici Regulares Prioratus sancti Sepulchri Hierosolymitani Ordinis Diui Augustini, Administrator & Vicarij Parœcialis ædis Diui Mauritij, Canonici Collegialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis lætæ. Pòst veniebat Cathedralis Ecclesia prorsus magnificè, cuius Musicis lætis cãtibus vicis omnes personabant, & ex eadem Cantores duo è senioribus, induti trabeis & mitris, innixíque magnis argenteis baculis Ecclesiasticos ordines claudebant speciosissimè. Veniebat mox Sacerdos indutus supparo solus, portabátque pontificale pedum sublime erectum. Ab hoc Canonici duo gremiale medium à superioribus angulis tenentes: Pontifex ipse solus graui passu incedens genuflexum circumquaque populum sacra manu benedicebat, & super eum, Michaël Viollo Nouellanus, Ioannes Baptista Furneus, Stephanus Spinanus, & Franciscus Fenollietus Consules, Vmbellam sustentabant. A dextris autẽ & sinistris assistebant duo Canonici, quos sequebãtur Sacerdotes induti supparis duo, mitráque gestantes manibus. Continuò Magistratus, Viri Nobiles, Ciues, & hominum vtriusque sexus turba innumera interim dum sub harmonicis campanarum tinnitibus vniuersa Ciuitas velut tripudiaret. Ad Portam Osiris seu Bouis vt ventum est, videre erat gentilitium Præsulis symbolum, & sub eo Vrbis parmam argentea trutta in tæniam super coccineum solum dispósita constantem, circumdatámque coronâ laureâ cum hac

Orationes ab ordinibus.

Aduentus pompa.

Introitus in Ciuitatem.

anima.

anima. Sacro Præsuli Ciuitas Hospita. Stabat in armis ad portæ custodiam Anicienſis pubes quæ longis canteriatarum catapultarum fragoribus Pastorem pacificum salutauit. Per vicos passim populus cum plausibus vitam & fœlicitatem acclamabat, fluebântque è plurimorum oculis præ gaudio lachrymæ. Patebat reuolutis valuis Diuo Franciſco ſacra ædes quæ Cathedralis locum habet, & eius faciem longè latéque versibus & picturis Chapuisianarum scholarum candidati instruxerant, sed Cathedrale Collegium duabus tabulis graphicè depictis maius ostium illustrarat. In prima Antistitis tesseram oculata fastigiatam virga qualem viderat Hieremias candidi duo canes erecti tenebant, velléque dicere videbantur, quod pictor carecteribus expressérat, nempe Pastori excubanti. In altera Diuus Petrus libro & clauibus insignis aureis coccineæ innitebatur parmæ, duabus itidem aureis clauibus decussatis illustri, aiebátque, Claudunt & aperiunt. Concionale pulpitum præter pastoris symbolum quod Angeli duo sustentabant quatuor exhibebat Epicheremata. In primo, Manus è nubibus exiens spinas & tribulos eradicabat, legebatúrque superius: Vt Euellas. In secundo, manus vnco ferro ex iniquitatis turri lapides deturbabat, & legebatur: Vt destruas. In tertio, Manus trullâ domum Domini inducebat, legebatúrque: Vt ædifices. In quarto, Manus vineam & oliuam immittebat terræ & legebatur: Vt plantes. Ad chori faciem quæ in naui est, pendebat tabella longa, in qua Deus Pater innumeris circumdatus Angelis, expansisque manibus ad hæc inferiora respiciebat, & legebatur: Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, sub nubibus armata Pallas victam premens Gorgonem, Episcopi tesseram oliuâ circumdatam Ioui seu Deo Optimo Maximo Parenti suo repræsentabat, & scriptum erat inferius: Diuina Palladis arte. Pretiosis tapetibus ornata erat Ecclesia vt sponsa sed ornatior fuit viro suo, qui eã ad maioris altaris mediũ adorato prius Sacramẽto osculo oris sui osculatus est. Tũ Claudius Stephanus Nouelletius Tallorienſis, Doctor Theologus Parisienſis facultatis & Cathedralis Canonicus, ex Archidiaconi Hermiciclo quod altari proximum, elegantissimâ oratione quam omnes auidis exceperunt auribus sacro Pontifici & Ecclesiæ fœlix faustúmque precatus est. Mox decantato Diuorum Ambrosij & Augustini hymno, necnon benedictionẽ factâ, cùm iam nox irrueret, in

Cathedralis Ecclesia vt instructa.

Franciscus osculatur altare.

Latitiæ hymnus decantatus.

in ſua quiſque tecta receſſit. Die poſterâ, quæ Dominica erat Aduentus tertia, aſcẽdit in pulpitum pauitque ſuos greges melle ſuauiſſimo, nam & Naſciturum breui Saluatorem Mundi miris celebrauit laudibus, & quæ dum ſacraretur viderat, Deo ſic permittente in Ecſtaſim rapto ſimilis & radiante ferè vultu enarrauit, vnde poſtea ſæpiſſimè erubeſcebat, ſed tantâ eſt affectus erga ſuum Ordinem & munus reuerentiâ vt vel minima Pontificia ornamenta vt res ſacras & myſticas, geſtaret attrectaret. Dirigendis maioribus negotiis vrgentioribúſque ſtatim animum adhibuit: quamobrem conuocatis Cathedralis Eccleſiæ ſuæ Canonicis prudentioribúſque è reliquo Clero Sacerdotibus, primùm quidẽ publicos ſui muneris Epiſcopalis creauit adminiſtros. Vicarium Generalem & Officialem Ioannem Fabrũ Antonij Præſidis fratrem Iurium Doctorem, in ſupremo Sabaudiæ Senatu Patronum, Priorem Monaſterij ſancti Michaëlis Alondenſis & Cathedralis Eccleſiæ Canonicum, Subſtitutum, Ioannem Deagium quondam Præceptorem ſuum, Doctorem Theologum & Cathedralis item Canonicum. Procuratorem fiſcalem Iacobum Fabrum Vſillionẽſem Cathedralis etiam Canonicum. Forenſes libelliones Mauritium Combanum Procuratorem, & Mauritium Montanum. Cuſtodem Carcerum, Claudiũ Furerium. Hos omnes mercede conduxit vt gratis & expeditè negotiatores dimitterent ageréntque abſque perſonarum acceptione, vel munerum ſpe iniquorum. Quia tamen nonnullæ ſunt expeditiones, vt vocant, pro quibus tum ad ſignum manus, cùm ſigillum & libellionis operam quædam pecuniæ perſolui rectè conſueuerunt, ideò æſtimationum codicem reformauit, omnéque pretium ad iuſtam mediocritatem, & ſecundùm Concilij Tridentini decreta reduxit. Cathechiſmum, quo nihil magis toti Reipublicæ ſalutare, in Collegiali Beatæ Virginis Mariæ Eccleſia primùm inſtituit, verùm quia Dominicana viſa fuit commodior, inſtitutum tranſtulit, dedítque ipſe initium operi in Sacello Diui Ioſephi, licèt poſteà aucto puerorum & puellarum numero, immò verò virorum & mulierum omnium conditionum & dignitatum in tres claſſes facta ſit diuiſio. Sub inuocatione autem ſanctiſſimi nominis Ieſu, Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ſponſíque caſtiſſimi Diui Ioſephi erectio fuit. Singulis diebus Dominicis ad meridiem puer vnus cęruleo

Franciſcus concionabundus velut radiat.

Franciſcus officiales ſuos creat.

Eos mercede conducit.

Æſtimationũ codicem reformat.

Franciſcus Cathechiſmum inſtituit.

cæruleo opertus sagulo in cuius medio ad dorsum & pectus depictum erat aureis caracteribus nomen Iesu in modum Crucis, procedebat per vicos Ciuitatis omnes campanulam in compitis pulsans, clamánsque, Venite, io venite ad Doctrinam Christianã, docebimini viam Regni cœlorum. Tum dato meridiei signo in sacella & classes destinatas omnes conueniebant. Cathechista statim ac ante altare genuflexerat, cantores duo à dextris eius & sinistris hymnum quo Spiritus sancti gratia inuocatur gratissimo cantu prosequente turba incipiebant. Oratione dictâ ascendebat Sacerdos in pulpitum, & in aduersa scamna pueri ex vna parte, & puellæ ex alia, recitabántque vicissim Catechismi Canisiani aut Bellarminiani partem aliquam; posteà Sacerdos fusiùs & quantum distinctissimè facilliméque poterat quæcunque dicta fuerant explicabat, difficultates enodabat, soluebat dubia, sæpè etiam ab auditoribus suis quæ dixerat repetenda, aut exemplis comprobanda quærebat, & in id Cathechisticum munus ipse Salesius alternatim cum suis Canonicis aut Religiosis viris incũbebat. Hora cùm fluxisset, vel Musica, vel Organis, aut solis vocibus modulatis pium aliquod canebatur canticum idiomate gallico, quod vel ipse Episcopus, vel quiuis alius composuisset, & sępissimè huic poëseos generi cùm licebat per otium Franciscus mentem & calamum applicabat, aut ex præclara Philippi Portani Thyronensis Abbatis versione psalmum aliquem curabat describi, committíque Musicis vti pium cantum inducerent. Bis in anno, idque diebus Dominicis ad solemnem supplicationem iubebat paruulos suos per totam vrbem procedere, & sequebatur eos ipse suis cum Sacerdotibus tanta pietatis specie vt ex ipso solo sui intuitu peccatorum corda ferirentur; & quotiescunque pueri aut puellæ rectè aut recitabant, aut respondebant ad interrogata, numismata benedicta quæ eis daret in præmium, rosaria, agnos Dei, libellos precum, pias imagines, & his similia semper habebat in promptu. Inualuerat in Ciuitate mos prophanus ingruẽte Hilariorum tempore, vt à Iuuenum ganeonum dissoluta caterua viri inscripta in chartulis, aut laureis foliis, aut rasis sericis spissioribus fœminarum nomina quas ad choræas ducere deberẽt & speciali cultu prosequi, & fœminæ pariter virorum; quæ folia hę Valentinos, illi Valentinas appellabant acciperẽt. Quanta cum pernicie vix dici potest, nam hoc pacto adigebantur vel

Ordo ad Cathechismum à Francisco stabilitus.

Solemnes supplicationes puerorum.

Franciscus Valentinorũ abusum tollit.

inuiti & inuitę ad insanientium consilium, omnisque subitò pietas à iuuenum quantumuis studiosè educatorum animis remouebatur,& mirum in modum nugæ, dissolutiones, & vitia præsertim carnis,fouebantur. Mederi huic morbo prouidus Salesius cupiens sedit illicò ad concionem & acriter in ganeones illos increpauit,edicto insolentiam illam inuocata etiam brachij sæcularis ope prohibuit, statuítque vt in Cathechismo sanctorum & sanctarum nomina piis Christianis distribuerentur quos toto anno peculiari deuotione colerent, ad exemplum Sodalium Parthenicorum Societatis Iesu, & hinc factum est vt quamuis non omninò prophanum illum morem tolleret, tamen minueret & pietati magnum adderet incrementum. Sed & aliud statuit aut suasit in eamdem rem, vt nempe quotiescumque horæ signum datur,muniat se vnusquisque signo crucis & religionis aliquem actum aut adspirationem in cœlum iaciat in recordationem Passionis Dominicæ, & vt hac ratione contritionis actum eliciat, qui præteritâ horâ peccauerit,caueátque sibi ad omne penè momentum ne incidat in laqueos diaboli,sed vigilet sciens eum esse tanquam Leonem rugientem, qui circuit quærens quem deuoret. Cæterùm mira prorsus in vniuersam Ciuitatem ex institutæ Episcopalis familiæ sanctitate suauitas diffluebat; nihil famulis eius modestius, nihil ad omnes religiosas actiones promptius,nulla inter eos iurgia,nullæ rixæ, nullus inter eos alearum lusus permissus,cœnobium dixisses nõ Pontificis palatium, adeò omnia in sancti domo sanctè fiebant. Arcebantur autem à cubiculis interioribúsque conclauibus mulieres, solùm dabantur eis area porticus & aula,nec vnquam prouidissimum hoc decretum mutatum est,quinimò cùm Franciscum de rebus domesticis intimus quidam,& de reliquo potens amicus per hæc tempora alloqueretur,suaderéque conaretur, vti mulierem aliquam ad linteorum curam,vt est earum genius,famulam acciperet. Respondit absolutè: Domine mi,tantum abest vt mulierem quantumuis anum & pudicam addere velim familiæ meæ, vt nec matrem ipsam meam cupiam vllo modo introducere. Consentaneum planè eius votis & decretis decretum. Dum hęc agit ad Quadragintadiale ieiunium peruentum est,& rogauit ipse charissimum sibi in Domino Ioannem Forerium adhuc cum eo agentem, vti verbi Diuini semen populis suis spargere dignaretur, quam rem

Franciscus ad singulas horas vult formari signũ crucis.

Francisci famuli religiosi & modesti.

Frãciscus mulieres à domo sua arcet.

Forerius

Forerius egit ſicut doctiſſimè ita piiſſimè, auſcultatore Saleſio, & multam breui Meſſem reportauit. Franciſcus verò quæ ſui erant muneris Pontificatus ſui initio diligentiſſimè peragebat. Sabbatho quatuor temporum poſt cineres ſacros generales Ordines in Diui Franciſci æde celebrauit, promouítque ad Sacerdotium virum quemdam exoticum tantâ à Deo donatum gratiâ vt Angeli ſui cuſtodis viſione frueretur. Is exactis ordinibus Æde exire volens ſtetit ad ianuam tanquam ſi cum aliquo diſceptaſſet ad honorem, voluiſſétque cedere. Aduertit inſolitam rem Saleſius tunc etiam fortè ad diſceſſum ſuperueniens, adhibuitque ſibi priuatim Sacerdotem illum qui faſſus eſt ingenuè ſe cum Angelo diſceptare, & cauſa eſt inquit, quia antequam Sacerdos eſſem præcedebat ſemper : hæſi verò nunc, quia hæſit & ille, nec ante me limen voluit ſupergredi. Miratus eſt Saleſius, & ex ea re Sacerdotij dignitatem poſtea ſæpiſſimè commendauit. Sed nec ob eminentem Epiſcopalem dignitatem indulgebat ſibi, vt pleriſque ſolent, quin imò ieiunium obſeruabat rigidiſſimè, ſcuticáque carnem macerabat ſuam vſque ad ſanguinem, ſanguinolentam enim ſcuticam ſuam ſæpius Confeſſario ſuo viro integerrimo reficiendam dedit. Fratrum pœnitẽtium ſanctæ Crucis exercitia peragebat, eóſque ſingulis ſextis feriis exhortatione ſacrâ conſolabatur. In nocturna ſupplicatione qua per totam vrbem itur feria quinta in cœna Domini, notatus fuit licèt cognoſci noluiſſet indutus ſacco vt alij, prætereáque nudis pedibus, denique nullum ſuis populis ſuadebat pietatis & religionis opus, quod ipſemet non exerceret. Superatis feſtis Paſchalibus. Sereniſſimũ Ducem ſalutandum, eſſe ratus Taurinum profectus eſt, vbi miris cumulatus honoribus, multa etiam pro ſuis Veragris Galliardẽſibus, & Terniacenſibus obtinuit; intelligénſque Iuuenalẽ Anicinam Salutienſem Epiſcopum Carmaniolæ agere, ad inuiſendũ eum ob antiquæ vinculum neceſſitudinis, perrexit; & populi vbi appuliſſe Saleſium Geneuenſem Epiſcopum cognouerunt; dici ſatis non poteſt quo ardore mentis, amica quadam vi ex hoſpitio publico in domum cuiuſdam nobilis ciuis inuexerunt: quandoquidem (inquiebant) hominem, qui honoris gratiâ ad ſuum dilectiſſimum Paſtorem diuerteret, vellent, ſi modò poſſent, in medio pectorum ſuorum recondere. Dies erat quintus ante Nonas Maij, Inuentioni Sanctæ Crucis, ac Diuo Iuuenali Epiſcopo &

Ordines celebrat.

Res mirã de quodã qui Cuſtodem Angelum videbat.

Franciſci in viuẽdo auſteritas.

Frãciſcus Taurinum profiſcitur.

Iuuenalẽ Ancinam inuiſit.

Con

Confeſſori ipſius Ancinæ Patrono, ſacer: quamobrem magna toto oppido religio erat. Ancina ſolemnem celebraturus Miſſam, hoſpitem duxit in Eccleſiam ; atque vbi decantatum eſt fidei ſymbolum, oblatáque æterno Patri Deo ſancta & immaculata hoſtia; rogauit eum, ſeu curauit rogari, vti ad Concionem in ſublime pulpitum dignaretur aſcendere : eum eſſe antiquorũ Epiſcoporum morem (inquiens) vt quotieſcunque alter alterum inuiſeret, Concionem quoque haberet ad populum. Obtemperauit Saleſius, & Crucis ſacratiſſimæ laudes tanta cum facundia & pietate celebrauit ; applicauítque auguſtiſſimo altaris Sacramento, vt omnium aures raperet & animos. Prologum autem fecit Italico idiomate, quo habito, dum Virginem ſalutaret, miſit ad eum Ancina Sacerdotem , qui populum adhuc Gallicum eſſe, nec enim ita pridem eum à Gallico Rege Sereniſſimus Allobrogum Dux fœdere receperat renuntiauit: Tum Saleſius Sermonis reliquum habuit idiomate Gallico, mirantibus imò ſtupentibus omnibus, ad tantam tanti Præſulis facilitatem, & in alterius arbitrium conceſſionem. Finito ſacro cùm ambo æde excederent, Saleſio congratulatus eſt Ancina, & tu Verè Sal es (inquit) alludendo ad nomen, Cui Franciſcus reſpondit modeſtiſſimè, immò tu ſal & lux es, ego verò neque Sal neque lux, alludẽdo ad Salutiæ nomen. Quæ poſtea ſymbolica dicta ſuis in litteris vſurparunt. Diſceſſerunt autem inuiti ab inuicem; tantis connectebantur virtutum & ſanctimonię nodis viri ſanctiſſimi. Hinc ad Diuam Virginem Montis-regalis miraculis claram peregrinatus eſt, rediitque ad ſolemnitatem Pentecoſtes, Pius Præſul, nec mora cùm ad feſtum Corporis Chriſti parari vellet gregem ſuum Dominicâ Trinitatis è ſublimi Cathedra, quæcunque ſequenti Iouis die obſeruari ad ſolemnem ſupplicationem oporteret, declarauit. Verùm quia ipſe auguſtiſſimũ Sacramẽtũ deferre volebat, vt debebat ſanè, adeóque ſupremos Cathedrales Canonicos adeſſe opus erat; Ecce à Canonicis Collegialis Eccleſiæ Beatæ Mariæ venit circa digniorem ordinem diſceptatio, immò & eo vſque creuit ſcandalum, vt & ipſi Conſules negarent Epiſcopo debere eum deferre Sacramentum, quandoquidem (inquiebant) hac in Ciuitate Collegiales Canonici Curiones ſunt, Cathedrales verò tui extranei & aduenæ ; Nec tuorum quiſquã anteceſſorum rem ſimilem vnquam tentauit. At Franciſcus forti

Concionatur Italicè & Gallicè.

Graue ſcandalũ ab Anicieñſibus in Franciſcũ.

ti respondit animo. Nec ego nec Canonici mei vt aduenæ hîc censeri debemus, hæc à vobis verba non expectassem. Qui mihi in hoc Pastorali onere præcesserunt, debiles erant, infirmi, & senes: ego verò cùm robustus sim per Dei gratiam, & sanus, quidni Domini mei corpus æquè portabo ac alius? Porrò scitote vnũ, quotquot hîc adestis, Episcopus ego sum vester, & ideò quæcũque Episcopalis erunt muneris ea exequar. Canonici verò Cathedrales Senatores & Consiliarij mei sunt, illos, vt in diuinis inseruiant mihi, non possum quin aduocem: atque sic ratum esto iure fiduciario, si quod vobis infertur detrimentum, deinceps videritis. Nos à decreto tuo appellamus, exclamarunt, & volumus Illustrissimum Nemorosij Ducem de omnibus certiorem fieri. Et ita sit (ait Salesius) Scribite quamprimùm, scribam, & ego; interim digniori, & iuxta me procedet Ordine Cathedralis Ecclesia (appellatione vestra nonobstante) & hoc saluis rebus vestris fiat. Dum expectatur Lutetia à Nemorosio respõsum, Collegiales Canonici noxarum suarum commentaria satis temerè in vulgus sparserunt. Gebennensem Episcopum (inquientes) hoc in negotio iudicem non esse legitimum, cùm iam aliàs dũ Præpositus esset & Canonicus, rem similem impugnasset: Eum absque præuia vlla contestatione, sed super simplici productione decreti vltra petita procedendo, non tantùm in dictam oblationem decreti prouidisse, sed etiam ad producenda coram se iura partes induxisse; & hoc modo se legitimum effecisse iudicem cùm esse non posset; quandoquidem se Canonicorum cathedralium, seu eorum Collegij caput diceret, nec possit à membris caput dissentire: adeóque eũ à iure formaliter arceri: nemini enim licet in sua causa ius dicere. Eum in decernenda iurium remissione contra normas omnes fuisse præcipitem. Suspectum esse prætereà quòd Canonici ferè omnes strictissimis vinculis sui essent, fratrem Germanum Ioannem Franciscum, Ludouicum Patruelem Præpositum, Ioannem Deagium quondam Præceptorem, duos Fabros Alondensem, & Vsillionensem, hunc Procuratorem fiscalem, illum Officialem & Vicarium; & Dionysium Granierium defuncti Episcopi ex fratre nepotem cohabitantem, eos omnes Cathedrales esse Canonicos. Cæteros aut consanguineos, aut affines, aut alicuius muneris administros. Episcopum decreto suo ad petitorium duntaxat tendente, voluisse

Francisci fortitudo.

Canonici Anicienses commẽtaria in vulgus sparguns.

tacitè occultare poſſeſſorium, quod noxæ eſſet appellantibus, cùm multa ſint cõmoda poſſeſſionis, eâmque à viginti, triginta, & amplius annis habeant: ita vt non ſit contrarij memoria. Indignum eſſe ab Aduenis indigenas expelli, & à ſuis ſedibus deturbari. Aduenas autem & peregrinos eos verè & propriè cenſeri, cùm non animo ciuitatem Anicij conſtituiſſent, ſed futuram sẽper inquirerent; & poſſeſſioni acquirendæ neceſſarium eſſe animum acquirendi: Non valere quod dicerent Cathedrales, Reuerendiſſimo Epiſcopo vbique primum locum deberi; ſe autem ab eo non poſſe diuidi, ſicque immediatum ſibi ordinem cedendum. Nam eos non ita caput & corpus eſſe inſeparabilia, quin diſtinctam haberent iuriſdictionem, bona, reditus, & negotia omnia, ita vt nihil inter eos & Epiſcopum commune eſſet. Incongruum minimè eſſe, ſi Epiſcopo daretur dignior locus, & inſeruirent ei ipſi Collegiales Canonici, nam ſi Cathedrales ſequerentur eum, in tanto numero, quanto ſunt, veros poſſeſſores expellerent; quæ res probroſa eſſet, & afferret populo ſcandalum, ſi migrarent veteres coloni. Politicæ rationem eſſe, vt ſi è Cathedrali Eccleſia egrederetur proceſſio, ipſi Cathedrales poſtremi egrederentur: quod cùm non ita eſſet, nouiſſimum ſibi ipſis Collegialibus ordinem relinquendum, deberéque ſic intelligi Cærimoniarum librum, quo tantoperè Carhedrales gloriabantur. Nullius eſſe momenti redditam aduerſus Angelum Iuſtinianũ quondam Gebennenſem Epiſcopum ſententiam, qua dabatur Cathedralibus dignior ordo, cùm ipſe aliter ſtatuiſſet; vt ſcilicet æquali ordine, bini, & bini, cum Cathedralibus Collegiales procederent: inauditâ enim parte rem inter alios actam fuiſſe, Epiſcopum non minus Collegialis Eccleſiæ caput eſſe quàm Cathedralis. Et idcircò rectè ſtatuiſſe vt ex duobus illis corporibus vnum fieret, cuius ipſe ſemper commune caput eſſet. Eundem Epiſcopum præterea ad ius Patronatus, quod in Collegiali habet Eccleſia Illuſtriſſimus Dux Nemoroſius, quódque hac ſuorum Canonicorum expulſione maximè læditur; & Anicienſes Ciues omnes eiuſdem Eccleſiæ Paroeciani, & ſpernuntur, & magno afficiuntur ſcandalo. Hæc & alia ex optimis (vt aiebant) cõſiliis plebeiorum auribus ingerebant, nec erat ipſe Saleſius Epiſcopus inter hos rumores à calumniis immunis, quin imò dixiſſes omnia in eum coniuraſſe. Cathedralibus tamen Canonicis, vti ad

ea

ea omnia resſponderent,conſilium fuit ; ſparſerunt igitur pariter in publicum , Non admittendos ad appellationem Collegiales, ob prætenſas noxas,quandoquidem non niſi interloquutoria eſſet ſententia à qua appellabatur,&appellatio iudicanda eſſet, ex iiſdem actis,& iis quæ in prima inſtantia deducta erant.Propoſitas noxas aliud non eſſe quàm exceptiones dilatorias , & cauſas ſuſpicionis,& recuſationis , quæ in prima inſtantia coram Reuerẽdiſſimo Epiſcopo minimè fuiſſent propoſitæ. Et quamuis fuiſſent decreti tempore , immò & antè propoſitæ coram iudice à quo, inadmiſſibiles fuiſſe;cùm longè antea prorogata fuiſſet ante eumdem iudicem Iuriſdictio;per decretum, quinto Calendas Iunij,latum inter partes,quo ſex menſium dabatur dilatio ad exhibenda iura & chartas ad prærogatiuam prætenſam, & poſt adhuc menſis vnius, decreto ſecundo. Tempore primi & ſecundi decreti eaſdẽ fuiſſe ſuſpicionis & recuſationis cauſas, quas cùm non propoſuiſſent eum iudicem approbaſſe & conſenſiſſe ei. Hæc,quæcunque poſteà propalaſſent,alieniſſima à ratione effeciſſe;nec recuſationes huiuſmodi cauſæ cognitionem meruiſſe; vt neque ſi Epiſcopus eorum Collegij caput eſſet. Præcipitem verò poſt ſeptem dilationis menſes cenſeri eum non niſi ab excæcatis animis potuiſſe. Rem autem illam intra triduum potiùs, ſimplici nudáque formula ſine ſtrepitu & figura iudicij terminari debuiſſe. Si tunc recuſationes eas propoſuiſſent , quas poſteà propoſuerant in Reuerendiſſimum Iudicem,& eius adminiſtros ſe procul dubio conſenſiſſe,vt recurſus ad aliam haberetur ſedẽ. Neque eos in metropolitana Viennenſi Curia admitti debuiſſe, cùm iam in ſimili aduerſus eos decretum ab eadem Curia latum fuiſſet Auguſto menſe, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, quo prouocati in ſuis prærogatiuæ iuribus vbicunque & quomodocunque conſeruabantur,Prouocatores verò omninò à prætenſione illa prohibebantur , arcebantur , ſub interdicti & excommunicationis pœna. A quo decreto licèt appellatum fuiſſet , nihilominus appellationis iure cecidiſſe & excluſos tempore. Quamobrem flocci pendendam appellationem illam , ſicut & deductionem poſſeſſionis prætenſæ cùm aliter ex decreto & enunciatis conſtaret inſtrumentis. Cæterùm habere ſe probandę cauſæ authoritates,Ius cõmune,Sacros Canones,Sanctorum Conciliorum decreta, Summi Pontificis præ-

Cathedra. lium Canonicorum reſponſiones.

ſcriptum, in Cæremoniali Epiſcoporum libri ſecundi capitibus trigeſimo ſecundo & trigeſimo tertio. Et præterea Cardinalis Comenſis ſententiam, qui hac de re ex mandato ſummi Pontificis ad Gebennenſem Epiſcopum ſcripſit, vti Cathedralis Eccleſiæ Canonicis digniorem ordinem daret. Ius hoc prærogatiuæ Superiori debitæ nullo temporis lapſu præſcribi potuiſſe, ac tandem conſentire ſe, vti alibi quàm coram Gebennenſi Epiſcopo lis hæc diſceptaretur; quandoquidem ſuſpectus ille cenſeretur.

Henricus Dux Nemoroſius rem exagitari curat.

Hæc dum geruntur Anicij; Henricus Sabaudus Dux Nemoroſius, acceptis Saleſij Epiſcopi & ambarum Eccleſiarum litteris, rem inter viros Iuriſconſultiſſimos voluit exagitari; & exagitatam ad Antonium Fabrum Gebenneſiani ſui Conſilij Præſidem miſit. Summa erat, vt ſeruaretur ordo Lutetiæ ſeruari ſolitus,

Franciſcus Nemoroſii ſtatutum euertit.

quoties Cathedralis Eccleſia Beatæ Mariæ cum Collegij Sacelli Regij, & Diuæ Genouefæ procedit. Verumtamẽ ſtatutum illud euertere difficile non fuit Saleſio: oſtendit enim quænam & quotnam ſequerentur incongrua, cùm non ita ſe habeant ea ſacra Collegia erga Cathedralem Pariſienſem, ac Anicienſis Eccleſia erga Gebennenſem; Canonici enim Sacelli Regij exempti ſunt, & tanquam Cathedrales cenſentur ex priuilegio Chriſtianiſſimorum Regum, ſeu ipſis Regibus ab Apoſtolica ſede conceſſo. Idémque de Eccleſia Diuæ Genouefæ. At Collegialis Anicienſis modis omnibus dependet ab Epiſcopo & ei ſubdita eſt, & Sede vacante Cathedrali Eccleſiæ, ſeu generali Vicario ab ea conſtituto. Nemoroſius rationes illas facilè audiit, & admiſit, ſcripſitque ad Canonicos ſuos Anicienſes,

Anicienſes prouocant Cathedrales ad Metropolitanum.

vti Gebennenſi Epiſcopo parerent, ſed illi temerario ſatis auſu (quem tamen poſtea emendarunt) Cathedrales, ad Viennenſem Metropolitanum Iudicem ſpreto Saleſio prouocarunt. At Saleſius nouis vndique circumſeptus & difficultatibus & negotiis, conſtanti virtute pergebat admirabilem ſe, & amabilem bonis omnibus reddere. Vicecomes Maior & Conſules vrbis Diuonienſis eum ad ſacras Conciones Aduentus & Quadrageſimæ populo habendas optauerunt, ſcripſerúntque ad eum

Franciſcus rogatur a Diuionenſibus ad Ceniones.

vti petitionibus & deſideriis dignaretur annuere. Periculoſus erat per hæc tempora & ſuſpicione plenus bellorum causâ in exteras regiones commeatus. Quare Saleſius, cuius prudentiam nemo ſuperabat, Sereniſſimum Ducem de Diuionenſium petitione

tione per litteras certiorem fecit;rogauítque vt illuc eũdi (dummodò publicæ res non læderentur) ſibi licentiam impartiri dignaretur; rogauit, & in eamdem cauſam ſummum Pontificem, quo inconſulto nihil agebat;ſed facilior fuit ab Apoſtolica Sede permiſſio quàm à Duce; Dux enim ad rationes ſtatus attendebat, & quidem primâ fronte renuit, ita vt iam de concionibus Aduentus cogitandum non eſſet ampliùs. Diuonienſes tamen Ducem ipſum rogandum rati, ſuperatis difficultatibus omnibus quas Callidus Satanas contexebat; Deo ſic diſponente tandem quod petebant, ſummo ſuo gaudio obtinuerunt; vt ſcilicet ad ſequentis anni Quadragintadiale ieiunium virum Apoſtolicum Gebennenſem Epiſcopum poſſidere poſſent. Sed non vacauit interim Saleſius. Gexenſis Eccleſię reſtitutionem integram, quandoquidem Rex Chriſtianiſſimus non tantùm conſentiebat, ſed & volebat, imis gerebat infixam præcordiis. Statim ac intellexit Rogerium Ducem Bellegardium, Parem & Hipparchum Francię, necnon Heduorum Sebuſianorúmque Proregem, cum vxore, Barone Luxio, & Præſide Ianino Bellicij agere. Rectà Bellicium, ſuperato Seſſelli Rhodano, profectus eſt; quarto Idus Auguſti, Diuo Laurentio feſto, qui etiam Dominicus dies erat, in Cathedrali Eccleſia Epiſcopi & Canonicorum precibus concionatus, mirâ prorſus pietatis ſuauitate auditores recreauit, luce poſtera Malliantini Vallozij Dynaſtæ filium ſolemni pompâ ad ſacros detulit Baptiſmatis fontes; hinc cum Bellegardio Gexum verſus viam iniit. Miniſtri autem Gexenſes nullum non mouerunt lapidem, vt irritum redderent Senatuſconſultum Diuionenſe in fauorem Saleſij latum, iuxta litteras & placitum Regis; & multum Saleſio dedere negotij; ipſe tamen quo valebat animi robore omnes remouit obices, & ſacroſanctam religionem aſſeruit; Quoſcunque Eccleſiaſticos reditus, locorum præſertim trium, Gexij, Fargiarum, & Aſſerenti, è Miniſtrorum manibus abſtulit: Plura fecit, nam viros nobiles duos, & qui litterati audiebant, ſequebantúrque Ducem Bellegardium poſt longas diſputationes (diem enim inſumpſit integrum) tandem à Caluinianis erroribus ad Orthodoxam Romanam fidem conuertit, nec ceſſauit prius quàm teſtibus illuſtriſſimis tot Toparchis, qui tunc Gexij aderant, illi ſuas hæreſes abiuraſſent. Exiguo tempore quo moram in illo agro traxit, alios quamplures Neophitos

Franciſcus Bellicium proficiſcitur.

Et Gexiũ.

Franciſcus duos Nobiles conuertit.

Franciſco Miniſtri venenum propinant

fecit, ita vt irâ Miniſtri perciti venenum ei propinarint, quo facinore callidè perpetrato in vehementiſſimam febrim ſtatim inciderit; neque tam malè comijciebant, qui à morte metuebant ei, niſi tandem Medici detectis morbi cauſis, dato alexi pharmaco virus abigendo, vires etiam reſtituiſſent. Sanus effectus in gratiarum actionem non redditæ ſibi tantum ſanitatis, ſed etiam exactæ Veragrorum, Terniacenſium, Galliardenſium & Gexenſium conuerſionis: ad Diuę Virginis Mariæ Tononenſis ædem Septembri menſe peregrinationem Anicio pedes inſtituit; Quibus laboribus (nam & viginti quatuor milliaria confecit, & torridiſſimus adhuc æſtus erat) vix dici poteſt. Penè confecti ſunt lachrymis Tononenſes ſuum videntes Apoſtolum, tanto Chriſtianæ & veræ virtutis amore demiſſum, & ipſe abſtinere non potuit quin ſynceri in eos amoris teneritudines exerceret. Exierunt verò ei obuiam Conſules; & ex Ciuibus primarij, qui madentem non ſudoribus tantùm, ſed & lachrymis, in Diuę Virgini ſacram ædem introduxerunt; Præ omnibus affecti ſunt gaudio filij eius chariſſimi, Sacerdotes congregati ſanctæ Domus, à quibus diu, vt ſibi videbatur, abſens fuerat, eorum inſtitutionem authoritate nouâ confirmauit; Tononenſium animos in Catholicæ fidei perſeuerantia ſolidauit, & nonnullorum, qui hucuſque in hæreſi obſtinati remanſerant, adeò concuſſit; vt & tandem vicerit: inprimis autem Claudij Foreſterij viri Nobilis Domini Aquarienſis. Is Saleſium ſemel & iterum conuenerat, ſuáque omnia circa fidem dubia propoſuerat, cúmque aliquando tandem à Saleſio conuictus fuiſſet, at non perſuaſus, Genèuenſes (ait) Miniſtros pro ſe doctiùs & potẽtiùs reſponſuros; quãdoquidem non ſuum eſſet omnes Caluinianæ doctrinæ articulos ad extremum propugnare; quippe qui tractando enſi eſſet magis idoneus quàm ſoluendis Theologicis difficultatibus. Tunc Saleſius, Ego verò (inquit) libertatem tibi facio, vti Geneuam profiſciſcare, meóque nomine Miniſtros ad diſputandum prouoces, aut ab eis obtineas liberum mihi, idcircò commeatum. Functus eſt legatione ſua Aquarianus; at Miniſtri non indigere ſuam fidem diſceptatione (inquientes) cùm non niſi ſophiſmatibus Papiſtæ agerent, recuſarunt; & Saleſius Tononi pergebat, ſacris reſtituendis ritibus operari. Samboni Tononenſi ſuburbio, dum Cæmeterium benedicit, fitque ſupplicatio, ecce turbatur repen-

Franciſcus ad Diuæ Mariæ Tononienſis peregrinatur.

Franciſcus Foreſterium hæreticum mouet.

Franciſcus diſputationem Gebonnenſibus offert.

tè

tè nubibus cœlum,irruit tempestas magna mixta ventis,fulguribus,tonitruis,imbribus,& tantâ grandinum vi,vt peritura omnia putasses:Hæretici,qui ad videndas ceremonias quas superstitiones appellabant,fortè accurrerant; irridentes Salesio,& mouentes capita sua,En (inquiebant) vt punit Papistas illos Deus. Quæ verba cum Salesius audisset,immò verò(exclamauit)effectus est iræ diaboli, quem ab iniqua sua iam possessione per vittutem Spiritus sancti deturbamus,mox exorcismis cõiurato & fatigato cacodæmone,rediit serenitas & tranquillitas magna.Salesius suis Sacerdotibus Tononensibus valedicens, hoc eis reliquit monimentum. Clemens octauus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex Maximus, motu proprio Franciscum Salesium Ecclesiæ Gebennensis Præpositum, Domui Tononensi sacratissimæ Virginis compatientis,non ita pridem adscripsit,& præfecit.Idem verò Franciscus, paulò post Episcopus & Princeps Gebennensis effectus, ac vinculo præfecturæ domus Tononensis solutus, se totum qualis quantúsque est eiusdem societati,spontè & libens dedit,dicauit, addixit, summis imísque votis supplex exoptans; vt Augustissimum Iesu Mariæque nomen ex æde Tononensi, sicut oleum effusum & cinnamomum ac balsamum aromatizans, in reliquas totius Diœcesis, maximè verò Ciuitatis Gebennensis plateas & ædes diffundatur; & quasi myrrha electa odorem det suauitatis. fiat,fiat. Tonono petiit Viuuium Salatij. Ditio est, quam aliter Thiacensem appellant,Episcopali mensæ addicta,soláque quam perduelles Geneuates non vsurparunt: Huc Aquarianus Ministrorum vecordia ad orthodoxam fidem adactus, confestim venit ad Salesium,& per fidei professionem, quam eius in manibus emisit, omni hæresi nuntium misit, vixítque deinceps vir verè Catholicus. Extat in remotissimo Falcinatis tractus angulo antiquissimum & illustre Canonicorum Regularium, Ordinis Diui Augustini Monasterium, cuius olim primus Abbas, vitæ sanctimoniâ & doctrinâ floruit Beatus Pontius, ex illustrissima Falcinatum Baronum prosapia oriundus,quem etiam variis,post mortem ad eius sepulchrum miraculis Deus illustrauit, locus asper inter altissimos vndequaque montes,perpetuo quasi frigore rigidissimus & salebrosus, ac denique qualem antiqui illi solitariæ vitæ amatores solebant eligere: Ex eo Canonici regulares duo, Franciscus Biordus, & Nicolaus Desfayetus antiquæ Regularis disciplí

Franciscus turbidum & pluuiũ cœlum serenat.

Franciscus se totum Tononiensibus dicat.

Foresterius abiurat hæresim.

Abbatia Sixiensis.

disciplinæ, quę temporum iniuria collapsa fuerat, auidi, Salesium non ita pridem conuenerant, rogauerántque supplices vti Monasterium suum visitatione dignaretur, & constitutiones reformaret: Salesius arcendas ante omnia, donec profectionem iniret, fœminas censuit; & modum prescripsit, tum opportuno tempore octauo Calendas Octobris, comitantibus eum Canonicis Sallatio perrexit ad visitationem, luce posterâ celebrata Missa Iacobum Mouxiacum Abbatem, Ioannem Moccandum Priorem, Bernardum Passerium, alterum Ioannem Moccandum, Franciscum Biordum, Petrum Puginum, Claudium Passerium, Nicolaum Desfayetum, & Danielem Lucingium, Canonicos, cæteróque (vt aiunt) præbendatos conuocauit, & coram se stantibus declarauit se ad eos, & eorum Abbatiam accessisse, vt omnia, quæ ad eorum mores, vitam & conuersationem, necnon ædificia, bona, ac iura pertinebant, visitaret; tanquam Superior se enim id facere debere, & posse iuxta antiqua Episcopatus Gebennensis iura & consuetudines. Quare si quid haberent quo existimarent id fieri non debere, liberè panderent. Cui omnes, eâ qua decebat reuerentiâ Illustrissimum & Reuerendissimum Gebennensem Episcopum ius habere visitandi Abbatiam & personas, nolléque id vltra rationem aut impugnare aut impedire, respondérunt: Conuersus igitur ad Abbatem, quem à multis annis pacificum possessorem nouerat; interrogauit, num esset Commendatarius an titularis? Qui respondit, se ignorare, quod iampridem Apostolicas suę prouisionis litteras Camberij in quadam lite productas non vidisset, sibi tamen à Supremo Sabaudiæ Senatu, correctionem Religiosorum interdictam, quasi titularis non esset; vnde nec habitum religiosorum deferret, administrationem tamen bonorum temporalium sibi competere. Interrogauit postea religiosos, num essent professi? Respondérunt se non expresè, sed tantùm implicitè & tacitè professionem emisisse sub regula Diui Augustini. Inquisiuit de iuribus & eorum instrumentis, decreuítque quæ circa hæc necessaria erant. Hinc de religiosorum numero, quos duodecim esse ex antiqua institutione voluit. Sacrum officium iuxta vsum à Concilio Tridentino editum decreuit, tùm priuatim cùm publicè in choro recitandum. Psalmos pœnitentiales propter morem ante diurnum officium recitari posse: ita tamen vt nemo ad huiusmodi recitationem

Franciscus Abbatiam Sixiensem visitat.

Franciscus optima Sixij statuit.

tionem extra chorum, nisi ex Breuiarij Tridentini præscripto teneretur. Quotidie vt minimùm quatuor Missas celebrandas, & quibusdam etiam certis diebus quinque. In altari propè subsellia inuenit imagines vetustate & corrosione deformes, quas iussit auferri, & clam intra claustra in loco honesto comburi. Septa ac muros Monasterij disciplinæ religiosæ cum primis necessaria, quæ duabus tantùm portis clauderentur, restitui. Interim tamen mulieres intra septa, vel dirutorum murorum notas, ne admitterentur. Ex Abbatia, sine Prioris licentia, nullus ex religiosis sub quocunque prætextu deinceps discederet; neque Prior, nisi seniorem religiosum de suo discessu monuisset, licèt tamen ab eo licentiam accipere aut petere non teneretur. De Communi mensa restituenda, tunc statuendum reliquit, cùm media necessaria suppeterent, quibus Monasterium carebat. Item de voto expressè faciendo, cum de constitutionibus, quas postea dedit sanctissimas, constaret; sic sensim à minimis ad maiora putabat procedendum Pontifex prudentissimus, & his omnibus, tum Abbas, tum religiosi, se obtemperaturos responderunt: & quæ licèt parui viderentur esse momenti, scientibus tamen quàm in eo Monasterio labefactata fuisset disciplinæ regularis obseruantia, magna prorsus restitutionis futuræ rudimenta videbantur. Præteritis annis sexcentesimo & sexcentesimo primo, tam vastæ rupium exesæ vetustate crustæ in Sixenses agros ruina exciderant, longéque & latè subiectos sibi pagos vastauerant, hominibus etiam & pecoribus obrutis, vt miseranda cuiuis humano cordi locorum illorum facies, atque adeò cæterorum incolarum iactura esset: Hi, vt ex gratia à tributaria functione, sequentibus aliquot annis, immunes essent; frustrà in suprema Rationum Sabaudiæ Curia Camberij egerant; quare ad extremam adacti penuriam, Salesium supplices & ærumnosi conuenerunt, rogauerúntque, vti & loca illa lustrare, & de perspectis sibi miseriis ad Serenissimum Ducem postea scribere dignaretur. Consensit Præsul optimus, & ad stupendas abyssos illas sex milliarium iter, per aspera & confragosa loca conficiens pedes, accessit; neque enim equiti aditus esse potuisset, vidit miserámque hominum illorum sortem miseratus, omnem suam opem pollicitus est; quamobrem datis ad Serenissimum Ducem, Gasparem Geneuensem Marchionem Lulliniam, & Ludouicum Millietum Ma-

Salezij zelus, & erga proximum charitas.

gnum Sabaudiæ Cancellarium, litteris, tantùm effecit, vt Parœciani tandem libellorum ſuorum ſupplicum fines obtinerent: ſic nullibi à pietatis, iuſtitiæ, & charitatis operibus, vir ſanctus vacabat. His autem exactis Tononum rediit, vbi ſacros generales ordines celebrauit, & luce poſterâ Anicium reuerſus eſt. Edictum Synodi iam à tertio Idus Auguſti promulgarat, quo vniuerſis in ſua Diœceſi conſtitutis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Canonicis, & Eccleſiarum parœcialium Rectoribus, præcipiebat; vti ad Anicienſem Ciuitatem ſexto Nonas Octobris horâ octauâ matutinâ comparituri accederent, & omnia, quæ in Eccleſiis ſuis accidiſſent, conſtitutis obſeruatoribus reuelaturi, & ne commiſſæ eis oues paſtoris deſtitutæ ſolatio viderentur; eas, & maximè infirmas, antequam accederent, viſitarent; quibuſque neceſſarium foret ſacramenta conferrent, ac Eccleſias Sacerdotibus, Vicariis, & non vocatis, committerent; quouſque peracta Synodo redirent. Calendis igitur Octobris in aula Epicopalis palatij, Cathedrales, & Collegiales Canonici, cæteríque alicuius notæ Sacerdotes Curiones, coram Saleſio, dato meridiei ſigno, conuenerunt, & in hoc conuentu de die craſtina deliberatum eſt: locus Synodi aſſignatus, Promotor creatus Ludouicus Saleſius Gebẽnenſis Eccleſiæ Præpoſitus. Magiſter Cerimoniarum inſtitutus ex Cathedralibus vnus, Obſeruatores conſtituti ſtabilitáque cætera dirigendæ rectè Synodi officia. Ortâ luce poſtera in Cathedrali Eccleſia (ornamẽ tis ſolemnibus) à Pontifice Miſſa de Spiritu ſancto, decantantibus alternis Muſicorum choris, celebrata; & poſt eam generalis Sacerdotum ſupplicatio per totam vrbem inſtituta, in qua videre erat, præter Canonicos, centum Curiones ſupparis indutos: Ibat nouiſſimus Saleſius mitrâ & trabeâ inſignis, quem plurimi etiam Sacerdotes ſequebãtur. Dato circulo Ioannes Ludouicus Iaquerius Collegialis Eccleſiæ Anicienſis Canonicus, in ſublime pulpitum eleuatus, de Sacerdotij & Sacerdotum dignitate, authoritate, & neceſſariis moribus, longam & elegantiſſimam orationem habuit, ad quam Saleſius è ſummi altaris medio, vbi ſedebat in faldiſtorio, centum verba idiomate Gallico addidit; atque ſic manè exactum eſt. Tertius à prandio conuentus habitus in eadem æde, & Iacobus Faber Vſillionenſis Cathedralis Canonicus, & Epiſcopatus fiſcalis Procurator (petita loquendi licentia) expoſuit Abbates

Franciſcus edicto Synodum indixit.

Ordo Synodi Gebennenſis cleri.

Officia.

Miſſa.

Supplicatio.

Oratio.

bates omnes, Priores & Curiones ad Synodum edicto fuisse vocatos, abesse tamen quamplures, in quos deserti Vadimonij authoritatem sibi dari postulauit; & pro vtilitate vlterius ad Synodi celebrationem procedi. Pontifex iuxta exposita & petita decreuit, tum creatis & nominatis decem examinatoribus, duodecim cleri constitutis, viginti Decanis seu superuigilibus, quorum bis in anno commissas sibi Ecclesias visitandi, Curiones corrigendi, Contumaces deferendi, in minimis ex necessitate dispensandi, & his similium cura esset; ad generalia statuta deuentum est. Antiquorum Conciliorum sacri Canones; quibus Ecclesiasticis personis, ne suis in domibus suspectas mulieres retineant, prohibetur; denunciãtor, & iterum promulgantor; & quantùm opus erit ad rigidæ punitionis pœnam noua prohibitio lata esto. Superuigilibus Diœcesanis, super obseruatione festorum in parœciis sibi commissis (vbi necessitas fuerit) dispensandi facultas data esto. Omnibus Curionibus, & quibusuis aliis præsertim verò officialibus laicis, ne dent dispensationes huiusmodi, inhibetor. Super controuersia, quæ oriri posset inter Curiones pro Eleemosynis, in exequiis fidelium, qui in vna parœcia moriuntur, & sepeliuntur in altera, dari solitis, luminaria inter Curiones: qui etiam pro defuncto preces fundent, & sacrificabunt, æqualiter diuiduntor. Curio nihilominus qui corpus sepelierit annuum officiũ celebrato & hoc pacto sindon cæteræque funeralium eleemosynæ illi remanento. Aliæ quæcunque controuersiæ superuigilum iudicio remittuntor. Curiones omnes populum suum Roberti Cardinalis Bellarmini Catechismum Dominicis & festis diebus hora opportuna docento. Et in hanc rem feriatis diebus pueros qui respondere queant instruunto. Ecclesias suas præsertim choros profanis suppellectilibus illuc bellorum tẽpore asportatis yacuari curanto, nec quidquam deinceps absque euidenti necessitate reponi permittunto. Ecclesiastici omnes sacrosancti Tridentini Concilij decreta in omnibus & per omnia, peculiariter autem in iis quæ ad Diuini officij & Missæ celebrationem spectant obseruanto. Nemo in posterum ad examen pro Presbyteratus ordine nisi qui superuigilis testimonium circa perfectam vsuum sacri Concilij scientiam afferat recipitor. Omnes Curiones suis Ecclesiis ad reponendum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum tabernacula & alabastros procuranto. Re-

Quid de absentibus.

Archipresbyteri.

Statuta.

Dispensationes.

Exequiæ.

Cathechismus.

Concilium Tridentinum.

Sacri Ordines.

seruatas pro infirmis sacras Communiones prima quaque mensis Dominica mutanto. Sacramentum, quod in festo Corporis Christi expositum fuerit, posterâ octauæ die consumunto. Curionibus omnibus & curam animarum habẽtibus nisi legitimè excusentur sub pœna priuationis suorum beneficiorum residentia denunciator. Ecclesiastici omnes habitum modestum & decentem, tonsuram & coronam clericalem & barbam in superiori labro tonsam gestanto. Ad Cauponas & Oenopolia ne accedunto, nec ad id vlla exceptio vel prætexta causa etiam litium compositionis suffragator, quod de loco residentiæ intelligitor, alibi cum ex necessitate in diuersorio cibum capere continget modesti & sobrij sunto. Nullibi illicitis lusibus ludunto. A licitis in plateis, compitis, vicis, viis & aliis locis publicis abstinento. Cum canibus & catapulta nunquam & nullibi venantor, nec catapultam vllo modo deferunto. Omnes Curiones sanctum oleum quotannis ab iis qui ad distribuendum constituti sunt accipiunto, & ea in vasis mundis nec fragilibus tenento. Et constituti eos qui acceperint in codicillum referunto. Nullus Ecclesiasticus pro sanctissimæ Communionis exhibitione sub quouis prætextu quantumuis pio pecuniam directè vel indirectè vllo modò sub rigidæ & exemplaris castigationis pœna petito. Nullus in ea sacra monitiuncula seu lectione, quam Præconium vocant, res & negotiationes sæculares & prophanas, sed eas tantùm quæ Deum & animarum salutem spectant publicato. Curiones non deinceps Nobilibus & aliis fœminis vt in Ecclesiarum choris sua scamna habeant aut noua erigant permittunto. Vt tollantur ea quæ ex abusu erecta fuerunt procuranto. Vt Ecclesiarum Cancelli vitrei integri sint, ij præcipuè qui altaria respiciunt, solliciti & prouidi sunto. Nemo deinceps nisi peculiariter & rursum approbatus exorcismis vtitor. Nemo exorcistarum diabolo, vti sortilegos nominibus propriis aut aliquod peccatum reuelet imperato. Nundinas, nisi in necessitate, quæ rarò contingit, Ecclesiastici fugiunto: Cùm adesse oportuerit, non vt negotiatores & mercatores, sed vt veri Sacerdotes se gerunto. Omnes animarum curam habentes, Baptismatum, Matrimoniorum & sepulturarum commentaria faciunto, & prouidè conseruanto, & ad Synodum signata apographa Curiæ nostræ deferunto. Curiones tribus diuersis diebus Dominicis in Præconio,

Residẽtia. Habitus.

Caupona.

Lusus. Venatio.

S. Oleum

Communionis exhibitio.

Præconiũ.

Scamna Ecclesiarum.

Exorcismi.

Nundina.

Commentaria Curionia.

nio,vti Rectores omnes & fundatores sacellorum in suis Parœciis existentium,intra mensem à die vltimę publicationis,coram Vicario Generali compareant eum de officio & modo ea Sacella cõseruandi instructuri,aliter solo æquabuntur;& reditus summo altari parœciæ,aut alteri prout congruum erit, applicabitur, publicanto.Curiones,vti sacellorum Rectores suo fungantur officio,obseruanto,curanto, eósque benignè, & secundùm Christianam charitatem necessaria celebrationi Missæ, ad quam dari campanæ signum ritè permittent, communicando, recipiunto. Curiones quantò citiùs suarum Parœciarum obstetrices, vt de forma & materia Baptismi, examinentur aduocanto. Si ignorauerint,vt in extrema necessitate cum materia,forma & intentione baptizare queãt, eas docẽto.Nemo incognitis verbis,aut caracteribus, signísve superstitiosis, in precibus & adiurationibus, quæ cõtra tempestatem fiunt vtitor. Nemo aliam Præconij formam, ab ea quæ ab Illustrissimo Prædecessore nostro publicata fuit,adhibeto.Nemo itẽ aliam absolutionis formam,prẽter hanc; Misereatur tui,&c.Indulgentiam,&c.Absolutio. Dominus noster Iesus Christus,qui est summus Pontifex, te absoluat, & ego authoritate ipsius mihi licèt indignissimo concessa, absoluo te inprimis ab omni vinculo excommunicationis,in quantum possum,& indiges;deinde,Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.Amen.Preces post absolutionẽ. Passio Domini nostri Iesu Christi,Communio Beatæ Marię semper Virginis, & omnium Sanctorum; quidquid boni feceris & mali patienter sustinueris,sit tibi in remissionem peccatorũ tuorum,in augmentum gratiæ,& præmium vitæ æternę.Amen.Denique Curiones omnes & Vicarij horum statutorum apographa habento,& suis in sacrariis,aut aliis Ecclesiarum locis,in quibus sæpius legi & considerari possint, affigunto. Typis autem mandari curauit Tononi,Pontifex,sicut Religiosissimus,ita sapientissimus.Voluit præterea singulis diebus Iouis, extra tempus quadragesimale, Aduentus, & vigiliarum, nullo occurrente festo duplici, siue semiduplici,fieri officium semiduplex de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento:Cuius (inquit)cùm adoratio ab hęreticis,per summam perfidiam irrideatur,cõsonum est vt in hac maximè Diœcesi,quanta fieri poterit, maximâ deuotione celebretur.Synodos porrò quotannis deinceps,feriâ quartâ post Do-

Sacellorũ Rectores.

Obstetrices.

Adiurationes.

Absolutio.

Officium sancti Sacramenti.

Synodi tẽpus deinceps.

minicam secundam à Paschate, celebrauit cum incredibili, non Cleri duntaxat, sed & omnium sibi commissorum populorũ vtilitate: & quia suis Sacerdotibus, vti Bellarminianum Catechismum populum docerent præceperat; amplam eis docendi methodum in hanc formam præscripsit. Conuocabitur populus ante Vesperas campanæ signo adeò maturè, vt Cathechismus duas horas habere possit; æstiuis præsertim diebus, dato campanæ signo Ianitor scholam siue Ecclesiam aperiet, disponet scamna, & ad ianuam venientes expectabit: introducet candidatos, docebítque eos salutandi morem, vt dicant, Deus det nobis suam pacem, & ad formandum cum aqua lustrali signum Crucis, recitãdámque Orationem Dominicam & Angelicam salutationem, vel si idonei non sint, curabit vt coram augustissimo Sacramento ante maius altare genuflectãt. Deinde eos ad sua scamna mittat. Ad Ianitoris auxilium constituet Prior fratres alios, qui idem faciant, & is Prior aliíque Operarij maturè ad scholam ire debẽt, & esse solliciti, vt venientes pueri doceantur, obseruentque silentium. Tanto tempore docebitur, quanto Priori videbitur, Qui obseruabit vt omnes munus suum exerceant, & nisi ab officio suo impediatur, consignabit responsuros & disputatores; eligétque semper perspicaciores & magis idoneos. Subprior & Admonitor inuigilabũt pariter, ne quis rumor fiat, & cùm aduerterint, tacitè Silentiario signum dabunt; Quamobrem hi manebunt in diuersis scholæ partibus, nisi fortè dum alij docent, Prior cum iis aliqua de re conferre vellet. Post aliquod temporis spatium sic insumptum, ita vt Magistris integra docendi libertas fuerit, qui quatuor aut sex ex more pueros habebunt, Prior signum dabit cum campanula, & genuflectens ipse cæteros pariter quoscunque curabit genuflectere, tum Orationem fieri ante disputationem solitam recitabit, & accepta suis cum pueris à Sacerdote (si aderit) benedictione, iubebit illos in aliquem locum, vnde videri ab omnibus possint, ascendere; ex vna parte & ex altera, hi formato signo Crucis, & prolatis alta voce verbis eam Catechismi partem, quæ assignata fuerit, recitabunt; isti interrogando, illi respondendo. Aliquando iubebit sistere, & quod libebit, petet; vt ea ratione cautiores, & magis attentos efficiat. Aduertat nihilominus vt disputatio de iis, quæ dicta fuerint, fiat, quare omnes eiusdem ordinis & classis candidati sedebunt in eodem loco, vt absque

Franciscus methodũ Cathechismi præscribit.

Ianitor.

Prior.

Admonitor.

Silentiarius.

Magistri.

Recitatio.

Disputatio.

absque temporis iactura ab vnoquoque petere possit, prout accidet: & occasione captâ eorum, quæ recitata fuerint, breuem sermonem faciet & compendium, quò facilius omnes doctrinam illam suis imprimant mentibus. Si hoc ipse præstare nequiuerit, ab alio ex Administris aut Magistris fieri curet. Quo facto legentur Constitutiones paruę bonorũ morũ, quas omnes intelligunt, deinde fiet oratio prout præscriptum fuerit. Nouissimè nisi notandi absentes essent, vel corrigendus aliquis, pueros suos dimittet monendo, vt modesti sint; eorum quæ dicta fuerunt recordentur, & proximo sequenti die festo maturè veniant. Iis, qui studiosi fuerint & modesti, præmia tradet, vt pias imagines, rosaria, numismata, & his similia: hoc enim pacto fiet, vt melius semper se gerant. Cancellarius notabit in catalogo absentes, vel si infirmentur, deferet ad Priorem & alios. Posthæc audietur sermo, seu exhortatio, quæ à Sacerdote fiet. Singulis mensibus semel, vt minimum, Prior mittet aliquem ex Administris vel Magistris ad Congregationem generalem, seu Diœcesanam, qui suę scholæ statum & necessitates deferat, sicut & singulæ singulas scholæ visitabunt per aliquos ex suis candidatis, vt fructuum & vtilitatum spiritualium, ad maiorem Dei gloriam, syncera & pia possit esse communicatio. Hæc quoad Cathechismi institutionem. Prætereà quia de nonnullis Confessarios monendos, non vtile modò, sed & necessarium, ratus est; cùm in plerísque boni iudicis cõditiones omnes deesse videantur, idcircò vigintiquinque solidas & breues monitiones scripsit, iussitque mandari typis, & quantum deinceps, & Confessariis, & pœnitentibus libellus hic tulerit emolumenti, dici satis non potest, nam & per vniuersam Gebennensem Diœcesim, & quod magis, breui per vniuersam Galliam, immò & Italiam in varias linguas versus cucurrit. Hunc librum sequutus est alius Ritualis Sacramentorum, in quo non tantùm ritus, sed etiam Canones, ac regulæ Sacramentorum ritè administrandorum, aliáque plurima documenta ad munus pastorale rectè obeundum, cõtinebantur. Meditatus iam eum fuerat Prædecessoris sui iussu, dum Adiutor esset, sed eius nomine quin ederetur, mors impedimento fuit. Salesius igitur sui esse muneris videns rem ita fecit: Primùm aliquot Ecclesiæ suæ Cathedralis doctis piísque hominibus secum adhibitis, variarúmque Prouinciarum ritualibus libris in medium allatis, ex so-

Sermo.

Oratio.

Cancellarius.

Visitatio reciproca.

Francisci monitiones dat Cõfessariis.

Francisci librum ritualem edit.

lo

lo quidem Romano, omnia quæ ad rituum adminiſtrandorum Sacramentorum ſpectant, ad amuſſim excerpſit: ex aliis, ac maximè ex antiquò Gebennenſi plurimas benedictionum formulas accepit; quarum vſum inter populares ſuos, pro laudabili recepta conſuetudine, retinendum exiſtimabat. Ex omnibus verò, quos habere potuit hinc inde mixtim, varios canones ac permulta documenta eduxit, quæ maximam lucem Curionibus eorúmque Vicariis ad rectam ſui muneris exercitationem afferrent, atque ita apum exemplo ex diuerſis floribus mellificium in alueolum ſuum congeſſit, Calendarium etiam adiecit, in quo feſta & officia notauit, quæ in Diœceſi Gebennenſi, tum antiquo more, tum ſuis ſynodalibus conſtitutionibus, ſtabilita fuerant, & admiſſa. Ac tandem formulam ſingulis diebus Dominicis, ſumma capita religionis Chriſtianæ, populis proponendi, quam iampridem iuſſu Prædeceſſoris ſui ediderat, recognitam, mendíſque, quibus maculata erat, purgatam addidit, vt omnia, quæ ad Curionum munus ſpectant, vno volumine comprehenſa faciliùs præ oculis haberent. Operæpretium autem eſt Diuos illos nominare, quos peculiari nouo vel antiquo cultu voluit in ſua Diœceſi (vir ſanctus) celebrari; hos enim quin peculiares in cœlis habuerit Patronos, dubium eſſe non debet. In Februario die vndecima, Sanctos Martyres, Victorem, & Vrſum, qui paſſi ſunt, cum reliqua legione Thebæa in agro Agaunenſi finitimo Duce Beato Mauritio. Officio ſemiduplici. In Aprili die vigeſima ſecunda, Diuum Anſelmum Confeſſorem Pontificem, qui ex finitima Auguſtana Diœceſi oriundus, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem in Anglia euectus; exemplis, ſcriptis, miraculis, vniuerſam Eccleſiam illuſtrauit. Officio ſemiduplici. In Maio die quarta, Sacratiſſimam Sindonem, quæ diu in Sabaudia aſſeruata, magnam apud omnes ſemper habuit venerationem. Officio duplici ſolemni. Die Octaua. Diuum Petrum Epiſcopum & Confeſſorẽ, qui finitimam Eccleſiam Archiepiſcopalem Tarentaſiẽſem mirâ vitæ ſanctitate diu adminiſtrauit. Officio ſemiduplici. In Iunio die ſexta. Diuum Claudium, Epiſcopum & Confeſſorem, qui Archiepiſcopus Veſuntinus extitit, cuiúſque reliquiæ, ob innumera miracula in Monaſterio ſancti Eugendi Gebennenſis Diœceſis finitimo, maximo fidelium concurſu paſſim celebrantur. Die decimâ quintâ. Diuum Bernardum Mentonium Confeſſorem, non

Calendarium.

Franciſcus quos ſanctos calendario addiderit.

D D. Victor & Vrſus.

D. Anſelmus.

Sacra Sindon.

D. Petrus Tarent.

D. Claudius.

D. Bernardus Ment.

Pon

Pontificem,qui illustri loco in Gebennensi Diœcesi natus, Archidiaconus Augustensis effectus, vitæ sanctimonia ac plurimis miraculis Allobrogicas omnes præcipuè regiones illustrauit.Officio duplici, & huius ipse vitam, nisi morte fuisset præuentus, scripturus erat. Die vigesima sexta Diuum Antelmum Episcopũ & Confessorem, qui ex Ecclesia Cathedrali Gebennensi, cuius Præpositus diu fuerat,Carthusianus effectus,ad Episcopatum finitimum Bellicensem promotus, magnâ sanctitate & miraculorum varietate claruit.Officio semiduplici. In Iulio, die vigesimâ octauâ Diuos Martyres Nazarium & Celsum, quorum sanctus Nazarius ex Italia Treuerim iter faciens, ac in Ciuitate Gebennensi aliquandiu moratus,plurimos ibidem ad fidem conuertit, inter quos Celsum admodum Iuuenem Ciuem Gebennensem, quem posteà Martyrij socium habuit, Officio duplici. In Augusto.Die primâ Diuum Petrum Apostolum ad vincula Patronum Ecclesiæ Cathedralis Gebennensis Officio duplici solemni cum Octaua. Die decima sexta Diuum Theodulum Episcopum & Confessorem,qui Ecclesiæ Sedunensi finitimæ, miram spirans vitæ sanctimoniam fœliciſſimè præfuit:cuiúsque memoria propter miraculorum frequentiam vbique in Allobrogicis regionibus celeberrima est.Officio semi-duplici.In Septembri die decima septima.Diuum Gratum Episcopum & Confessorem,qui finitimam Ecclesiam Augustanam rexit.Officio semi-duplici.Die vigesima secunda.Diuum Mauritium,& socios,quorum sanguine Sabaudicis omnibus locis propemodùm consperſis, earũ Prouinciarum tutelares apud Deum interceſſores,iam olim à maioribus magna religione habiti sunt. Officio duplici. In Octobri, die prima sanctum Angelum Custodem.Officio duplici. Præter hos speciali deuotione colebat ipse Diuos, Ioſephum sponsum glorioſiſſimæ Virginis,cuius festo semper Concionem habebat. Augustinum,Thomam Aquinatem, Sebastianum, Ludouicum Regem Frãcię, Franciscum Assisiatem,Bernardum Abbatem,& nonnullos alios.Porrò his instituta disciplinis & ritibus Gebennensis Ecclesia breui,sicut vinea florens dedit odorem suum, & Salesius nouis in dies virtutibus, & virtutum omnium incrementis mirabilis omnibus euasit & amabilis.

D. Antelmus.

DD. Nazarius & Celsus.

Vincula D.Petri.

D.Theodulus.

D.Gratus.

D.Mauritius.

Angelus Custos. Frãciscus quos alios S.coleret.

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER SEXTVS.

INSTANTE profectionis ad Diuionensestempore, sacro Præsuli de Concionibus cogitandum fuit, currente iam anno supra sexcentesimum quarto. Quamobrem tum vt liberiori frueretur negotioso illo otio, tum vt Matrem suâ præsentiâ recrearet, valedicerétque simul ei, Salesium profectus est. Est in Salesiano Castro ad extremum porticus Diuæ Virgini Deiparę, ac sancto Sebastiano Salesiæ gentis Patrono dedicatum Sacellum, ad Domini & familiæ commoditatem, in eo tunc temporis dum oraret Franciscus, meditaretúrque profundiùs, solus, raptus est in Ecstasim, déque diuinis Mysteriis, & cœlestibus gratiis mira mentis oculis vidit Præsertim futurum se aliquando Religiosi ordinis Monialium fundatorem & institutorem. Præcipuarum præterea personarum, à quibus hic Ordo inciperet, phantasmata. Semihoræ spatium hoc fuit, quo elapso diuinitate perfuso, tantus restauit ore toto rubor, vt non ægrè cœlestibus eum agitatum viuicomburiis vniuersa familia cognosceret. In his animi sensibus, rebus suæ Diœcesis optimè dispositis, viam iniit. Diuio vrbs est pulcherrima, Heduorum Metropolis, quam ab Aureliano Imperatore conditam seu ampliatam ferunt, sicque dictam à Diuis, quibus illic templa multa essent, in media planitie & satis iucunda composita, vt eam Gregorius Turonensis describit, amplissimi totius Burgundiæ Senatus sedes. A Diuo Benigno olim Christianâ fide illustrata. A viginti

Franciscus rapitur in Ecstasim.

Diuio vrbs Heduorũ.

qua

quatuor Consulibus,à vno Tribuno,seu Magistro populi, quem Vicecomitem Maiorem & Baronem appellant,regitur. Bellicoso populo, & suis in rebus perspicacissimo plena, tunc temporis mixtos cum Catholicis quamplures hæreticos habens. Venienti in eam Salesio obuiàm processere Consulum magna pars & Procerum, inprimis autem Ecclesiasticorum longus ordo, qui Præsulem optimum in ædes Villarsij causarum Patroni inuexerunt. Quadragesimæ initio dato,non ex ipsa dumtaxat vrbe,sed ex finitimis locis populus ingẽs Ecclesiã sancti Sacelli vbi Conciones habebantur,repleuere:tantum Salesius virtutum suarum,& sublimis doctrinæ fama,valebat apud eos. Scribebant sermones eius ex diuersis religiosis ordinibus Sacerdotes non pauci, & quod magis mirere viri etiam laici, quia vt plurimùm de rebus inter Catholicos & Hugonotos controuersis agebat; sicut subtilissimè ita solidissimè & piissimè, sermonis item elegantiâ & linguæ facundiâ trahebantur multi, quos quotidie magno Ecclesiæ bono piscabatur.Pauperes & infirmos Xenotrophij suburbani sancti Spiritus sæpius visitabat, eos adhortationibns sacris consolabatur, & coram illis sacrosanctum Missæ sacrificium celebrabat. Idẽ faciebat in alio vrbano,quod Diui Phiacrij vocant, non sine omnium stupore,qui magnumPręsulem tantâ spontaneâ demissione, cum tanta eruditione præditum, non poterant non valdè mirari. Celebratum ibat etiam ad Diui Bernardi sacellum, quod Fontanis est semimilliari ab vrbe, ob eximiam qua erga Diuum illum Mariæ Cythariſtam, ac Doctorem mellifluum deuotionem,ferebatur.Ibi cum Ioanne à sancto Malachia Congregationis Fulienſis Monacho piissimo sanctum amicitiæ fœdus percussit. Miserum hominem, qui panis habendi causa, cùm laborare nequiret,mendicare erubescceret,habitum Sacerdotalem induerat, è furentis populi manibus eripuit, calidioréque his verbis placauit,nihil mali inferendum est,nec cogitatione quidem falso Sacerdoti(inquit)parcendum est ei.De necessitate dictum est, quòd nullam habeat legem,& ideo leges irridet vestras.Næ ego si in altari celebrantem vidissem, siuissem pergere, quia sibi soli malum inferebat,ego verò scandali author fuissem pluribus, qui eadem quæ de ipso deinceps de transeuntibus omnibus temerè iudicassent; Scitis quid fecissem ? si prior vobis cognouissem? Duxissem eum in cubiculum meum,& ex iis cibis, quos mihi

Franciscus Diuioni concionatur.

Franciscus pauperes inuisit.

Franciscus quid de falso Sacerdote dicat.

tam liberaliter exhibetis, pauissem, ac post fraternam correctionem fortè, per Dei gratiam, ex personato Sacerdote, verum Aaronem effecissem, non quòd cæteris sim callidior, sed quia in Deum speraſſem, & ipse rectum desiderium meum benedixisset. Verus iste modus erat omnium animos sibi demerendi, & maximum suis concionibus pondus dandi. Manebat ex more ruri circa hæc tempora Matrona nobilis Ioanna Franciſca Fremiota Diuionensis Benigni Fremioti Consiliarij Regij secundique Burgundici Senatus Præsidis filia, Andreæ Fremioti Archiepiscopi Bituricensis Soror, & Christophori Rabutinij Chantalij Baronis vidua, fœmina ab incunabulis; tum ex indole, cùm ex prouidorum & piorum parentum educatione benè affecto erga numen animo. Filios quos ab Illustri Dynasta suo coniuge pepererat, cum omni mansuetudine sub amore & timore Dei enutriens, hæc Chantalio vita functo totam se synceræ pietati applicauit, erátque inter suæ sortis matronas, velut fulgentissimum sydus. Emensis aliquot temporum spatiis, quasi tanquam aliud agens voto se castitatis Diuinæ Maiestatis obsequiis mancipauit, interim dum internis agitata sensibus, de solemni sæcularibus negotiis nuntio remittendo, absolutóque rerum mundanarum contemptu cogitaret; Ambigebat, an progredi præstaret, an hærere; piúsque semper animus iactatus in varia modò suadebat religionis introitum, modò trahendas adhuc tantisper moras consulebat. Inter hos tamen motus suauissimas sæpe diuini amoris dulcedines cœlestis in eius sinum sponsus diffundebat, & illa vti traheretur, & curreret in odorem vnguentorum eius non desistebat inclamare, Hei me miseram! Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat. Obicem tamen ponere videbantur omnia, ne ad concupitam hanc vnionem perueniret, & vt hac in arte cuius Spiritus sanctus Doctor & Magister, nouitia adhuc erat & rudis, rē, nō vt prętendebat, succedere videns, grauibus conflictata est animi pœnis, & diuersis ac variis agitata tentationibus, quibus angebatur atrociter, tantóque violentiùs, quantò vt sibi videbatur, ne summo bono vniretur, pertinaciùs obstabant. Cogitationem excedunt tormenta illa, quibus torquebatur; & in his ærumnis omni humano subsidio spiritualique leuamine destituta erat; nam per hęc tem-

Ioanna Franciſca Fremiota Chantelij Baro.

Castitatē vouet.

Eius perplexitates.

pora,

pora,& in loco quem incolebat,ſpiritualis Patris & Pij directoris remedium parum cognoſcebatur, & adhibebatur adhuc minus. Solus ergo Deus refugium illi erat;ſicque in tribulatione ſua leuabat oculos ſuos in montes vnde veniret auxilium ſibi; Incidit in eius animum ſemel cogitatio,virum qui eam in ſemitam mandatorum dirigeret à Deo poſtulandi. De ſpirituali tamen Patre nunquam antea intellexerat,ſed virum petebat,qui verè ſanctus foret,inueniſſetque gratiam coram oculis Domini.Perſeuerans, continua feruens,& mixta lachrymis coniurationibúſque quantum poſſibile erat, vrgentibus,fuit hæc oratio. Hei Domine (inquiebat) recordare promiſſi tui,nec me deſeras in tempore afflictionis, dixiſti aliquando ô Deus,ſi quis filius petierit à Patre ſuo panem, numquid lapidem porriget ei? Et hoc de te aiebas,Pater optime,inclina ergo nunc ad me aurem tuam,accelera,vt eruas me,eſto mihi in Deum protectorem,& in domum refugij,vt ſaluam me facias.Da Directorem mihi vnum,qui verè ſit & ſyncerè ſecundùm cor tuum. Et ſi hac me digneris gratiâ, promitto Deus huic ſeruo tuo in iis omnibus, quæ de lege tua docuerit me,obedientiam & reuerentiam.Poſt dies aliquot, Deus Dominus, cuius oculi ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum,illuxit ei reſpexítque humilitatem ancillæ ſuæ,& fecit ei magna qui pótens eſt. Obtulit mentis eius oculis virum, quem petierat,ore toto modeſtiam, & Angelicam ſpeciem ſpirantem, factaque eſt veluti vox, quâ audiuit eum eſſe virum dilectum Deo & hominibus, apud quem pium animum ſuum repoſitura eſſet. Iterum ſummo manè inter vigilias & ſomnum vidit innumeram hominum turbam,Dei laudes in Eccleſia canentium, quibus cum ſociare ſe vellet,intellexit quærendum alibi oſtium,& nunquam in requiem filiorum Dei, niſi per Diui Claudij portam intraturam: Rurſumque ſemel & iterum apprehenſa ſomno vidit eadem diſtinctiſſimè. Voluebat hæc omnia, interníſque infixa retinebat ſenſibus pia mulier cum omni longanimitate, neque tamen quidquam ſpei ſuæ eueniebat, ſed & neque coniicere poterat euentus illius modum & exitum,cùm auditâ famâ quòd Gebennenſis Epiſcopus Diuioni Quadrageſimales Conciones habiturus eſſet,illicò in vrbem ſe contulit,vt quotannis ſolebat,comeſtura panem,quem tanti nominis Antiſtes eſurienti populo frangeret. Vt vidit eum in ſublimi ſedentem Cathedra virum eſſe

Deum orat vt Directorem det.

Fremiotæ viſiones.

Fremiotæ Frãciſcum audit.

cognouit, quem Diuina ſibi gratia iampridem obtulerat, adeò phantaſmata menti inhæſerant, totíſque iubilans artubus, ſi futurus ille eſſet Director ſuus, tanti beneficij Deo gratias immenſas egit: quo verò faciliùs eum videret, & audiret, rectâ in frontem ſedem ſuam elegit, & Saleſius ſermonibus licèt intentus, non potuit, quin etiam aduerteret illam eam eſſe, cuius imaginem viderat, cum in Saleſiano ſacello precaretur. Quæ cauſa fuit, vt inter loquendum aliquando cum Andræa Fremioto Archiepiſcopo Bituricenſi apud quem honorarij prandij ergo diuertebat. Quænam eſſet vidua illa tantæ modeſtiæ ſpeciem præſeferens, quam quotidie ex aduerſo collocatam videbat, petierit: ac vbi reſciuit Hoſpitis ſui ſororem, non mediocri affectus gaudio ſuper pluribus interrogauit, & vacauit quidnam Deus vellet cogitare. Fremiota quod ad ſe nequibat ampliùs poſt longas cogitationes & preces animum continere, familiaritatis illius, & ſanctæ amicitiæ, quam inter Gebennenſem Epiſcopum & Archiepiſcopum Bituricenſem ſciebat eſſe, occaſionem arripuit. Rogauit fratrem vti dignaretur priuatis Saleſij colloquiis Beatam reddere. Promiſit Archiepiſcopus, & inuitato rurſum ad prandium Apoſtolico præſule cum multa Senatorum & Dynaſtarum, qui ſolemne efficerent conuiuium, turba, è matronarum etiam aliquot nobilium numero Ioanna Franciſca Fremiota fuit. Remotâ mẽsâ obtulit Gebennenſi ſororem ſuam Illuſtriſſimus hoſpes, & poſt officioſum colloquium quo poſſent conferre liberè, ſi ſolos relinqueret, operæpretium ſe facturum dixit. Spectantibus igitur cæteris, diu ſatis in aulæ angulo ſuis de rebus egerũt. Non ita tamen aperiebat animum Saleſius, ac Fremiota, quæ agitata numine abſconditiſſima ſui cordis iam tunc reuelare voluiſſet, verùm ille longâ experientiâ doctus diffidebat in omnibus ſibi, Deíque voluntatem maturioribus conſiliis præſtolabatur. Abibat quadrageſima & ſanctum iam aderat tempus illud, quo tenentur veri Chriſtiani omnes ad ſacroſanctam Communionem purgati vitiis accedere, Rogauit Saleſium Fremiota, dignaretur ſacramentali confeſſioni præbere aures, vix conſenſit primâ fronte Saleſius, curioſitatem fortè religioni & pietati mixtam ratus. At verò vbi dato tempore & loco generali (vt vocant) abſolutâ confeſſione, de diuinis motibus cœleſtibúſque aculeis conferendi otium fuit, ſuum eſſe ex Dei voluntate Di-

Fremiota Franciſco colloquitur.

Franciſci prudentia & maturitas.

rectorem

rectorem Salesium Fremiota, & suam esse, quam ad inscrutabiles Diuinæ prouidentiæ vias dirigere deberet & docere, Fremiotam Salesius intellexit. Quia tamen ardua res videbatur admodùm, ob locorum distantiam, ob conditionum & sexus diuersitatem, aliáque huiusmodi, tantisper à declaratione temperauit, noluítque vt ab eo, apud quem antea solebat effundere animum suum (is erat Ioannes Villarsius, Societatis Iesu Theologus, & Collegij Diuionensis Rector, vir vndequaque magnus) recederet. Discessurus tamen breui non potuit, quin hæc ei in scriptis monimenta relinqueret: eâ me gratiâ donauit Deus, vt cùm celebraturus oculos ad altare versos habeo, ab distractionibus sim immunis. At ab aliquo tempore semper menti meæ obuersatur imago tui, præsertim inter celebrãdum, licèt hoc animum meum minimè alienet. Nescio quid per hoc velit Deus. Et his quidem filis sapientissimus mirabilium artifex Deus, opus mirabile, quod deinceps vniuersa terra suspiciet, ordiebatur. Eodem tempore Illustrissimus Præsul Andreas Fremiotus, non ita pridem à sæculari sorte abductus, primum suum sacrificium sacrosanctæ Triadi oblaturus erat; indixerat celebritati diem Iouis feriam quintam in Cœna Domini. Assistens Antistiti sacer Pontifex Salesius fuit, qui in eo sacro Archiepiscopi manibus tanta cum pietate augustissimam Eucharistiam genuflexus sumpsit, vt & ipse toto radiare vertice videretur, & eum videntes populi in lachrymas abundè effusi dubitarent, Angelúsne esset, an homo? Præsertim tamen quo tempore precioſum Saluatoris corpus in os eius intrauit, & quæ præ cæteris tantæ visionis donatæ sunt gratiâ insignes duæ, & pietate inclytæ, matronæ fuerũt, Domina Electi Barresij Coniux, & ipsa Fremiota. Totis diebus illis, qui paschalẽ solemnitatem præcedunt, & sequuntur; mirum dictu est, quanta cum patientia & charitate omnium confessiones audierit, vt prodigium sanè esset, qua ratione & his satisfacere, & Concionum cogitationibus, seu meditationibus vacare posset. Superatis Paschalibus festis, cùm discessum adornaret, ecce à Cassegranio Caluinianæ sectæ magni nominis Ministro publicè prouocatur ad disceptationem super omnibus, quæ populum totâ quadragesimâ docuerat. Non ausus fuerat vecors ille hæreticus strenuissimum Athletam antea ciere ad certamen, ratus tamen hoc honori suo deberi; neque propterea, cùm proculdubio discessurus

Franciscus sanctè erga fremiotã affectus.

Franciscus communionem sumens radiat.

Franciscus à Cassegranio Ministro prouocatur.

rus eſſet Saleſius, ſe in arenam deſcenſuros, hæc agebat. At Vir Apoſtolicus meliùs fuiſſet (inquit) ſi quo tempore otium erat, & populum liberè alloquebar, hoc feciſſes. Vis fortè, cùm me diſcedentem vides, & recuſaturum idcircò reris, honorem hunc prædari, vt diſceptare tecum non auſus fuerim, falleris verò, Miniſter, Ego ad argumenta tua paratus ſum, nec eſt quòd vel recuſem, vel à longiori mora me excuſem. Tunc Caſſegranius. Te (inquit) remorari non intendo, ſed dato tempore conueniamus, & ſit Geneua locus, ibi ampla nobis ſuppetet librorum omnis generis copia: & hoc iterum (aiebat) quia multò magis recuſaturum Saleſium arbitrabatur. At Saleſius. Ita ſit (inſit) ſit Geneua diſceptationis locus, Equidem nõ tantùm libenter conſentio, ſed etiam Baronem Luxium, (aderat enim tunc Luxius) rogatum velim, vt & hanc rem apud Geneuates moueat, conditiones proponat, quibus adſtringeris tu, & alij, vt nos pariter; denique, altiori voce (ait) Vos omnes Domini, quotquot adeſtis, teſtes appello, Recordamini (quæſo) eorum omnium quæ aguntur, conferre de Religione Caſſegranio ad id me prouocanti polliceor, & ſperabat ſanè ſuis Geneuenſibus hoc pacto Catholicæ fidei pulchritudinem oſtendere. Promiſit illicò ſuum interuentum Baro Luxius, nec diſtulit Geneuam proficiſci. Propoſuit collationem Conſulibus, Senatoribus, & Miniſtris, adhibitis etiam, vt eos flecteret, muneribus, tantúmque effecit, vt in Concilium ducentos Proceres coëgerit; Verùm illi re penſatâ per ſolitam vecordiam, & dubiam de ſua fide exiſtimationem, ſuam religionem (inquientes) non indigere diſceptationibus, prorſus recuſarunt. Agedum pręclaros fidei Pancratiaſtas, vbi non cum fœminis aut ruſticis pugnant. Ex iis igitur quæ retulit Luxius, operto confuſione, ſicut diploide, Caſſegranio, & vulgi expoſito ſibilis & cachinnis, Saleſij diſceſſus inſtabat. Conſules Diuionenſes in grati animi teſtimonium, quòd tanta cum munificentia cœleſtibus eos cibis pauiſſet, precioſum vaſarium argenteum dono obtulerunt, ſed actis gratiis Saleſius, non vendere ſe verbum Dei (inquiens) recuſauit; necquidquam aliud voluit, præter eorum corda, quæ profectò omnia ſecum tulit; in quam rem, cùm in magna Abbatiæ Diui Stephani area ingens populus diſcedentis benedictionem acceptarus ſtaret, fugerentque multi, alij, ne exiret prohibere niterentur. O magnum

Franciſcus conſentit ad concertationem.

Genuẽſes recuſant.

Franciſcus Vaſarium argẽteum oblatum recuſat.

latro

latronem,(exclamauit Matrona Nobilis Guillelmina Taborella, Senatoris Fremioti Vidua) ô furem insignem! Quid causæ igitur interrogatum est,& cur hæc ais? Non videtis(inquit)quot secum corda trahit? quot hominum animos rapit? Fuerunt, qui retraherent Equos, & nos (inquiebant) si recedere debes manibus nostris Anicium vsque te portabimus. Videbat hæc omnia Fremiota & plorabat,sed manè ad eam hæc verba quibus reficeretur Salesius miserat. Deus,vt mihi videtur,dedit me tibi,hac euado de re singulis horis certior,& hoc solum est quod possum tibi impræsentiarum dicere. Tandem feria secunda post Dominicam in Albis innumera magnatum caterua, eorum autem in primis quos quamplures Christo per Euangelium genuerat,stipatus,vrbe excessit,& Diuionensibus deinceps per longa tempora quàm de Francisco Salesio Gebennensi sanctissimo Præsule non alius sermo fuit, & addebat rem memoria dignam insignis quidam Senator, multa sanè mihi bona Gebennensis Episcopus est impertitus (inquiebat) hoc tamen vnicum malum intulit, quod aberit à me nunquam. Effecit nempe vt cæteri Concionatores quicunque,insipidi mihi sint, adeò famam magna virtus commendarat. Redux in Patriam nouos motus noua tædia reperit; Iacobus Mouxiacus Sixensis Abbas tanquam si cùm Abbatiam suam præterito anno authoritate ordinaria visitarat,temerè sibi alienam iurisdictionem vindicasset,ad Supremum Sabaudiæ Senatum Vadimonium ei indixit,insolentibus etiam verbis in eius virtutem sparsis, quod probrosum certè facinus fuit. At Salesius Pontificiæ suæ authoritatis constantissimus propugnator, non territus est dicteriis,defensionem potenter arripuit, Canonicos omnes ad suas partes traxit,animauit,iurium omnium diligentissimam fecit perquisitionem, tãdémque ante Senatorum oculos luce clariores meridianâ authoritatis suæ probationes exposuit. Siquidem anno iam millesimo centesimo sexagesimo primo, in compositione controuersiæ quę inter Abbates Abundantianum & Sixensem erat,præsentibus Petro Tarentasiensi Archiepiscopo,Ardutio Gebennensi Episcopo,Abbatibus Gulielmo Alpensi, Henrico Altacombano,Memmio Altocrestensi, Giroldo Intermontano,& Dynastis quampluribus,inter quos Aymo Falcinas,Amedeus Neugæus, Petrus Cletanus, & Gulielmus Voseriacus erant, Rodulphus Agaunensis Abbas & Almadricus Ge-

Franciscus quàm à Diuionensibus amatur.

Franciscus Diuione redit.

Francisco Sixensis Abbas vadimonium indicit.

bennenſis Eccleſiæ Præcentor, in quorum præſentia Abbatia Sixenſis fundata fuerat, retulerunt ipſos Abbates Abundantianũ & Sixenſem Iuriſdictioni & correctioni Epiſcopi Gebennenſis ſubditos eſſe, poſſéque ab eo quoties rebelles fuerint & contumaces deponi. His & aliis in medium allatis vicit Saleſius, ac deinceps Canonicis Sixenſibus vti diſciplinam regularem ſeriò amplecterentur author fuit. Sed cùm ſe putaret pacificum, à Septentrione bellum exarſit: Gexenſes quippe hæretici, quibus anteà videntibus ac frendentibus eum Baro Luxius authoritate Regiâ Eccleſiæ ſancti Petri oppidi Gexenſis, domuúmque Sacerdotalium & bonorum ad Decanatum & Parœcialem Ædem ſpectantium poſſeſſorem effecerat, animi duplicis homines, poſtmodum cùm Baro & Senator Brietius ab Heduorum Curiâ delegatis vlteriùs proceſſiſſent, procuratione factâ Philippo Liuronio & Petro Iaqueto, de omnibus ad Regem appellarunt, nec exigui fuit momenti quòd Saleſius eos etiam vicerit, ſicque Gexenſem paulatim Eccleſiam malis licèt ringentibus ſtabilierit. Propugnabat verò cùm litteras à Fremiota accepit dolorum quibus ob eius abſentiam afficiebatur teſtes, abeſſe quippe ſe à colendiſſimo cariſſimóque Patre non poſſe diutius, filia mœſtiſſima aiebat, ipſo Dominicæ Pentecoſtes peruigilio Ioannem Villarſium Directorem adhuc ſuum curarat accerſiri, narrauerátque vehementiſſimos impetus quibus ad ſequendam Saleſij directionem ferebatur, & reſpõderat ei Villarſius placitum Dei eſſe vti deinceps ſub Franciſci Saleſij Gebennenſis Epiſcopi inſtitutis viueret: aliter Spiritui ſancto profectò reſtituram, pronunciarátque idem ei ex Ordine Capucinorum vir quidam religioſiſſimus, ita vt non eſſet amplius quin diuinæ ſe prouidentiæ ſlabris, totis velis committeret, quod ambigeret vel pertimeſceret: ſcribebat igitur ad Saleſium intimos animi ſui ſenſus, & obteſtabatur per viſcera miſericordiæ Dei ſui, quibus illuminabat eam oriens ex alto, vt rationem qua iterum colloqui ſimul poſſent excogitaret, & locum diémque condiceret. Saleſius rem tãti eſſe momenti reſpondit, vt niſi tempore rectè pẽſari non poſſet. Extorquendam eſſe Dei voluntatem continuis precibus, & piorum hominum orationibus ſacrificiiſque commendandam, tandem cùm hinc & inde feruentiſſimè oraretur, obeundæ rei diem & locum conſtituit. Vouerat iampridem Franciſca Syon-

naſia

Abundãtianus & Sixenſis Abbates Epiſcopo Geb. ſubditi.

Franciſcus turbatur ab Hæreticis Gexenſibus.

Littera à Fremiota.

nasia cùm morbo teneretur filius vita sua charior ad Diui Claudij reliquias peregrinationem, quam multis impedita valetudinibus adimplere nondum potuerat, & per hæc tempora id reddẽdum Deo & eius Sancto votum statuerat, filiúsque Episcopus suam promiserat societatem. Mira igitur prorsus & celebranda occasione ad Diui Claudij indicta dies nona Calendas Septembris, quæ dum ab piis animabus illis expectatur, ad alia quæ sui erant muneris Salesius animum adiecit. Pendebat adhuc coram Metropolitano Viennensi iudice lis ob prærogatiuam inter Cathedralis Ecclesiæ Gebennensis & Collegialis Aniciensis Canonicos, & instabat illius anni solẽne Corporis Dominici festũ. Prudens Episcopus proscriptis libellis edictum huiusmodi denũciauit. Appetente & iam iam imminente stato illo festo die, quo Ecclesia Catholica Mater nostra præcelsum & venerabile Eucharistiæ Sacramentum singulari solemnitate celebrandum, ac in processionibus reuerenter & honorificè per vias & loca publica circumferendum constituit, vt sic victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere ex tanta lætitia palàm ostendat; nobis, quos asserente supremâ Sede Apostolicâ Spiritus sanctus posuit regere hanc in qua sumus Ecclesiam Dei, illud præcipuè incumbit curæ, vt omnia congruè & decenter in tanta celebritate fiant & constent. Verùm cùm omnia quæ à Deo sunt ordinata sint (ait Apostolus ad Romanos) & omnia honestè & secundùm ordinem facienda, (ait idem ad Corinthios) tum maximè id omninò seruandum est in Ecclesia sancta Dei, quæ scilicet procedere semper debet vt Castrorum acies ordinata. Neque verò vnicuique spiritui in eo ordine statuendo credendum, sed Spiritui illi sancto, qui per totum Ecclesiæ corpus diffunditur, & placita sua per Concilia, maximè generalia, ac per Sedis Apostolicæ summos Pontifices Christi Vicarios manifestat. Quare nos ita per præsens edictum statuimus, vt scilicet inter Ecclesiasticas personas primi procedant fratres Ordinis sancti Francisci Capucinorum, quos sequantur fratres Ordinis sancti Francisci Obseruantium, tum fratres Ordinis sancti Dominici, Postea fratres sancti Sepulchri, quibus succedat Ecclesia Collegiata Beatæ Mariæ lætæ, in qua qui officio Curionis fungitur, stolam ad reliquum sacrarum vestium ornatum addat, isque solus. Vltimo loco procedat Ecclesia nostra Cathedralis; in qua nos

Syonnasia votum ad D. Claudij.

Franciscus edictũ denunciat pro festo S. Sacramenti.

Deo propitio, auguſtiſſimum ac tremendum Sacramentum portabimus, apparatu quoad fieri poterit honeſtiſſimo & magnificentiſſimo. Poſt Sacramentum verò veniant omnes vtriuſque ſexus fideles eo ordine & apparatu quo hactenus, pro ſua in tantum myſterium deuotione conſueuerunt huic proceſſioni intereſſe. Atque ordo prædictus cùm ſit ſecundùm Cæremoniale Romanum & iuris Communis Pontificúmque decreta vt perquàm accuratè ab omnibus Eccleſiaſticis tam regularibus quàm ſæcularibus ſine vlla contentione ſeruetur in virtute ſanctæ obedientiæ omninò præcipimus. Qui autem ſecus fecerit excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ipſo facto incurrat, nonobſtantibus quibuſcunque, amotâ etiam omni appellatione. Sine præiudicio nihilominus iurium ſi quæ ſint, & prætentionum Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ lætæ, quæ omnia illi ſalua eſſe volumus & declaramus, parati, vbi de illis conſtiterit, præſens edictum quatenus illi officiat, omninò reuocare, & irritum declarare. Cæterùm in gratiam populi, & vt eius deuotionem erga Parœcialem ſancti Mauritij Eccleſiam quantum in nobis eſt promoueamus, cenſuimus in ea Eccleſia ſolemne Miſſę officium à nobis vt par eſt celebrandum, cui reſpondebunt omnes tum Cathedralis tum Collegiatæ Clerici, & ibidem vt omnes ad proceſſionem ineundam & finiendam conueniant. Hoc autem edicto, quamuis initio Collegiales Canonici reluctari voluerint, cautum eſt ſcandalis quæ procul dubio aliter emerſiſſent. Eodémque tempore ad Electum Sedunenſem Epiſcopum Abbatem Agaunenſem pro Patribus Ordinis Minimorum per litteras ſuam collocauit operam. Semurenſes Religioſos illos amauerãt, & in quodam Prioratu Abbatiæ Agaunenſi ſubdito eos collocare cupiebant, quod cùm, niſi ex Abbatis conſenſu, fieri non poſſet, rogauere Saleſium dum Diuioni ageret, vti pro ſuo erga eum ordinem amore dignaretur in eam rem incumbere, & Saleſius promiſerat. Scripſit igitur egítque præclarè vir, quem nulla vnquam pia negotia fatigabant. Sed his in rebus inſumpti dies Fremiotæ anni interſtitium faciebãt, donec illuceſceret indicta dies momenta omnia numerabat. Paratis igitur ad iter omnibus, hinc cũ Matre Syonnaſia Saleſius, illinc Fremiota ad fanũ Diui Claudij conuenerũt. Vt attingit à fine vſque ad finẽ fortiter Deus, ſuauitérque cũcta diſponit. Tãtus fuit in piiſſimis illis Matronis animorum

Franciſcus pro Religioſis ordinis Minimorum ſcribit

Franciſcus ad D. Claudij peregrinatur.

morũ cõsensus,vt visa fuerit tantũ par ex consilio virtus coëgisse, percusso inter se sanctæ amicitiæ fœdere. Accessit ad Salesium Fremiota, & longis sermonibus ambo sacrosancta Communione refecti,de Diuina voluntate & mundanarum rerum contemptu disseruerunt. Luce posterâ ad Fremiotam Salesius accessit, hísque eam verbis consolatus est. Noctem ferè transegi insomnem,diu & seriò tuis de rebus cogitaui. Ita est. Et ea Dei voluntas vt directionis tuæ spiritualis curam assumam. Idque ex toto corde faciam.Hæc verò postea aliquando dixit. Magni sunt huius peregrinationis effectus & eos dicere nequeo. Ita sit ergo, magnis profectò agor motibus ad directionem & curam tui.Scito tamen, ô filia, si à Deo acciperem velle se alium ad id applicare muneris,deponerem hanc libentissimè curam,& te indifferenter in illius traderem manus. Quousque tamen hoc intelligam sine mihi reliquos dies tuos, munus hoc impono mihi libens & lubens vt Deo rationem reddam.Antequam discessũ separarentur piam viuendi methodum breuibus ei præscripsit articulis. Cura, ô filia, vt statim ac reliquerit te somnus anima tua ad Dominum Deum tuum per sanctam aliquam cogitationem absolutè se iactet.Ad exemplum.Quemadmodum somnus imago mortis est, ita somni solutio resurrectionis. Credo quòd redemptor meus viuit,& in nouissimo die resurrectura sum. Quæso Domine sit in vitam æternam, reposita est hæc spes in sinu meo. Porrige operi manuum tuarum dexteram, tu quidem dinumerasti omnes gressus meos, sed dimitte peccata mea. Cum videbis diem, transi à corporeo lumine ad spiritualis considerationem,vel à temporali ad æternum,& cum Dauide dic.O Domine in lumine tuo videbimus lumen. Cùm vestieris formato prius signo crucis dic tacitè: indue me Domine pallio innocentiæ, & nuptiali veste charitatis. Quo facto per aliquod temporis spatium meditare. Cùm in Ecclesia Missam auditura eris, dum Sacerdos calicem & Missalem librum præparabit, constitue te præsentem Deo. A Confessione ad Euangelium produc contritionis affectus, ab Euangelio ad Præfationem fac protestationem fidei. Post Præfationem considera beneficium mortis & passionis Domini nostri Iesu Christi.Ad eleuationem adora profundissimè Saluatorem & offer eum Deo Patri suo. Post eleuationem age gratias ei humillimè ob institutionem sanctissimi il-

Franciscus Fremiota curam assumit.

Franciscus piam viuendi methodum Fremiotæ præscribit.

Manè.

Vt audienda Missa.

lius Sacramenti : Cùm Sacerdos dicet orationem Dominicam, recita & tu eam cum omni deuotione mentaliter : Ad Communionem communica & tu, vel realiter vel ſpiritualiter. Cum manè cubiculo exire voles, pete humiliter licentiam & benedictionem ab Angelo Cuſtode tuo : Per diem fac orationes iaculatorias multas. Ad ſonum horologij eleua cor tuum dicens. Benedictus Deus, appropinquat æternitas: inter negotiandum intuere ſæpè Diuinam bonitatem : inflammatorum verborum apparatum habe, quæ ad tempus animæ tuæ frænum ſint : Ante cœnam, multum probo parum animi collectionis. Vnaquáque die hebdomadæ ingredere piè in vnum ſacrorum vulnerum Domini noſtri Saluatoris. Die Dominica intra in vulnus lateris. Die Lunæ, in vulnus ſiniſtri pedis. Die Martis, in vulnus dextri pedis. Die Mercurij in vulnus ſiniſtræ manus. Die Iouis in vulnus dexteræ manus. Die Veneris in Cicatrices adorabilis capitis. Die Sabbathi reuertere ad ſacrum latus, vt per illud, & ab illo, & ad illud Hebdomada tua incipiat & deſinat. Si aliquid eorum quæ tibi decerno contingat omittere, ne propterea in ſcrupulum incidas. Cæterùm oportet omnia te ex amore facere, & nihil vi. Plus amanda eſt obedientia, quàm timenda inobedientia. Volo te ſpiritum habere libertatis, non illius quæ obedientiam excludit, libertas enim carnis ea eſt, ſed illius quæ vim, ſcrupulum & negotioſitatem proſcribit. Cùm aliqua ſeſe offeret iuſtitiæ & charitatis occaſio, vt exercitia tua intermittas, volo id obedientiæ ſpeciem eſſe, & defectum hunc ab amore ſuppleri. Volo omnia abſque operoſitate, & cum lenitatis manſuetudiniſque ſpiritu operere. Eleua ſæpè animum tuum ad Deum etiam cùm Diuinis operibus incumbes. Amplectere ſanctè mortificationes, & excipe abiectiones in ſpiritu reſignationis. Voluntatem Dei in rebus & materiis ex ſe ingratis æquè ama, ac in iis quæ ex ſe gratæ ſunt. Longioribus & amplioribus conſiliis tempus defuit. Promitti tamen ſibi voluit à Fremiota Saleſiana Baro Syonnaſia, vti quamprimùm commodè poſſet viſitatione domum ſuam & familiam dignaretur, nec ſine lachrymis ſeptimo Calendas Septembris hinc inde diſceſſum & reuerſum eſt. Reducem verò Saleſium noua negotia ſed grata exceperunt. Quippe Veſpaſianus Agacia Abundantianus Abbas, vir magnæ virtutis in id conſilium adductus fuerat, vt poſtquam ſex ſenes diſciplinæ regula-

Vt dies tranſigenda

Vt hebdomada trãſigenda.

Spiritus libertatis.

Veſpaſianus Agacia vir pius.

tis

ris prorsus ignaros Monachos, quos dumtaxat in Abbatia sua habebat, cùm duodecim esse debuissent ad antiquum religionis splendorem reducere non potuerat, saltem alios in eorum locum idoneos sufficeret. In Religiosos Ordinis Diui Bernardi Congregationis Beatæ Mariæ Fullienſis oculos coniecit. Quamobrem re Salesio Gebennensi Episcopo, apud quem iampridem sanctæ amicitiæ fœdere valebat, communicata, cum Generali Ordinis Fullienſis egit, & quod summoperè gestiebat obtinuit; quia tamen neque sine summi Pontificis authoritate, neque sine Ordinarij, quem superiorem Abundantianus Abbas semper cognouit, consensu, exequutioni res demandari poterat. Rogauit Salesium vti ad Apostolicam Sedem rem referre omnem vellet, & pro tanto religionis bono scribere & rogare. Amplexatus est consilium Salesius, ambabus manibus, & ad Clementem octauum virtute magna scripsit. Malis religiosis nihil peius esse inquiens, non secus ac bonis nihil melius, vt de iis cum Hieremia meritò dici possit: si ficus bonæ sint, bonas valde: si verò malæ, malas valdè. Quare ad tollenda scandala nihil magis impræsentiarum expedire, quàm si in malorum locum boni religiosi, & igne sancti Spiritus ardentes sufficiantur; addidit & alia, quibus factum est, vt (licèt non tam citò) Fullienſibus Abbatia illa celebris & antiqua reparata & ornata fuerit. Agebantur autem hæc exeunte Octobri, & postridie Calendas Nouembris Petrus Marquetus Rupensis, vir de humanioribus litteris benè meritus, patriam suam nouis scholis illustrare cupiens, cùm recordaretur Franciscum Salesium olim Rupi prima Grammaticæ iecisse fundamenta, per elegantissimam orationem, editis etiam in publicum libellis, sub eius auspiciis ludum litterarium aperuit, & eum Musarum Hospitem, Omnigenæ Doctrinæ thesaurum, & litteratorum verè Mœcenatem appellauit, nec multo temporis interiecto spatio, quarto scilicet Calendas Decembris Parœciani Veriacenses prope Anicium, quo plurimas inter se & Canonicos Collegialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Anicienſis lites & controuersias sopirent, oblato libello supplici vti eorum Ecclesiam Diuo Mauritio sacram visitare dignaretur: primi omnium ex Parœcianis fuerunt, qui visitationis beneficium & honorem retulère. Interea Galliarum Rex Henricus quartus quanta Salesius Diuioni egisset, agerétque summo totius Ecclesiæ bono quotidie multo

Franciscus pro Monasterij Abüdantiani reformatione Romam scribit.

Franciscus litteratorum verè Mœcenas.

multorum vocibus intellexerat, & pœnitebat eum quòd tantæ virtutis virum regno suo exire permisisset. Mira de eo & pro eo voluebat in animo, nec abstinere poterat quin publicè diceret, inuidere se cognato suo Duci Sabaudiæ quòd tantorum meritorum Præsulem sua in Tetrarchia haberet. Scire voluit quàm diues esset cúmque non nisi mille nummos aureos annui reditus habere accepisset. Indignum ait tanto Pontifice tàm exilem Episcopatum, nec mora Hayanum accersiuit, & scribe (inquit) meo nomine ad Salesium Gebennensem Episcopum, vt ad me redeat, nam ditiori eum beneficio, prætereáque magnâ aliâ dignitate donare volo. (Summo Pontifici eum in Cardinalem offerre cupiebat) Paruit mandatis Hayanus, sed nihil aliud Salesius quàm immensas tantæ beneuolentiæ gratias egit, sufficeréque sibi, satis supérque dixit reditum illum, & pręterea illud suæ debere patriæ, vt sicut eum excoluerat, ita illam suo incolatu quantum posset deinceps excoleret. Vanitatem quidquid præter Deum erat siquidem omnia reputabat; hinc est quòd ipso eodem anno sexcentesimo quinto supra millesimum, quem Quadragesimalibus Concionibus in vrbe Rupensi iampridem & ab tenera ætate sibi charissimâ insignem reddidit, Antonio Galliardo Matris Sacerdoti Eleemosynario: Quidnam Dominæ Baroni Matri suæ renuntiari vellet quærenti dixit. Matrem meam valere iubeo, ac præterea orare & obtestari Deum, ne me in altiorem curam permittat eleuari, nimium enim ex hac Diœcesi ponderis sentio. Et ex his sanè sensibus totâ Quadragesimâ humilitatem & figuræ huius mundi quæ præterit contemptum suis auditoribus declamauit. Cæterùm vix dici potest quantum hac in Rupensi vrbe tulerit emolumenti: nam præter quotidianas Cõciones singulis diebus Iouis, non Canonicos dumtaxat Vrbanos, sed & finitimos Curiones & Sacerdotes conuocabat, cósque hora quæ post meridiem commodior censebatur docebat casus (vt vocant) conscientiæ, omniúmque dubia & difficultates ineffabili cum mansuetudine & charitate auscultabat. Exceperat eum hospitio Claudius Angeuillanus Vrbanæ Collegialis Ecclesiæ Beati Ioannis Baptistæ Primicerius, ac ille idem qui quondam Granierij Generalis Vicarius extiterat, & ad Domum eius mendicandi panis causa accedebat Martinus Rupensis, à Natiuitate supra modum surdus & mutus, sed ad omnis præterea generis obsequia

Henricus IV Galliarum Rex Franciscum ad se venire iubet.

Franciscus cum gratiarum actione se excusat.

Franciscus Rupi quadragesimã Concionibus peragit.

Franciscus Rupi casus conscientiæ docet.

obsequia promptissimus hunc serui coquinariis rebus persæpè adhibebant, & inter prandendum sistebant Salesio. Tactus est pietate ob misellum bonus Præsul, eâ autem præcipuè ratione quòd ob mysteriorum fidei ignorantiam sacrosanctæ Eucharistiæ communione careret, tentauítque vtrum per signa posset nonnihil de diuinis rebus capere; Vt vidit non deesse pauperi ingenium, signísque instrui, eum deinceps familiæ suæ addidit effecitque cõtinuis laboribus, vt miser ille de diuis mysteriis bene sentiret & vitia fugeret & virtutem amaret, & singula peccata de quibus confiteretur significaret, & (quod mirum dictu) cogitationes etiam bonas vel malas, & animi conceptus exprimeret; ita vt tandem ad communionem eum posse accedere Salesius iudicarit. Cùm autem confiteri vellet intrabat in optimi Domini sui cubiculum, vultu ad pietatem prorsus composito, claudebátque ostium, necnon inferiores fenestras, ne fortè videri posset, tum prouolutus in genua quidquid egerat signis detegebat, flebátque amarè, tundebat pectus, & hæc videns sanctus Episcopus, eius etiam genas teneritudinis rigabat lachrymis: tanta porrò mutum illum dilectione prosequebatur, vt ne vlla ei inferretur vel minima iniuria toti familiæ districtè prohibuerit. Exactis fœliciter Rupi Quadragesimalibus Concionibus cùm per aliquot deinde dies Salesij cum matre moram traxisset, Anicium rediit Synodum celebraturus in quâ præclara statuit, quæ ad prima anni sexcentesimi tertij decreta adderentur, & quæ in hanc formam promulgauit. Negligentia quam ex Ecclesiasticis nobis subditis, in obseruandis iis quæ nuper statueramus, nonnulli immò plurimi ostenderunt, & necessitas quam esse cognouimus initio visitationis nostræ, scilicet controuersiis quæ inter Curiones & Paræcianos nasci possent caueremus, ad ferenda hæc statuta compulerunt. Primò igitur statuimus Constitutiones Synodi anni sexcentesimi tertij, præsertim verò in iis quæ ad cauponas & œnopolia spectant, vt cum his accuratè obseruentur iterum esse promulgandas. Vniuersos & singulos quicunque beneficia curam animarum habentia possident sub excommunicationis pœna intra sex hebdomadas personaliter residere debere, nisi legitimè cum illis dispensatum sit quod vel nobis vel Vicario nostro Generali intra idem tempus constare debeat. Et ne eorum beneficiorum possessores ignorantiæ causam præten-

Franciscus mutum & surdum hominem de rebus diuinis instruit.

Franciscus ad Constitutiones suas Synodales decreta addit.

De residentia.

dant : Præcipimus eorum Vicariis vti eos certiores reddant, hocque ſtatutum eis ſiue verbo ſiue ſcripto denuncient, necnon vt intra menſem ad Vicarium noſtrum ſuæ diligentiæ teſtimonium referant ſub pœna quinquaginta librarum aduerſus vnumquemque delinquentem. Cùm multos intellexerimus committi ab Exorciſtis abuſus ; Prohibemus omnibus Eccleſiaſticis ne deinceps exorciſent, niſi vel à nobis vel à Vicario noſtro rurſum admittantur, & admiſſio quidem in ſcriptis dabitur iis, qui ad id muneris idonei cenſebuntur. Iis autem ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne extra Eccleſias exorciſent, ne poſſeſſos ſuis in domibus Curioniis retineant, præſertim ſi mulieres ſint, & ne cum illis peregrinationes ineant, ſub pœna viginti quinque librarum, & alterius arbitrariæ contra delinquentes. Nemini Religioſo cuiuſcunque tandem ordinis licitum ſit in Diœceſi noſtra Concionem habere niſi facultatem in ſcriptis habeat vel à nobis, vel à Vicario noſtro, quam Curionibus exhibere tenebitur, vbi concionari volet, itémque eos admonere antequam ad magnam Miſſam accingantur vt Parœcianos ſuos queant hac de re commonefacere. Tenebuntur Parœciani omnes Paſchali tempore apud Curiones ſuos aut alios ab eis poteſtatem habentes confiteri, itémque in Parœciali Eccleſia, eorum manibus ſeu ab eis conſtitutorum communicare. Si tamen eſſent aliqui qui nollent eorum communicare manibus, tenebuntur ij admonere & aliò eundi facultatem petere, quam quidem facultatem eo ipſo Curiones dabunt, & Parœciani intra dies octo poſt Paſcha teſtimonium ab eo Sacerdote referent, cuius manibus communicauerint, alioquin cenſebuntur vt hæretici. Quod ad eos qui in hæreticorum regionibus Diœceſi noſtræ finitimis verſantur, vel qui vt habeant quò viuant cum iis coguntur habitare, facultatem facimus omnibus Curionibus, & aliis ritè admiſſis eos confitentes audiendi & abſoluendi, quòd ſtatutos Eccleſiæ feſtos dies non celebrauerint, Vigiliis, quatuor temporibus, & quadrageſimâ non ieiunauerint, aut quòd diebus illis (exceptis Veneris & Sabbathi) carnes comederint : ſicut etiam quod Miniſtrorum Concionibus interfuerint, dummodo Cœnam non ſumpſerint. Ad vitandas altercationes, quæ ſolent inter Curiones & parœcianos eſſe, pro ſindone defunctorum, ſtatuimus futurum deinceps ad hæredum vel aliorum exequiarum curam habentium arbi

De exorciſmis.

De Concionibus.

De confeſſione & Communione.

De iis qui cum hæreticis manere coguntur.

De Sindone defunctorum.

arbitrium, vti sindonem Curioni relinquant, vel referant persoluendo ei sex florenos, & pro Riciniolo puerorum duos florenos.

De luminaribus in exequiis.

Super querimonis ad nos delatis, quòd multi Curiones luminaria quæ in exequiis die sepulturæ deferuntur, retineant, nec velint ad Missas, quæ die posterâ celebrantur, præbere, sed alia petant, statuimus vt Curiones teneantur luminaria die postera repræsentare, & diebus tribus quibus consuetum est preces pro defunctis fundere, si luminaria illa sufficiant, quibus verò tribus diebus præteritis, quod ex iis luminaribus residuum erit spectabit ad Curiones: & si Missæ die crastinâ non celebrentur tunc Curiones luminaria repræsentare minimè teneantur. Et quandoquidem in multis Diœcesis nostræ Ecclesiis rogantur Curiones vti præbere dignentur luminaria, & cum ad debiti numerationem venitur, plerunque intentare suis cum parœcianis lites coguntur. Vt iis occurramus, statuimus, ponderanda esse luminaria coram iis à quibus præbere rogabuntur antequam remittant, sicut etiam cùm reddentur, & pro insumptâ cerâ soluendos esse ad vnamquamque libram ponderis Anicíensis quinque florenos, eodémque pretio soluenda luminaria quæ anni decursu præbuerint. Cùm nouerimus multa esse sacella exigui reditus, & multis onerata officiis, quibus Rectores satisfacere nequeunt,

De Sacellis.

statuimus vt Rector Sacelli, qui (exempli gratiâ) decem tantum florenos annui reditus percipiet ad viginti tantùm Missas in anno obligetur, ratione sex assium pro Missâ, & sic de cæteris; non intelligentes tamen eos qui opimi reditus sacella possident, ad amplius & maius officium quàm ex fundatione teneantur obligare. Imperamus & præcipimus omnibus Ecclesiasticis Diœcesim nostram incolentibus vti deinceps festum sancti Petri ad

De festo sancti Petri ad vincula.

vincula cum Octaua tanquam patroni Ecclesiæ nostræ Cathedralis, itémque diem dedicationis eiusdem, quę est octaua Octobris celebrent. Cùm ad aures nostras peruenerit Curionum & aliorum beneficia possidentium plurimos lites aduersus parœcianos suos intendere, plerunque ex contentione potius & æmulatione, quàm studio suarum Ecclesiarum bona tuendi, quas facile esset initio componere. Prohibemus idcircò Curionibus omnibus & aliis quibuscunque Ecclesiasticis, ne quid simile intendant, vel suos parœcianos in ius arcessant, quin prius cum Superuigile contulerint, qui auditis partibus rem componere conabi-

De litibus Parœcianorum.

tur; si tamẽ parœcianos viderit esse iniurios, nec velle ad æquum rectúmque intelligere, tunc Curionibus ius suum prosequendi facultas dabitur. Super expositione nobis à Procuratore fiscali nostro facta, quod licèt ex iure ipso omnes bonorum Ecclesiasticorum alienationes nisi in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cedant (quo casu etiam superiorum licentia necessaria est) prohibitæ sint, nihilominus Ecclesiastici multi tum Curiones cùm Sacellorum Rectores, nobis, vel Vicario nostro insciis beneficiorum suorum fundos vendunt, permutant, alienant, quod multarum deinde litium materiam præbet. Vt iis malis occurramus, omnes contractus alienationis aut permutationis eorum bonorum factos, aut qui deinceps nobis aut Vicario nostro insciis fiẽt, irritos & nullos declaramus. Beneficiatis ne quid simile committant sub pœna centum librarum, inhibentes, & si commiserint præcipientes, vt intra sex menses omnia in pristinum statum restituant. Mandantes propterea Superuigilibus vt seriò in eam rem aduertant, admoneántque Procuratorem nostrum fiscalem, quotiescunque aliquem peccati in nostrum hoc statutum reum cognouerint. Hæc Pastor officij sũi studiosissimus decernebat & promulgabat cùm à Camberiẽsi Senatu venerũt litteræ, quibus ad sequentis anni quadragesimales Conciones in nobilissimo illo Allobrogum Emporio, & coram tot augustis Senatoribus habendas rogabatur, adeò nullus ei ab Apostolico munere vacabat annus: sed & aliæ venerunt Roma quibus efficiebatur certior ab summo Pontifice Leone vndecimo anteà Alexandro Medicæo recens creato, in Catalogum eorum qui breui Cardinales futuri essent, relatum. Et ita sanè se res habebat. Ille verò tantum abest vt exaltaretur vel moueretur ex lætitia quin potius fortunam abominaretur. Auertat hanc à me dignitatem Deus (inquiebat) neque enim ad eam sum idoneus. Certè parendum est summo Pontifici, sed si à me tribus tantùm passibus distaret Galerus Cardinalitius non mouerem pedem vt illum caperem. Hei mihi verò! si fieri posset vt pro Geneuatum meorum ad veram fidem conuersione sanguine meo toga ista purpurescceret, quàm læto animo eam ferrem. Atque his sensibus etiam cum lachrymis afficiebatur. Verumtamen rata res erat nisi tantum Pontificem qualis erat Leo, Ecclesiæ totius bonomors inuidisset. Sanè plus in litteris quas eodem ferè tempore à

De Ecclesiarum bonis non alienandis.

Franciscus rogatur ad Conciones à Senatu Camberiensi.

Franciscus à Papa Cardinalis designatur.

Francisci zelus.

Fremieta

Fremiota accepit, sensit voluptatis: Egregiam enim & Deo gratam illam animam in Christi visceribus mirandum quantũ amabat, & ad omnem occasionem incensam iam spiritu recto, principali animabat. Tandem secundò, conuenerunt apud Syonnasiam Salesianam die Sabbathi post Ascensionem Domini, quam diem Salesius responsione suâ indixerat & locum, quia nullum prædari poterat ab suo munere otium Anicij, & præterea ab Ecclesia sua solemni Pentecostes die abesse nolebat. Illic igitur in sacello Diui Sebastiani Fremiota in Salesij sinum per generalem Confessionem animum suum effudit, renouatáque est vt Aquilæ iuuentus eius: tum discedẽs, secum in Burgundiam, Ioannam Salesiam puellam speciosissimam, & in virtutibus planè cõpositam, Matris corculum & delicias, cùm vltima esset quam à Boësiaco genuerat, amicitiæ magnum profectò pignus tulit, non tamen priùs quàm in mutuam gratiam Mariam Amatam Rabutiniam primogenitam suam Salesium se missuram promiserit. Quàm inuestigabilibus viis sua consilia prosequitur Deus! Et interim Geneuenses, quod pœnituisset eos non aliam ob causam quàm ob ludibria, quibus sese exposuerant, oblatam cum Salesio publicam disceptationem recusasse, spargebant in vulgus hos rumores; velle se de religione cum Catholicis conferre, quandoquidem ipsi peterent, & paratos habere Ministros qui Salesio responderent, quotiescunque conditiones adimpleret quas præterito anno Baro Luxius proposuerat. Et Salesius ne defecisse videretur animo, hunc ad eos confestim syngraphum misit. Super propositionibus anteà factis pro aditu ad collationem publicam in Ciuitate Geneuensi habendam de rebus dumtaxat quæ ad religionem spectant, inter me cum Catholicis aliquot Concionatoribus ex vnà parte, & Ministros eius Ciuitatis ex aliâ hoc scriptum meâ manu feci & signaui, sigillóque muniui meo, quo testimonium perhibeam & declarem. Vbi Ministri consentire volent, & de iustis æquísque conditionibus tanto conuentui & collationi congruis conuenire. Ibo & adero promptè & syncerè, sperans in bonitate Dei, sacrosanctum nomen suum ad bonum & plurimarum animarum salutem glorificatum iri. Actum Anicij octauo Idus Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo quinto. Franciscus Episcopus Gebennensis. At verò terruit si vnquam aliàs socordes illos hæc animi fortitudo, eximiáque fi-

Franciscus generalem Fremiotæ Confessionẽ audit.

Franciscus ad Geneuates syngraphus.

Geneuensium socordia.

dentia, nec aliud quàm ad ſolitas dilationes & tergiuerſationes recurrerũt. Quo viſo Saleſius donec eis fortè rediret animus ad Generalem Viſitationem ſuam ſe accinxit. Non tamen prius quàm longas illas & moleſtas inter Cathedralis ſuæ Canonicos & Collegiatos Anicienſes controuerſias tandem compoſuerit.

Franciſcus litẽ inter Gebennẽſes & Anicienſes Canonicos componit.

Pridie igitur Idus Octobris coram ſe conuocauit ex Cathedralibus Ludouicum Saleſium Præpoſitum, Claudium Mentonium Præcentorem, Amblardum Guillietium, Stephanum Combanũ, Carolum Aloyſium Pernetum, Carolum Groſſetum, Ioannem Deagium, Antonium Bochutum, Philibertum Rogem, Ioannem Fabrum, Claudium Stephanum Nouelletium, Ioannem Franciſcum Saleſium, & Dionyſium Granierium. Ex Collegialibus, Ianum Ochianum, Claudium Cheuallerium, Bartholomæum Flocardum, Ioannem Ludouicum Iaquerium, & Ioannem Bernardum, prætereáque Petrum Dunãtium, & Guillelmum Ioſſerandum Sacerdotes honorarios, omnes à ſuis Eccleſiis conſtitutos, quibus auſcultantibus de bono pacis breuem ſed eximij vigoris & emphaſis adhortationem habuit, tum illi bono eſſe & quieto in inuicem animo inquientes, ſic tranſegerunt. Vt ſententia ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Epiſcopo & Principe Gebennenſi lata vim habeat: verumtamen quia terminis (vt aiunt) concepta eſt generalibus, ne vlla deinceps difficultas oriatur, aut noua controuerſia, ea membratim explicetur; ſcilicet. Quotieſcunque Reuerendiſſimo Epiſcopo aut eius generali Vicario lubebit in Eccleſiam ſuam Cathedralem, cæteras Eccleſias conuocare, Canonici Beatæ Marię dato ad rem campanæ ſigno abſque difficultate venient. Cùm autem aduentare cõtinget eo tempore quo in Cathedrali choro adhuc canetur, locum extra chorum eligent, prout voluerint, donec abſolutum ſit officium, quo finito intrabunt in chorum ſi videbitur, & in alta hemicycla in eum finem vacua aſcendent, relictis tamen ſedibus Conſiliariis Illuſtriſſimi Ducis Nemoroſij deſtinatis & ſolitis, in iiſque manebũt expectantes donec proceſſio ineatur. Neque tamen vllum poterũt celebrare officium. Quapropter etſi cantores ſuis cum baculis & trabeis venient, nihilominus inferiùs relinquent baculos, & trabeati aſcẽdent in maiora ſubſellia, quandoquidem huiuſmodi ſeſſio in teſtimonium fraternitatis eis conceditur, & non aliter. Cantores Eccleſiæ Cathedralis, Proceſſiones & earum officium

Tranſactio Canonicorũ Gebennenſiũ & Anicienſium.

Vt Collegiales in Cathedrali eſſe debeant.

cium inchoabunt, posteà cùm absolutus fuerit à Cathedrali choro primus versus psalmi aut hymni vel alteriùs cantici, chorus Collegialis secundum prosequetur, & sic alternis choris tanquã duo Seraphim canentes alter ad alterum benedicent Domino. Processionis idem ordo seruabitur, qui nouissimè ex Reuerendissimi Præsulis edicto seruatus est: nec vllo modo miscebuntur Ecclesiæ, sed vnaquæque suo procedet ordine, scilicet post Religiosos sancti Sepulchri ibit Ecclesia Collegialis Beatæ Mariæ, & post eam nouissimè & vltimo ordine (qui inter Ecclesiasticos dignior est) Cathedralis Ecclesia. In processionis reditu postquam Cathedralis Canonicus qui officium celebrabit orationem finierit, atque adeò absoluta fuerit Processionis solemnitas. Ecclesia Collegialis cum cæteris, & vt cæteræ, recedet. Si ab Reuerendissimo Præsule seu eius Vicario, ad Collegialem Ecclesiam vel Diui Mauritij Parœcialem cæterarum fiat conuocatio, sic procedetur. Collegiales Canonici adeò ad rem & tempus campanæ signum dabunt vt aduenientibus Cathedralibus absoluta sint officia, ita vt immediatè inchoari possit processio, si tamen fortè officia non essent absoluta, remanebunt Cathedrales extra chorum, quousque datus sit finis, & tunc intrantes, ascendent in maiora subsellia ad dextram partem, siue adsit siue absit Episcopus, liberum tamen relinquentes locum Illustrissimi Ducis Gebennesiani Consiliariis: tum incinetur Processionis canticum, à Cantoribus quatuor, duobus scilicet è Cathedrali Ecclesiâ, & duobus è Collegiali, qui duo Collegialis Ecclesiæ cantores Canonici erunt. Ponẽtur autem circum chori pluteum quatuor sedes, duæ scilicet ante, duæ retrò, in anterioribus sedebunt Cantores Collegiales, & in posterioribus Cathedrales. Præcentione factâ chorus Cathedralis solus primum versum prosequetur, & interim Cantores Collegiales in suæ Ecclesiæ corpus abibunt, vt secundum versum canant, & sic alternis choris solito ordine Processio fiat. Dato circulo, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, cuius erit officium, stans, ante altare orationem canet, quâ absolutâ, recedet Cathedralis Ecclesia, & Collegiali ad quod libebit celebrãdum, locum faciet: in his autem Processionibus liberum erit vtrique Ecclesiæ suas portare reliquias, quo etiam libebit habitu. Ad Processionem quæ fit in festo Corporis Christi, & inchoatur in Diui Mauritij, idem ordo seruabitur: & absente Episcopo, aut si vel

Cantus alternus.

Ordo Processionis.

Vt Cathedrales in Collegiali Ecclesiæ esse debeant.

Processio festi sanctissimi Sacramẽti.

vel non posset vel nollet esse præsens, Honor deferendi sanctissimum Sacramentum ad Cathedralem Ecclesiam pertinebit. In reditu benedictione ex more & ritè datâ incinentibus quod volent Cantoribus, Ecclesia Cathedralis recedet, & Collegiali locum dabit: si verò alibi quàm in Collegiali Ecclesia solemnitas ex Episcopi vel eius Vicarij iussu fiat, obseruabitur ordo idem qui in Cathedrali obseruaretur. Iam quod ad sepulturas & exequias attinet, licèt Cathedralis Ecclesia nolit se scripto obligare, ne ad laïcorum hominum sepulturas eat, declarat nihilominùs id se non cupere, sed adesse tantùm sepulturis & exequiis Reuerendissimi Episcopi, suorum Canonicorum, & habilitatorum, qui sacris fuerint initiati, necnon puerorum chori, si tamen habilitati ij & pueri chori in Cathedrali Æde sepeliendi sint, Canonicorum aut habilitatorum manibus, & non aliter, si quis Cathedralis Canonicus in Collegiali Æde, vel Diui Mauritij sepeliendus sit, hic ordo seruabitur. Leuatio cadaueris & præcentio spectabit ad Cathedralem, quâ factâ, alternis choris vsque in Ædem canetur. Vbi in Ædem intratum fuerit, à quatuor Cantoribus (vt in Processionibus dictum est) præcentio fiet. Quod ad Missas spectat; celebrabuntur duæ primæ à Canonicis Collegialibus, vltima verò à Canonico Cathedrali, cum suis Ministris, Diacono, & Subdiacono etiam Cathedralibus: Finito sacro, Sacerdos Cathedralis exibit è sacrario cum nigrâ trabeâ hoc ordine. Primò Cruces ambarum Ecclesiarum, deinde Diaconi vltimæ Missæ, pòst Sacerdotes Collegiales duarum primarum Missarum cum trabeis, vestibus quas in suis Missis tulerint congruentibus; vltimus ipse Sacerdos seu Canonicus Cathedralis: sistentur Cruces ad alas altaris, Cathedralis ad dexteram, Collegialis ad sinistram, statímque ad altiorem gradum altaris in angulis Diaconus & Subdiaconus, tùm duo Canonici Collegiales, & in eorum medio Sacerdos Cathedralis, quibus sic dispositis, quatuor Cãtores primum Responsorium incinent, & dum canetur, Canonicus Collegialis primæ Missæ descendet, vt acerrâ incensâ lectum doloris seu feretrum fumiget, cæteráque cæremonias ritè faciat, tũ redibit in suum locum, vt finito responsorio dicat orationem: idem faciet ad secundum Responsorium secundus Canonicus: Posthæc Cantores quatuor Responsorium (Libera me) incinẽt, mox duo Collegiales versum qui incipit (Tremens) & Cathedrales

De exequiis & sepulturis.

drales ſecundum qui incipit [Dies illa.] Vltimus verò verſus qui incipit [Requiem æternam] à quatuor Cãtoribus canetur, quod dum fiet Canonicus Cathedralis circum cadauer fumigationes aget,& cætera de ritu. Dum autem orationem dicet, Canonici Collegiales in ſacrarium recedent ad deponendas ſuas trabeas, eo quod diuerſi coloris ſint, & ſepultura omnino à Cathedralibus fiet,eò quòd defunctus frater eorum ſit.Nullum verò ex funeralibus huiuſmodi Cathedralis Eccleſia prætendet emolumentum,niſi quòd Veſtis ſeu trabea & epomis , ſiue purpurea, ſiue ex muris Pontici vellere,ad Cathedralem Ædituum ſeu Magiſtrum Cæremoniarum ſpectabunt.Hęc fuit tranſactionis ſumma. Hoc arbitrium, quod maximi eſſe momenti videbatur & quod Pontifex ſapientiſſimus interpoſito decreto ratum eſſe iuſſit:tum demùm lætus & hilaris in Domino, de tantâ Canonicorum ſuorum concordiâ, ad Viſitationem ſe dimidio plus viuere dixit. Vaſtiſſima eſt Diœceſis Gebennenſis & multis plena populis,ingentibus montium molibus (ſi Caballium, Gexium, Gebenneſij & Sabaudiæ partem demas)gibboſa, aſperrimis iugis, ſcabris callibus quibus ad Montanas parœcias itur, & modò hîc æterna ferè hyeme horrida,modò illic extremis torrida æſtibus, atque adeò labores improbos, eóſque multos bonus Præſul ſuſcipiebat,ſed nihil eum poterat ab officio auertere, gaudebat in laboribus & in anguſtiis,in æſtu & frigore vbi de Dei gloria & animarum ſalute agebatur. Nullum curauit ſibi deferri cubile vt ſolent cæteri omnes,ſed modò hîc benè,modò illic malè ſecundum diuerſitatem locorum & commoditatẽ cubare voluit.Scripſit verò ad Fremiotam dum eſſet in procinctu. Proficiſcor ad benedictã hanc viſitationem & omnis generis video cruces,fremit ad eas caro,ſed cor adorat,ita eſt, adoro vos, ô paruæ & magnę,cruces ſpirituales & temporales,exteriores & interiores.Saluto vos & pedem deoſculor, vmbræ veſtræ honore indignus. Curionibus igitur per edictum & proſcriptos libellos monitis Idibus Octobris egreſſus Anicio,& prætergreſſo Rhodano in iis partibus quæ nuper Francicæ ditioni acceſſerant, Corbonodij Parœcialem Eccleſiam ſancti Mauritij viſitauit:die decimâ ſextâ Sanctorum Victoris & Vrſi Chanæi:decimâ ſeptimâ,Sancti Ioãnis Baptiſtæ Dorchi:decimâ octauâ ſancti Petri,Suriodij:decimâ nonâ,ſancti Mauritij,Craij,eâdem ſanctorum Laurentij & Deſi-

Diœceſis Gebennenſis deſcriptio.

Franciſcus ad viſitationem ſe accingit.

derij Dingiosij, eâdémque sancti Martini Geniſſiæ : vigesimâ sancti Petri Billiæ:vigesimâ primâ sancti Nicolai Arlodij:eâdem sanctorum Blasij & Grati Musinenti : vigesimâ secundâ sancti Ioannis Baptistæ Ardoni:Eâdem sancti Pauli Vouræi,eâdémque sancti Stephani Ochiæ:vigesimâ tertiâ , Prioratum sancti Nicolai, Villæ,ordinis sancti Benedicti;Eâdem Prioratū sancti Amandi Leæ : vigesimâ quartâ, Ecclesiam sancti Amandi Lancrenti: vigesimâ quintâ , Abbatiam Beatæ Mariæ & sancti Rolādi Cheseriaci:vigesimâ sextâ, Ecclesiam sancti Martini Chamfromiaci: vigesimâ septimâ , sancti Andreæ Montangij : in eâ cùm ei Curio adolescentem quemdam clericali insigniendum caractere obtulisset,considerato ad frontem iuuene Pontifex num Ecclesiasticus esse vellet interrogauit? Diu cùm tacuisset initiandus, tandem respondit,non velle,tunc Pontifex iussit recedere , nec vnquam adduci potuit vt eum insigniret, licèt à consanguineis & cognatis eius per omnes obtestationum modos humillimè rogatus,quia scilicet,opimum quoddam ei beneficium destinabant,quod deinde ad alios transmitteret. Docens hoc exemplo Episcopos quod inculcat Diuus Paulus , ne temerè manus imponant , adeò in omnibus & vbique sollicitus erat & prudens. Perrexit ad visitationem,& die vigesimâ octauâ visitauit Ecclesiam sancti Mauritij Eschalloni ; Eâdem sancti Sebastiani Balledosij:vigesimâ nonâ,sancti Nicolai Sangermani , Iouis : eâdem sancti Blasij Leriæ:trigesimâ,Beatæ Mariæ Brenodij;eâdem sancti Martini Corcellarum:trigesimâ primâ,sanctorum Victoris & VrsiCampi aurei;eâdem sancti Martini Cormarenchæ:Calendis Nouembris festo omnium Sanctorum,Beatæ Mariæ Altæuillæ: die secūdâ,sancti Desiderij Ruffieuij:tertiâ, sancti Stephani parui Albergamenti ; eâdem sancti Amandi magni Albergamenti: quartâ,sancti Romani Ottonæ.In his tribus Parœciis præsertim, Cacodæmones miserandum in modum incolas vexabant , vt & apud illos intolerabilis erat superstitio. Vt Episcopus aduētauit, possessorum à Dæmone se turbâ vidit circumdatum. Visu & auditu horrēda res erat:insultabant miseri,frendebant, stridebántque dentibus in eum,importunis clamoribus vallem replebant, & miseratione ipsos etiam videntes fatigabant. Interrogauit de omnibus Præsul,benedictione datâ accersiuit,aperire os iussit & oculos:sub linguâ enim & pupillâ oculi operari aiebat , plerúnque

Franciscus cur quemdam clericali caractere insignire noluerit?

Franciscus plusquam octingētos homines à dæmonum vexatione liberat.

que malignos illos ſpiritus, tum percuſſit exorciſmorum fulmine, peculiari quidem, quod ad perſonas, & generali quod ad locum & Paroecias, liberauit autem pluſquam octoginta homines in iis tribus paroeciis ab dira illa Cacodæmonum vexatione, neque deinceps auſi ſunt rebelles illi Angeli in Deum ſuum, incolas illos ab eâ pace, quam reliquit eis Paſtor optimus, deturbare: immo verò eximiam quâ pollebat bonitatem, eorum malitia nequiuit ferre, neque enim Angelo lucis Angeli tenebrarum obſtare poſſunt. Perrexit, & die quintâ viſitauit Eccleſiam ſancti Martini Songieuij: eâdem ſancti Mauritij Lilignodij, eâdémque ſancti Petri Chimillieuij: ſextâ, ſancti Martini Meralliæ: ſeptimâ, Beatæ Mariæ Lochieuij, eâdem ſancti Mauritij Paſſini: octauâ, ſancti Andreæ Fitignieuij, eâdem ſancti Michaëlis Lonnieuij: nonâ, ſancti Laurentij Sutrieuij, eâdem ſancti Eugendi Charancini, & ſancti Mauritij, eadémque ſancti Stephani Condaminæ: decimâ, ſanctorum Mauritij & Antonij Theſieuij, eâdem Prioratum ſanctorum Eugendi & Catharinæ Bellimontis, eâdémque Eccleſiam ſancti Martini Chandoſſini: vndecimâ, Beatæ Mariæ Vieuij, eâdem Prioratum ſancti Symphoriani Campaniæ, eâdemque Eccleſiam ſancti Martini Yonij: duodecima, ſancti Andreæ Chauornæi: decimâ tertiâ, ſancti Petri Virieuij parui, eâdem ſancti Mauritij Romagnieuij: decimâquartâ, Prioratū ſancti Chriſtophori Thaleſſieuij, eâdem ſancti Mauritij Ameſieuij: decima quinta, Decanatum ſancti Andreæ Ceſerieuij, eâdem Paroecialem ſancti Ynemondi Ceſereuienſi vnitam, eâdémque ſancti Martini Bauelli: decima ſexta, ſancti Eugendi Vogniaci, eadem ſancti Petri Marriguieuij, & ſancti Mauritij Flaxieuij, eadémque ſancti Petri Pollieuij: decima ſeptima, ſancti Stephani Creſſini: decima octaua, ſancti Petri Lauorij; eadem ſancti Petri Chanazij, eadémque ſancti Petri Curtillarum: decima nona, Beatæ Mariæ Congieuij, eadem ſancti Laurentij Beonis: vigeſima, Prioratum Beatæ Mariæ Seſſelli: vigeſima prima, Prioratum ſancti Martini Enclaforti, eadem Paroecialem ſancti Martini Culij: vigeſima ſecunda, Prioratum Beatæ Mariæ Vyonis: vigeſima tertia, Prioratum Beatæ Mariæ & ſancti Laurentij Cindrieuij: vigeſima quarta, Paroecialem ſancti Germani Ruffieuij: eadem ſancti Mauritij Serreriarum, eadémque Beatæ Mariæ Mozij: vigeſima quinta, ſancti Quintini Crempigniaci, & vigeſima ſexta,

Franciſci in viſitatione labores.

ſancti Petri Verionæi. Dici verò vix poteſt quantis laboribus hanc egerit expeditionem primam, ſingulis in locis populũ Concione & catechiſmo conſolabatur, inſtruebat, ne ſacellum quidem, quin viſitaret prætermittebat, Sacramentum Confirmationis conferebat, confeſſiones audiebat, communionémque porrigebat fidelibus manu propria. Præbebat populorum quærimoniis aures magna cum patientia, & quod neceſſarium exiſtimabat prudenter decernebat. Inquirebat de Virorum Eccleſiaſticorum & ſæcularium exceſſibus, de peccatis & peccatoribus publicis, corripiebátque vbi erat opus cum ſeueritate innatæ ſibi mixta lenitati: Bonorum Eccleſiaſticorum ne deinceps diſtraherentur & alienarentur per ſcriptę inquiſitionis tabellas à libellione ſuo curabat confici: nouas Eccleſias & ſacella dedicabat, conſecrabat: controuerſias & lites componebat, pacabat odia, & inimicitias ſupprimebat; denique is ipſus erat Epiſcopus & Paſtor bonus qui animam ſuam pro ouibus ponebat ſuis. Penè reſpirabat, cùm ad Quadrageſimales Conciones Camberium proficiſci oportuit. Iuit autem maturè, vt antequam intraret in negotia, parum otij ad collectiones animi haberet. Quamobrem ſpatio dierum octo, quo tempore Hilaria ſunt, apud Patres Societatis Ieſu exercitiis religionis ſolitarius incubuit, vt ad imitationem quaſi Ioannis Baptiſtæ, immò & Chriſti Domini (aiebat) exiret de deſerto in plateas & vicos annunciare regnum Dei. Camberium Vrbs eſt Sabaudiæ primaria, Olim Sabaudorum Principum, nunc Auguſtiſſimi Senatus ſedes, in amœniſſima ſita conualle, pulcherrimis cincta mœnibus, quampluribus notata turribus & pinaculis, humaniſſimóque plena populo, quam alij olim à Caturigo Allobrogum Rege, à Berio autem Arturi Britannorum Regis in Italiam proficiſcentis ſocio ac Duce ſtrenuiſſimo alij conditam ferunt. In hac igitur vrbe inſigni, & in vaſtiſſimâ Diui Dominici æde, coram clariſſimis Senatoribus, conciones ſuo more habuit tanto cum feruore, tantáque virtute, vt miracula diceret eſſe populus, nec ipſum Saleſium ſed Spiritum ſanctum qui ore Saleſij loqueretur. Hinc aliquando dum quaſi raptus peroraret è pulpito, viſa eſt Crucifixi ſtatua è templi podio in eum vibrare radios, neque ſola erat Dominicana Eccleſia horum miraculorum teſtis, ædes etiam Diuæ Claræ, ſanctũ Caſtri Sacellum, Pœnitentium nigrorum ſanctiſſimi Cru-

Franciſcus Camberij apud Ieſuitas exercitiis ſpiritualibus incũbit.

Camberiũ vrbs Sabaudiæ à quo condita.

Crucifixi ſtatua in Fratriſcum radios vibrat.

cifixi

cifixi filiorum eius & fratrum Oratorium, necnon Congregatio Parthenicorum ſodalium Gymnaſij Societatis Ieſu, ſub potētiſſimis eius verbis & omni fulmine efficacioribus perſonabant. Sed dum Camberio profligat vitia, & paſſim virtutes diſſeminat, indigna prorſus moleſtia Apoſtolico homini à Senatu venit. Præſidebat per ea tempora Carolus Rupeculanus Baro Donjonius, & pendebat cauſa cuius haberi euidentia non poterat niſi per viam Monitorij (vt appellant) ſeu excommunicationis in eos, qui aliquid de re percepiſſent, nec reuelarent. Senatus ſuam Saleſio denunciauit voluntatem; vti ſcilicet Officiali & Vicario ſuo Generali præciperet litteras monitoriales & excommunicationis in eam rem dare: verùm ille penſato negotio, incluſam vidit eſſe actorum malitiam, immò nequitiam, nec rem tanti eſſe momenti vt excommunicationis in conſcios fulmen contorquendum eſſet. Quare denunciatoribus ait: Conſiderato rerum omnium iſtarum fine, melius fortè futurum arbitror ſi euaneſcant, Senatum itaque rogatum velim, excuſatum me habeat, ſi monitoriales litteras ob id negotium minimè dandas putem. Renuntiauit reſponſum Accenſus. At Senatus tantum abeſt vt ſatis ſibi factum putauerit, quin potius, ad virorum nequam & virtutis inimicorum inſtantiam, decretum emiſerit, quo ſub pœnâ priuationis temporalium ſuorum bonorum, monitoriales huiuſmodi litteras dare bonus Præſul, adhortatione (indigeſtum gentis laicæ ad ſuos Pontifices, Patres & Paſtores vocabulum) iubebatur. Et dignam porrò concionibus eius quem magnâ plurimarum aliarum Ciuitatum inuidiâ aduocarant, & in ſuorum numerum iam olim tantis cum præconiis optauerant, mercedem! Verumtamen non his mouebatur fluctibus vir verè ſanctus: Benedictus ſit Dominus Deus (inquit) minus eſt mihi ex hoc decreto malum quàm putetur: Nota eſt me totum deinceps ſpiritualem eſſe debere, quandoquidem tolluntur mihi temporalia. Non vlterius tamen à Senatu perrectum eſt, quinimò Senatorum plurimi hac de re ſtatim indignati erubuerunt, & excuſationem dederunt. His autem pendentibus pergebat magnus Antiſtes æquali vultu ſeminare verbum Dei, nec ſine magno populorum emolumento, qui verè eum eſſe Apoſtolicis conditionibus præditum prædicabant. Cùm aliquando de Sanctorum qui in cœlis cum Chriſto regnant inuocatione & [illegible]

Franciſci mira patientia, manſuetudo & animi robur.

Franciscus duos hæreticos Belgas conuertit.

ratione sermonem doctissimè habuisset, tantoperè Hęreticorum duorum natione Belgarum tunc fortè auscultantium corda perculit, vt statim concione habitâ ad eum accesserint proposuerintque dubia omnia & difficultates quas circa controuersum hunc fidei articulum iàmpridem habuerant, solutionémque acceperint, nec morâ in eius manibus Hæresim abiurarint. Et hæc erat Salesij vita, vt post exactas Conciones soluendis omnium dubitationibus, & priuatis de Diuinis rebus colloquiis vacaret, quin etiam quæ sui erant Pontificij muneris non omitteret, quapropter de licentia Reuerendissimi Patris Francisci Flechardi Episcopi & Principis Gratianopolitani, Sacros generales Ordines in Ecclesia sancti Antonij (vbi hospitio receptus fuerat) tum Sabbatho quatuor Temporũ post cineres duodecimo Calendas Martij, cùm Sabbatho ad Sitientes, quinto Idus Martij celebrauit, quibus temporibus nonagintaquinque Clericos initiauit, vigintiquinque ad Minores ordines admisit, septem Subdiaconos, septemdecim Diaconos, & Presbyteros viginti, ordinauit. Toto vero spatio temporis & interuallo illo quod Concionatoribus datur inter feriam tertiam maioris hebdomadæ, & feriam sextam in Parasceue, in eâdem Diui Antonij æde accurrentium vndique confessiones audiuit. Tum Camberiensibus post festa Paschalia valere iussis in suum Anicium Synodum celebraturus reuersus est. Ferebatur per has tempestates vastúsque erat vulgi rumor, Geneuates erga Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem malè affectos, in finitimas irruituros Prouincias, sed & amplius ciuitatem Anicienſem armis occupandi consilium illis esse: nec deerant qui prouidnm Præsulem his de rumoribus consulerent, siue etiam quid agendum haberet vel extorquere conarentur, vel vltrò suggererẽt. Et ille, ego verò (inquit) arbitror vos trepidare timore vbi non sit timor: neque enim patietur vltra Deus gentes venire in hæreditatem suam, vt polluant templum sanctum eius, & ponant Hierusalem in pomorum custodiam. Verumtamen si quid eo casu facerem scire vultis. Næ tantum in me restare animi puto, vt cùm viderem lupum venientem, minimè dimitterem oues meas, nec fugerem, immò potius. Et quidni? accingerer gladio super femur meum, induerem galeam & populi mei fidelis ductor essem, & cum hæc diceret, Petri Balmani Episcopi Geneuâ pulsi pusillanimitatem adducebat in medium. Vir erat ille (inquiebat)

Franciscus ordines Camberij celebrat.

Franciscus verè pastor bonus.

(inquiebat) sanè bonæ indolis & syncerè Catholicus: at verò defecit animo cùm fortitudine opus fuit, nec nisi in prosperis florere potuit. Statim ac Geneuates suos variis tentari opinionibus intellexerat, tunc incolenda prorsus Ciuitas erat non deserenda, debebat super muros Hierusalem ascendere & clamare die ac nocte donec conuersa esset ad Dominum Deum suum. Arbitramini defeciisse Geneuam ab Orthodoxa fide si Pastorem suum, & Principem vidisset fortiter armatum custodire atrium suum? Minimè profectò. Et credite, si tantam in nos persecutionem Deus permitteret, vellem & verbo & opere populum meum ad certamen defensionis animare, nec pigeret me bellicorum laborum, præmia enim sunt Dei prælia, & mei prorsus est muneris vt animam meam ponam pro ouibus meis. Sed (vt dixi vobis) miserebitur suorum Dominus, dummodò spes in eo nostra sit, nec tradet bestiis animas confitentes ei. Hæc Pastor optimus. Aliis opinio erat Sereniſſimum Ducem suis in Ditionibus Allobrogicis libertatem conscientiæ (vt vocant) ad Francorũ Regis exemplum permissurum, postulantibus id Geneuatibus & Heluetiis, quamuis nihil minus Dux haberet in animo, qui inter cæteras eximias laudes hanc tulit, vt fidei puritatem suis semper in regionibus tutatus sit, & conseruauerit. Salesius verò; non committet hoc Dux Religiosissimus (inquiebat.) At si committeret (obloquebantur.) Si vultis vt ad conditiones respondeam (tunc aiebat) etiamsi me in periculo illo mori contingeret, tamen pro virili mea, interceſſione reclamarem. Et subdebat; Hei mihi! quæ conuentio inter Iesum Christum esse potest & Baal? quis ordo lucis ad tenebras? vnde verò tot malis, tot ærumnis conflictatur Gallia, nisi ex misera illa libertatis, omni seruitute peioris tolerantiâ? quantis volent nitantur rationum momentis homines, quos Status, sæculum appellat, ego nihil hîc video, & quãdoquidem in Catholicorum partibus fortissimus Rex est, ego si Consiliarius eius essem, vti omnem Catholicæ contrariam Religionem, statim & penitus prætermissis rebus omnibus cęteris profligaret, euerteret, suaderem. Væ Principibus! Væ Galliæ, ob libertatem illam! Et hæc dicens trahebat ex imo suspiria pectore. Feruentissimis deinceps populum suum adhortationibus consolabatur, & ad fidei constantiam animabat, ad bona opera in salutem æternam exercenda, & verbo & exemplo incitabat: nec enim

Francisci zelus pro suis ouibus.

Franciscus quid de libertatis conscientiæ malo diceret?

enim vllus erat in Ciuitate infirmus, quem non inuiseret; nullus inops, cui non amplis stipibus opitularetur; nullus captiuus & carceri mancipatus, quem non & verbo, & pecuniâ, & victu reficeret. Detinebatur inter cæteros insignis quidam monetæ adulterator, vir exoticus, & damnatione ad mortem languebat, ac quod peius, delapsus idcircò in desperationem erat, nec volebat suis Iudicibus (vt ab omnibus reis peti solet) condonare. Frustrà in eam rem viri multi, multâ virtute præditi laborauerant, Vnus Franciscus Salesius id potuit obtinere, atque vt tanto amplius misero animum daret, cùm subeundæ mortis causâ, ad viginti circiter Anicio milliaria in locum in quo peccauerat duceretur. Sanctus Episcopus, vsque ad primum ab vrbe lapidem eum comitatus est, continuis adhortationibus, ac vbi separationis tempus & locus fuêre, benedicta quædam numismata quæ iampridem Româ detulerat, & quibus supremi Pontificis sanctitas peccatorum indulgentiam applicauerat, dedit, tùm tenerrimè amplexatus fleuit super illum, vnáque omnium, quotquot adstabant, ita mouit ad pietatem animos, vt non nisi luctus & gemitus audirentur: sed & Curionibus omnibus per quorum parœcias transiturus erat miser, præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, vti ei spiritualem omnem opem ferrent: cúmque mirati nonnulli quamobrem tantoperè extraneum ad mortem benè & Christianè subeundam audiuisset, interrogassent? Extraneum dicitis? ita est (inquit) sed numquid in Deo omnes fratres sumus? Porrò sic superatis festis solemnibus ad perficiendam visitationem nouos labores suscepit, & decimo quarto Calendas Iulij Anicio egressus Parœcialem Ecclesiam sancti Donati oppidi Albiaci visitauit; eodem sancti Mauritij super Albiacum: decimo tertio, Beatæ Mariæ Heriaci, eodem sancti Petri Frassiæ: duodecimo, Beatæ Mariæ Cheynasij; eodem sancti Vrsi, eodémque sancti Petri Mognarij & sancti Mauritij Epersiaci: vndecimo, sancti Girodi, eodem sancti Fœlicis: decimo, sancti Albani, eodem sancti Iusti Ansegniaci: nono, sancti Benedicti Marrigniaci, eodem sancti Marcelli: octauo, sancti Mauritij Bleyaci: septimo, sacros generales Ordines in oppido Rumilliaci celebrauit: sexto, visitauit Ecclesiam Diuæ Agathæ eiusdem oppidi: quinto, Prioratum Beatæ Mariæ de Eleemosyna, eodem parœcialem Beatæ Mariæ Moyaci: quarto, Beatæ Mariæ & sancti Blasij Massingiaci,

Franciscus hominem reum ad æternæ spē salutis reuocat.

Francisci erga eum charitas.

Franciscus Visitationem suam continuat.

singiaci, eodem sancti Laurentij Castri Cessentini:tertio, sancti Germani & sancti Petri Brizonij, eodem Prioratum sancti Innocentij & Ecclesiam sanctorum Petri &Pauli Santofengij superioris: pridie Calendas Iulij, Beatæ Mariæ Sanctofengij inferioris, eodem Prioratum sancti Roberti Ordinis Diui Benedicti: Calendis Iulij Beatæ Mariæ & sancti Georgij Moncæi, necnon sancti Laurentij Treuigniaci: die secundâ,Beatæ Mariæ Biollæ: tertia, Abbatiam Beatæ Mariæ Altæcombæ: quarta, Parœcialem sancti Ioannis Baptistæ Greziaci, & Prioratum sancti Nicolai:quinta,& sexta,sancti Christophori Cusiaci:septima,sancti Laurentij Ariti in Bouiciis, eadem Beatæ Mariæ Noyerij: Octaua,sanctorum Mauritij & Blasij Escheraniæ:eadem sancti Donati Allioni,& sanctorum Simonis & Iudæ Cemeterij: nona,sancti Mauritij scholæ, eadem Prioratum Beatę Mariæ Bellæuallis Ordinis Cluniacensis, & Parœcialem Diui Stephani sanctæ Reginæ: decima, sancti Andreæ Iarsyaci,eadem sancti Antonij Martyris Doucyaci: vndecima, sanctæ Catharinæ Compostæ: duodecima,sancti Ioannis Baptistæ Castellardi; eadem sancti Victoris Mottæ: decima tertia, sancti Mauritij Bellæcombæ, eadem sancti Ioannis Baptistæ Calcium,& sacellum album sancti Mauritij: decima quarta,sancti Eustachij: decima quinta, sancti Bartholomæi Gyaci,eadem sancti Ferreoli:decima sexta, sancti Petri Fabricarum: decima septima, Prioratum sancti Ioannis Baptistæ Viuuij,eadem Parœcialem sancti Sigismundi Setonæi:decima octaua,sanctorum Victoris & Vrsi Marlenti,eadem sanctæ Columbæ Conti:decima nona,Prioratum sancti Laurentij Viginæ:vigesima,Prioratum transfigurationis & sancti Sixti Heriaci, eadem Parœcialem sancti Nicolai de Sacello Flumeti: vigesima prima, sancti Grati & Natiuitatis Beatæ Mariæ Creuolanti, eadem Beatæ Mariæ Bellæcombæ: vigesima secunda, sancti Petri Gyettę:vigesima tertia,Ecclesiam Diui Theoduli oppidi Flumeti de nouo constructam consecrauit: vigesima quarta, visitauit Prioratum sancti Ioannis Baptistæ Megeuæ,eadem sancti Nicolai Comblouij: vigesima quinta, Beatæ Mariæ Castelli, eadem sancti Martyris:vigesima sexta,Collegialem Ecclesiam sancti Iacobi oppidi Sallanchiæ: vigesima septima, Parœcialem sancti Andreæ Domenciaci, eadem sancti Geruasij: vigesima octaua, sancti Nicolai Verossiæ, eadem Beatæ Mariæ Gorgiæ: vigesima

nona, Beatæ Mariæ Ceruozi: trigesima, Prioratum sancti Michaëlis Campimuniti. His in regionibus Falcinatũ horrendi stupendíque montes sunt, ac quod mirabilius æternâ concreti glacie, seu quam aliquando eliquatam Solis radiis fuisse, nullus vnquam hominum vidit, Christallo simillima, quin imò & Christallus: finditur autem aliquando æstate hæc glacies, tanto cum mugitu, vt terram hiscere in abyssum putes: Plurimus autem & humanissimus populus valles incolit, mirâ prorsus omnipotentis Dei prouidentiâ, & religio apud gentes huiusmodi cum omni veritate & synceritate maxima. Narratum est sancto Præsuli ante paucos dies Pastorẽ quemdam post vaccam quæ aberrauerat currentem in enormem hiatum incidisse; atque ibi in glaciem ferè mutatum clausisse diem, quæ res mira eum pietatis teneritudine affecit, vt ad Fremiotam adhuc apud Heduos commorantem scripsit. Diebus hisce præteritis montes terrificos densâ ad decem aut duodecim cannas glacie opertos vidi, & à vicinarum vallium incolis accepi, Pastorem, dum post vaccam quam perdiderat curreret, casu, in duodecim cannis fissuram profundam deturbatum, & dum quò abiisset ignoraretur, vbinam esset, galerum, qui in hiatus margine fortè restauerat indicasse; sed & amplius ex vicinis suis quemdam, vt eum mortuum reportaret, appenso reste illuc descendisse, mortuum amplexatum tulisse secum, sed breui tempore: nam & ipse nimio pene gelu conficiebatur. O Deus! exclamaui. Adeóne calidus erat Pastoris illius ardor ad vaccæ suæ quæstum, vt non eum glacies hæc frigefecerit? & cur ego ad ouium mearum conquisitionem adeò sum ignauus? O qualem mihi stimulum! chariſſima filia. Pastor ille qui pro solâ vaccâ tot periculosa loca percurrit; Horrendus ille casus quem consectationis ardor causat ei, dum vbi sit sua vacca, potius quàm vbi ponat gressus suos respicit, illa vicini charitas seipsum in abyssum deturbantis, vt ex ea amicum eruat: glacies illæ, numquid me vel timore deberent cõgelare, vel amore pervrere? Hei mihi! Quot mira iis in locis vidi? plenæ erant domibus valles, & glacie montes: Humiles viduæ, humiles rusticæ, tanquam valles adeò fertiles sunt & Episcopi tam sublimè in Ecclesia Dei positi omninò gelidi! Heu! nullusne erit adeò potens sol, vt eam qua obrigesco glaciem fundat? Et his quidem afficiebatur tenerrimis motibus verus Pastor, cùm nouum aliud

Montes glaciales in Falcinie.

Francisci zelus & erga proximum charitas.

pietatis

pietatis argumentum allatum est. Obitus Petronillæ Boutææ Codiæ Matronæ rusticæ, sed sanctitatis odore apud suos & maximè Rupenses celeberrimæ. Amauerat eam iampridē in Domino Salesius,& eius se precibus sæpissimè commendarat. Quamobrem Nuntium qui à Claudio Angeuillano Primicerio Rupensi cum litteris venerat,madidis interdum (præ teneritudine) oculis, in suorum omnium præsentia sic differentem auscultauit. Bonæ matris historiam quam à me petis (inquit) Reuerendissime Domine, vt probè scio paucis expediam. Hæc Petri Boutæi Codij Salis & ferri Mercatoris nec non Ciuis & incolæ Rupensis, & Margaridis Aragoniæ legitimorum coniugum filia fuit, cui ad Baptismi Sacramentum Petronillæ nomen datum est. Infantem adhuc Pater moriens matris reliquit curæ, & mater vt erat piissima ad omnem eam pietatem sedulò & sincerè instruxit: quapropter desiderium ei religiosæ vitæ teneris adhuc annis inditum est. Renuerunt tamen parentes & cognati, & sanè pusilli erat à natura ad Religionem roboris;cum ergo viginti annos attigisset,eam Petro Mugnali Arentoniano, qui Rupi multarum mercium, præsertim autem pannorum officinam habebat, per matrimonium collocarunt,& cum eo semper vixit sanctissimè: nam omnimodam Domi pacem & tranquillitatem, licèt turbulentus satis coniux esset,conseruabat. Omnium rerum domesticarum habebat curam. Prouida & nunquam otiosa, in pauperes beneficentissima, cum vicinis & consanguineis nusquam discors. Missam quotidie audiebat licèt remota esset valde Ecclesia. Ad Conciones assidua, & postmodum vicinis suis & domesticis quæcunque Concionator dixisset repetebat, & laudabat virtutes, & vitiorum fugam inculcabat. Singulis diebus Veneris ieiunium accuratè obseruabat. Vigiliis,quatuor temporibus & Quadragesima solo viuebat pane & obsonio leguminum,sciphi medium ex vino bibebat, reliquum sitis fugabat frigida. Domi nunquam ad mensam sedit. Infirmos visitabat,sepulturisque fidelium assistebat. Seruos Catechismum & pietatem docebat,mercésque eis distribuebat æquissimè,Marito obedientissima, Christiana humilitate præstans: singulis mensibus,& decimoquinto sæpissimè die ad sacram synaxim confessione præuia, nec nisi magna cum præparatione accedebat. Rosarium quotidie non semel tantùm, sed & ter & quater recitabat: Vir-

Petronillæ Boutææ Codiæ dictæ bonæ Matris historia.

Nubit.

Pacifica.

Concors.

Sobria.

Pia.

Humilis.

Casta.

gines & caſtos amabat quamplurimùm, ſpecialíque reuerentia proſequebatur: viginti annorum ſpatio Diui Franciſci cingulum rudibus nodis ſupra nudam cutem tulit, etiam in lecto, vnde excoriata erat. Singulis noctibus certa quadam hora ſurgebat è lecto cum ſola interula ſiue hyeme, ſiue æſtate (permittente id ei marito, cum quo ex more cubabat) & per horam precibus & meditationibus vacabat. Si fortè aliquando ſacri audiendi non eſſet illi copia, tunc per ſpatium duarum horarum in conclaui orabat incluſa. Singulis ferè annis pedes ad Diui Claudij peregrinabatur, & perſæpè ad Fratres Minores regularis obſeruantiæ Anicienſes & Cluſienſes eleemoſynas mittebat. Cùm aberat maritus ſuper paleam, aut certè ex rudi panno ſtragulum dormiebat. De extremis hominis ferè ſemper loquebatur, & ſuo coniugi de incerta mortis hora ſermonem habebat ſæpiſſimè, & meus longior quàm par eſſet, deberet eſſe ſermo, ſi narrare vellem quæcunque bona illa mulier ſanctè coram hominibus geſſit: nam cætera pietatis opera ante ſolum Deum acta nemo ſermone conſequatur, & occultabat eximias ſuas virtutes, ita vt difficilè notari poſſent, vſque ad Dominicam primam menſis Iunii (vt laici numeramus) pridie nonas. Crucem geſtans manibus in Paroecialem Eccleſiam Amanciacenſem ſe contulit, cùm iam debilis valde eſſet, confeſſa eſt ſacramentaliter & communicauit. Diebus poſteris Lunæ & Martis, quatuordecim æquæ menſuræ frumenti ſaccos in farinam reduci iuſſit, nouem modii quadrantes ex fabis & piſis ſeparauit, necnon plurimos aſſes Sabaudicos, cæteráſque res domeſticas optimè & compoſuit & diſpoſuit, die Mercurii de obitu ſuo loqui cœpit, & eum ad diem quintum Idus Iunii, & horam quintam ſerotinam prædixit. Delirare eam Mugnalis rebatur, vt & domeſtici omnes: extremam acceptura vnctionem in Eccleſiam ibat, ſed cum debilitate prohibuerunt ſui. Sandapilam ſuam fieri rogauit, verumtamen maritus renuit, nec eam in Eccleſiam amplius ire permiſit: tunc illa; ego (inquit) fili mi (ſic enim eum vocabat) nunquam tibi inobediens fui, nolo vltimis vitæ meæ diebus eſſe, ſed rogo vt capulum meum fieri cures dum tempus habes: nam ſi in craſtinam diem expectas, conquereris de tempore: at ille ſubridebat. Nocte illâ Conciones quas à triginta annis audiuerat repetebat, non ſine omnium admiratione, flexis deinde genibus ortâ luce

Eius peregrinationes.

Auſtera.

Eius extrema vita.

Obitus ſui diem prædicit.

diu

diu cum libello precatorio orauit, ac in cubile, Mariti iussu reuersa, de iis quæ Beatissima Virgo Maria tùm in educando diuino Infante suo, cùm in Egypto & alibi passa fuerat longum sermonem habuit, sindonem quâ sepeliri volebat tulit ex arca, tum vocatis filio, quem vnum, & filiabus, quas duas habebat, salutaria eis verba dixit, circa timorem & amorem Dei, dilectionem proximi, & rerum domesticarum curam, ac demum flentibus illis maternam, ex Deo, per signum Crucis impertita est benedictionem. Accersiri volebat Mugnalis Medicos Geneuenses, verùm illa ad nomen abhorruit, & vtinam (inquit) Medici illi in domum tuam nunquam misissent pedem: Inimici enim Dei sunt. Sumpsit cum marito prandium, hausto vino quantum manus concauum continere potest, & à prandio, cum discessurus Rupem ob vrgentia negotia Mugnalis esset, omnia quæcunque parauerat & dispositerat ostendit, eique vti sacellum in Ecclesia Amanciaci, sicut Tuæ Dominationi, (Reuerendissime Præsul) promiserat, dotaret, necnon vestes sacerdotales curaret confici persuasit, thesaurizandum esse in cœlo inquiens, & sapienda ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Et ille abiens, ne domo egrederetur (volebat enim semper in Ecclesiam ire) prohibuit. Interea visitauit eam Curio Amanciacensis, à quo extremæ vnctionis Sacramentum postulauit, & qui tamen, cum non adeò infirmam putaret, distulit. Visitauit & eam soror eius Nicolæa nomine, cui manere volenti ait, Abi soror, Habes Rupi negotia, infirmaris plusquam ego, & breui fruemur cœlo, iuuante Deo. Accessit chirurgus Franciscus qui eximendo corrupto sanguini ad scapulas ei cucurbitam adhibuit, non mora obmutuit, & fleuit amarè: tunc Curio, Christophorum Monetium Ecclesiæ Rupensis Vicarium rogauit, vt iret vnctiones captum, quo audito erexit se bona Mater, & oculos in cœlum cœpit attollere. Cum Vicario rediit maritus non sine lachrymis, & Sacramento ea accepto, Crucifixi effigiem iunctis tenens manibus, leuatis in cœlũ oculis cum omni trãquillitate beatum spiritum Deo reddidit (vt prędixerat) quinto idus Iunij hora quinta serotina, & tunc fabricanda citò sandapila. Pulchrior à morte fuit quàm dum viueret, nec fœtorem vllum emisit. Mugnalis (vt dies erat) magnificas ei exequias instruxit, & quingentis ampliúsque pauperibus amplã stipem erogauit: Eius autem vita quadraginta & octo annorum

Sorori suæ Nicolææ eius obitũ prædicit.

Spiritum Deo reddit.

fuit. Nicolæa ſoror receptis in ipſa Rupenſi Eccleſia Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & extremæ vnctionis Sacramentis (vt ei Petronilla indixerat) abſoluto à Canonicis diuino officio, Iouis die decimoſeptimo calendas Iulij expirauit. Hactenus Nuncius. Dum autem hęc narrabantur, emittebat interdum lachrymas Saleſius, poſtmodúmque ſic ad Fremiottam ſcripſit. Hiſtoriam vitæ & obitus hîc accepi ſanctæ Ruſticæ, ex mea Diœceſi, coniugatæ. Quid ſuper his cogitaſſem? referam aliquando tibi omnia, nam profectò neſcio quid boni ea in hiſtoria reperio. Amabat me ex ſua gratia, & ſuis ſæpè me precibus Deo commendauit. Ecce, vt Deum vbique, & vt Moyſes in rubo Vir Dei inueniebat. Perrexit verò ad viſitationem, trigeſima prima Iulij Parœcialem Eccleſiam Beatæ Mariæ Vallis Vrſinæ viſitauit: Calendas Auguſti ob feſtum ſolemne Vinculorum Diui Petri tum Cathedralis Eccleſię tum Paſſiaci Patroni in eo loco egit, vt & ſecundam diem: tertia viſitauit Eccleſiam ſancti Mauritij Maglanti: quarta, ſancti Sigiſmundi, eadem ſancti Michaëlis Arachiæ. Prærupti ſi vllibi, ibi ſunt montes, & aſcenſu difficillimi; Bonus Paſtor pedes aſcendit in montem vbi Nanciacenſis Beatæ Mariæ Eccleſia ſita eſt, die quarta, ſed quibus laboribus & quantis, ex hoc cõiicies, quòd cùm ad ſummitatem deueniſſet, ex pedibus pelle ſpoliatis fluebat cruor, vnde decem ab hinc dierum ſpatio ſuſtinere ſe vix poterat: viſitauit tamen & die quinta Eccleſiam ſancti Nicolai, Cluſis: Septima, ſancti Petri Syonziaci, eadem ſancti Hyppoliti: octaua, Prioratum Beatæ Mariæ, & ſancti Theoduli Thyaci: nonâ, ſancti Geruaſij Myuciaci: decimâ, ſancti Martini Caſtillionis: vndecimâ, ſancti Ioannis Baptiſtæ Fleriaci: duodecimâ, Beatæ Mariæ Egetarum, eadem ſanctæ Magdalenæ Morzinæ; decima quarta, ſancti Ioannis Baptiſtæ Alpiũ; decima ſexta, ſancti Chriſtophori Morilloni: decima ſeptima, Abbatiam Beatæ Marię Magdalenæ Sixi: decima octaua, Collegialem Aſſumptionis Beatæ Mariæ Samoënti: vigeſima ſecunda, ſanctorum Sebaſtiani & Pancratij Villæ in Sallatio: vigeſima quarta, ſancti Georgij Saniorij, eadem ſancti Petri Turris: vigeſima quinta, ſancti Stephani Bogeuæ, eadem ſancti Andreæ & ſancti Ymerij Caſtelli Falcinij: vigeſima ſexta, ſancti Ioannis Tholomæi: vigeſima ſeptima, ſancti Mauritij Boëgij: vigeſima octaua, ſancti Petri Aberiarum; eadem ſancti Ioannis Baptiſtę Villarſij: vigeſima nona, Beatę

Nicolæa ſoror obit.

Franciſcus pergit ad viſitationem.

Franciſci in viſitatione quales & quãti labores?

tæ Mariæ Burdignini : trigesima , Prioratum Beatæ Mariæ Pellionnæi:Calendis Septembris sancti Blasij Viuuij in Sallatio, vnde ad Iacobum Bayum celeberrimum Doctorem Louaniẽsem, qui opus ei suum de venerabili Eucharistiæ Sacramento , ab aliquot iam mensibus dedicarat,responsorias litteras misit: eadem sancti Mauritij Ognoni:secunda,sanctorum Nicolai & Theoduli Megeuetæ : tertia,sancti Nicolai Biollæ in Caballio, eadẽ Abbatiam Beatæ Mariæ Alpium : quarta,sacellum sancti Petri Forclæ,eadem sancti Ioannis Baptistæ Cheuennozij, & sancti Petri Vingiaci:quinta,sancti Petri Bernesi:sexta,sãcti Michaëlis Tholoni:septima,Prioratum sancti Pauli : nona sancti Ioannis Baptistæ Marini,eadem sanctorum Ferreoli & Ferrutij Publiaci:decima,Beatæ Mariæ Aquiani:vndecima,sanctæ Catharinæ Thoueriæ,eadem sancti Nicolai Nouacellæ,eadem sancti Andreæ Marefchi:duodecima, sancti Petri Lugrini : decima tertia , Assumptionis Beatæ Mariæ Nouelli,eadem sancti Gingulphi : decima quarta,Beatæ Mariæ Feternæ, eadem Beatæ Mariæ Massillierij, & sancti Martini Champengij : decima quinta , sancti Mauritij Larringij:decima sexta,sancti Vrsi Vachereſſæ, & sancti Mauritij Frassiæ,necnon sacellum sancti Mauritij Bonæuallis : decima nona, Abbatiam Beatæ Mariæ Abundantiæ:vigesima tertia sancti Ioannis Baptistæ Cranuesij,vbi Sabbatho quatuor temporum post festum sanctæ Crucis sacros generales ordines celebrauit, & eadem sanctorum Ferreoli & Ferrutij Salesij : vigesima quarta,sancti Nicolai Bonæ : vigesima quinta , sancti Andreæ Animassiæ,eadem Beatæ Marię Stramberiarum , & sancti Petri Vetrazi:vigesima sexta,sancti Petri Artassi,& Beatę Mariæ de Ponte:vigesima septima , sancti Eusebij Loësij , & sancti Vincentij Nangiaci:vigesima octaua, sancti Stephani Lucingij,eadem sancti Mauritij Marcellazi:vigesima nona, sancti Laurentii Felingii: trigesima , Prioratum Conuentualem Beatę Marię Contaminę: Calendis Octobris , sanctę Catharinę Bonęuillę : die secunda, sancti Stephani Bastidioti & sancti Martini Ponciaci:tertia, sancti Petri Aysii:quarta sancti Sulpicii Marrigniaci : quinta, Beatæ Marię montis Sassonęi,& sancti Theoduli Brisonis:sexta, sancti Petri Rumilliaci, & sancti Mauritii sub Cornillione,necnon sancti Antonii Passeriaci : septima, sancti Sixti & sancti Laurentii: nona, sancti Christophori Amanciaci , eadem sancti Andræę

Franciscus Iacobo Bayo Gratias agit.

Esta

Eſtauii: decima, Beatę Marię Arentonis & ſancti Mauritii Cyentriaci: vndecima, ſancti Romani, eadem ſancti Iuſti Corneriaci: duodecima, Collegiatam ſancti Ioannis Baptiſtæ oppidi Rupis, necnon ſancti Mauritij Regniaci, & ſancti Ioannis Baptiſtę Eſeriaci: decima tertia, ſancti Antonii Iuſſiaci, & ſancti Petri Perſi: decima quarta Beatæ Mariæ ſacelli Rambodij: decima quinta, ſancti Mauritii Cruſilliarum: decima ſexta, ſancti Blaſii, eadē ſancti Andręæ Copponęi, & ſancti Simphoriani Andillerii: decima ſeptima, ſancti Sebaſtiani Charliaci, eadem ſancti Martini Cerneęi, & ſancti Andræę Chauanę: decima octaua, ſancti Albini Marlij & ſancti Petri Miniſerii, necnon ſancti Sebaſtiani Ionſiaci: decima nona, ſanctorum Dionyſii & Magdalenæ Sauigniaci, eadem ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani Eſpagniaci, & Dingiaci, necnon ſancti Martini Cheurerii in VVachio: vigeſima, ſancti Mauritij Vullenti, & ſancti Ioannis Thiolazi: vigeſima prima, ſanctorum Blaſij & Agathæ Caluomonti, & eadem Beatæ Mariæ Contaminæ. Poſt hæc rediit Anicium ad ſolemnitates, circa quas pauperi cuidam Gebennenſi ad Catholicam fidem conuerſo cùm Rollandus Domui ſuæ præpoſitus abeſſet, nec idcircò quod largiretur aliud, haberet in promptu) vaſculum argenteum ſui ſacelli in eleemoſynam dedit, ſtrenuo Chriſtianæ charitatis actu. Sed iam quintus volui incipiebat annus à quo Epiſcopale munus ſuſceperat, & ex præſcripto, viſitationis liminum Apoſtolorum tempus agebatur, quam cùm ipſe variis neceſſitatibus diſtractus adimplere non poſſet, Ioannem Franciſcum Saleſium Germanum ſuum fratrem, & Eccleſiæ Gebennenſis Canonicum, dato ei rerum omnium ſuæ Diœceſis breui commentario, Romam Procuratorem allegauit, vt & ipſe à Granierio fuerat allegatus, ſtatus autem Gebennenſis Eccleſiæ ſupremo Pontifici exhibendus ſic à vigilantiſſimo Paſtore Procuratori deſcriptus erat. Septuageſimus primus iam excurrit annus, ex quo Gebennenſis Epiſcopus ſuo cum Clero Ciuitate ſuâ pulſus & per ſummam iniuriam bonis omnibus mobilibus ac immobilium parte maxima ſpoliatus exiſtit, quare Sedē in Oppido Anicienſi Ducatus Gebenneſii nunc habet, expectans donec veniat reductio ſua. Cenſus Epiſcopalis menſæ admodum tenues, qui ſcilicet vix ac ne vix quidem ad ſummam mille ſcutorum auri aſcēdunt vt detractis Officiariorum Epiſcopatus ſti-

Franciſcus vaſculum argenteum pauperi dat.

Status Eccleſiæ Gebennēſis.

Cenſus Epiſcopales.

pendiis

pendiis minimè ſuperſit quo decenter ſe ſuámque familiam ſuſtentet, verùm qui non didicit abundare noſcat penuriam pati. Qui nunc viuit Epiſcopus Franciſcus Saleſius ſextus eſt eorum qui extra Gebennenſem Ciuitatem præfuerunt ex ipsâ Diœceſi oriundus, & è gremio Cathedralis Eccleſiæ, cuius per decem annos Præpoſitus fuit, aſſumptus. Reſidet, & quartum ſuæ ad Epiſcopatum promotionis ac conſecrationis annum agit, cúmque bellorum æſtu ac tempeſtate duobus primis annis impeditus fuerit ne Diœceſim viſitaret, duobus hiſce poſterioribus ad ducentas & ſexaginta Paroeciales Eccleſias perſonaliter viſitauit, & per ſeipſum verbi Dei panem vbique (quantum per ſuam tenuitatem licuit) populo porrexit ac fregit, ſacramentúmque Confirmationis innumeris fidelibus contulit: Cæteram Diœceſim anno ſequenti (Deo propitio) viſitaturus. Prædeceſſorem habuit Claudium Granierium Præſulem æternâ dignum memoriâ, qui ex decretis Eccleſiaſticis Synodum quotannis cogebat: ad Eccleſiarum Paroecialium curam ex prescripto ſacroſancti Concilij Tridentini, per examen digniores promouebat, ſingulis ferè Quatuor temporibus ordinationem ſacram faciebat, ac officium vbique ad vſum Romanum perſolui curabat: Huius veſtigiis quoad poteſt preſſiſſimè inſiſtit indignus licèt ſucceſſor. In Eccleſiâ Gebennenſi, quæ Beati Petri à vinculis liberati miraculo ac nomine dedicata eſt, ſunt triginta Canonici, Prępoſito qui dignitatem habet maiorem, ac Cantore & Sacriſta, qui duntaxat officia, incluſis, quorum ſinguli vnam præbendã æqualem omninò percipiunt, ita vt Præpoſitus, (quippe ab hæreticis ſpoliatus) nihilo plus cæteris excipiat. Sunt in ea ſex pueri chori cum Magiſtro, octo manſionarij, qui cantui & Muſicæ incumbunt, ac alij quatuor, qui tum cruci portandæ, campanis pulſandis, cæremoniis dirigendis, ac ſacris veſtibus conſeruandis dant operam. Porrò omnibus deductis oneribus ac expenſis neceſſariis, quæ cuilibet Canonico portio contingit, valorem annuum quadraginta ſcutorum auri non attingit, impar omninò vel minimo homine alendo præbendæ. Mirum autem quam concinnè & deuotè in tantâ penuriâ, officia diuina ab hâc Eccleſiâ celebrentur, vt non in ſalicibus ſuſpenſis organis obmutuerit ob exilium, ſed hymnum cantet de canticis Sion, & Canticum Domini in terrâ alienâ: Officia enim eiuſmodi perſoluit in Eccleſiâ

Eccleſia Cathedrã-lis.

Portio Canonicorũ.

fratrum Minorum de Obseruantia oppidi Anicienſis. Omnes autem Canonici aut ex vtroque parente Nobiles aut Doctores ex antiquo eorum ſtatuto à Sancta Sede confirmato exiſtunt, inter quos etiamnum decem ſunt verbi Dei Concionatores egregii. Iam quod ad Clerum. In Diœceſi Gebennenſi quatuor ſunt Collegiatæ Eccleſiæ, Anicienſis duodecim Canonicorum, & totidem Beneficiatorum. Sallanchienſis tredecim Canonicorum, & quatuor Beneficiatorum. Rupenſis quindecim Canonicorum & Samoenſis decem, in quibus omnibus omnia diuina officia cum cantu quotidie celebrantur, ſed omnes pariter tenues admodum habent annuos reditus. Sunt præterea ſex virorum Abbatiæ: Alpenſis, Altacombana, Ceſeriacenſis ordinis Ciſtercienſis, Abundantiana, Sixenſis Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini, & Intermontana Canonicorum ſancti Ruphi, quæ omnes à Commendatariis poſſidentur. Sunt etiam quinque Prioratus Conuentuales. Sancti Sepulchri Anicienſis. Beatæ Mariæ Pellionnenſis, ambo Canonicorum Regularium, Tallorienſis ordinis Sauigniacenſis, Contaminenſis & Bellæuallenſis ordinis Cluniacenſis, quorum omnium ſolus poſtremus poſſidetur in titulum. Sunt quatuor Cœnobia Carthuſianorum: Pomerienſe, Repoſorienſe, Vallonenſe, & Aruerienſe. Item triginta quinque Prioratus Rurales diuerſorum Ordinum, ex quibus duodecim diuerſis Eccleſiis, tam ipſius Diœceſis quàm aliarum vniti reperiuntur, ex reliquis autem, vndecim in titulum, duodecim in commendam poſſidentur. Sunt quatuor Conuentus mendicantium: Seſſelli vnus ſancti Auguſtini. Secundus Anicij fratrum Prædicatorum. Tertius item Anicij, & Quartus Cluſis fratrum Minorum de obſeruantiâ, quibus ante decennium additus eſt quintus fratrum Capucinorũ Anicij. Parœciales Eccleſiæ omninò numero ſunt quingentæ nonaginta, ſed quadringentæ quinquaginta in quibus Sacramenta adminiſtrantur, & plebs de religionis Catholicæ capitibus eruditur. Mulierum autem recluſarum duo ſunt Cœnobia Sanctæ Claræ, vnum Anicij, alterum Aquiani. Duo item Monaſteria Mulierum ſiue Abbatiæ ſanctæ Catharinæ prope vrbem Anicij, & Boni loci ordinis Ciſtercienſis, vnum porrò Carthuſianarum Melani. Populus vniuerſus prędictarum quadringentarum quinquaginta Parœciarum verè Catholicus eſt, & antiquę pietatis cultor, quamuis in ſeptuaginta

Clerus Gebennẽ ſis.

Abbatiæ.

Frioratus Conuẽtuales.

Carthuſiæ Prioratus rurales.

Conuentus mendicãtium.

Paræcia les Eccleſiæ.

Monaſteria mulierum.

Populus.

Parœ

Parœciis ex prædictis ante annos decẽ hæresis Caluiniana vigeret: nam Sereniſſimi Ducis authoritate, & multorũ Concionatorum partim ſæcularium, partim variorum ordinum, ſigillatim Societatis Ieſu & Capucinorum prædicationibus, conuerſi ſunt ad Paſtorem animarum ſuarum, & qui ambulabant in tenebris errorum, viderunt lucem magnam, & erepti de obſcurâ mortis vmbrâ nunc vt filij lucis ambulant, ita vt cùm fuerint non ita pridem tenebræ, nunc ſint lux in Domino. Sunt quindecim puerorum ſcholæ, in quibus Grammaticâ & litteris humanioribus iuuenum animi imbuuntur, ac inprimis doctrinâ Chriſtiana catechiſticè initiantur. In decem verò oppidis quotidie toto Quadrageſimæ tempore verbum Dei prædicatur. Sic deſcripta ſua Eccleſia bonus Præſul, de incommodis, & malis egit, & oſtendit quibus opportunis remediis à ſancta Sede Apoſtolica curari poſſent & auferri. Ac primùm de Seminario erigendo tractauit, & nulla (inquit) in orbe Chriſtiano Diœceſis Clericorum Seminario magis indiget quàm hæc Gebennenſis, attamen hactenus in eo erigendo perperàm laboratum eſt: menſa enim Epiſcopalis tenuior eſt, quàm vt ex ea quidquam amputari aut reſecari debeat: menſa Capituli Cathedralis pauperrima, nec alendis Canonicis ſufficit, vt & aliæ pariter Eccleſiæ ſæculares Collegiatæ, ex Abbatiis autem vel Prioratibus quantumuis pinguibus, nihil omninò extorqueri poteſt, quod qui ea tenent, teneant, & plerunque variis impoſitis penſionibus ſatis reddantur exangues: Si tamen ſedes Apoſtolica aliquot Prioratus rurales primò vacaturos, ſumma authoritate, ad Seminarii erectionem deſtinaret, ſine dubio res optimè ceſſura eſſet. Omninò tamen, vel iſto modo, vel per Communem Cleri contributionem, opus hoc erigi par eſt. Secundò egit de Theologo & Pœnitentiario. In ſola (inquit) Eccleſia Cathedrali Theologiæ Magiſter Theologalem habet præbendam, & Pœnitentiarius aliam, vt confeſſionibus audiendis vacet: at iſti, quia ſuis præbendis ſuſtentari non poſſunt, quandoquidem ad valorem annuum quadraginta ſcutorum haud aſcendunt, ſua etiam ritè nequeunt obire munera. Huic malo occurri poſſet, ſi Sedes Apoſtolica ex viciniorib. Monaſteriis duas præbendas laïcales prædictis præbendis Theologali & Pœnitentiali vniret. Tertiò egit de Regularibus reformandis. Mirum (inquit) quàm diſſipata ſit omnium Regularium diſciplina, in

Schola.

De Seminario erigendo.

De Theologo & Pœnitentiario.

De Regularibus reformandis.

Abbatijs & Prioratibus huius Diœceſis (Cartuſianos & mendicantes excipio) reliquorum omnium argentum verſum eſt in ſcoriam , & vinum mixtum eſt aquâ , imò verſum eſt in venenum , vnde blaſphemare faciunt inimicos Domini, dum dicunt per ſingulos dies, Vbi eſt Deus iſtorum? Huic malo occurri poteſt, vel immittẽdo meliores aliorum Ordinum, vel iſtos viſitando quotannis, & coërcendo, vel denique in eorum locum ſęculares Canonicos ſufficiendo, quod (etſi forſan in omnibus fieri duriuſculum videretur) in pleriſque tamen opportunum eſſet: nam Canonici Regulares nihilo diſtant à ſæcularibus in hâc Diœceſi, præterquam quod ſcapulare gerunt, & quod Canonici ſæculares, per quotidianas diſtributiones pereipiunt, ipſi per prębendas ſolent accipere, quibus perceptis, cùm volunt, officiis interſunt, ſin minus nihilo pauperiores efficiuntur. Cæterùm nulla inter eos diſciplinæ regularis obſeruantia , nullæ ſcriptæ conſtitutiones, nullius voti expreſſa emiſſio. Cur ergo iſti non mutentur in ſæculares, Reipublicæ Chriſtianę longè vtiliores? Eo etiam maximè quod magna copia eſt in hac Sabaudiâ nobilium hominum qui cenſibus idoneis carent , quorum filiis qui Eccleſiaſticam profeſſionem ſequuntur , hoc modo commodè prouideri poſſet : atque ſi idem de aliquot aliis Monachis fieret, res meo quidem iudicio fœliciter haberet. Quod autem ad Viſitationem ſpectat , eam à ſuperioribus ordinum illorum fieri minimè par eſſet: nam Cluniacenſes, Sauigniacenſes, Ruphiani Monachi & Abbates , neque quid ſit reformatio norunt , & cùm ſint ſal infatuatum , quomodo condiendis inferioribus adhiberi poſſunt ? Canonicorum verò regularium in his partibus Monaſteria nullius ſunt Congregationis , neque vlla celebrant capitula, nullis viſitationibus, nulla regula vtuntur. Etſi verò Monaſterium Pellionẽſe ab Ordinario viſitetur, cui antiquo iure ſubiacet (licèt hactenus vix obedire voluerit) nihil tamen à nobis cum illius Canonicis actum eſt, quia regula & conſtitutionibus carent , & ſatis modeſtè ſe gerunt quod ad Clericalem profeſſionem attinet. Itaque viſitari ab alio viſitatore deberent, ſed vt verum fatear , Primum remedium longè facillimum, tertium vtiliſſimum, & ad maiorem Dei gloriam inſpecta huius Prouinciæ neceſſitate præſtantiſſimum , ſecundum difficillimum & incertiſſimum : nam quod vi fit, vix fit. Quartò egit de Monialibus

bus quibuſdam reformandis,& aliis iuuandis. Iam quod ad Moniales attinet(inquit)Monaſteria duo ſanctæ Claræ optimè ſanè ſe habent. Ciſtercienſium portæ omnibus omninò patent, & Monialibus ad egreſſum, & viris ad ingreſſum. Nullâ autem ratione reformari poſſe arbitror, niſi in vrbes deducantur: & aliis ſubdantur Superioribus, qui earum animabus tractandis maiorem operam adhibeant. Omnibus verò tam Ciſtercienſibus quàm ſanctæ Claræ illud ſolatium deeſt, quod ſacrum Tridentinum Concilium non ſine ſancti Spiritus inſtinctu illis vult concedi,vt ſcilicet ter ſaltem quotannis ilis extraordinarius Confeſſarius conſtituatur:coguntur enim vni eidémque ſemper confiteri, neque vnquam illis liberum eſt alterius operam expetere, quod quanto animarũ illarũ periculo fiat,neſcio,Deus ſcit.Item nunquã puellas ſiſtunt aut Epiſcopo aut eius Vicario,qui earum voluntatem ad religionis amplectenda vota explorare poſſit. Quintò egit de numero Parœcialium Eccleſiarum augendo.Eſt (inquit)hęc Gebennenſis Diœceſis in medio altiſſimorum montium poſita,in quorum tamen plerunque cacuminibus & pręruptis pagos numeroſiſſimis familiis refertos videre eſt, quibus vt de religione prouideretur,Maiores,|Eccleſias ædificauerunt, ad quas Paſtores in imis vallibus commorantes ſingulis diebus feſtis accederent plebem ſacratiſſimo Miſſæ ſacrificio recreaturi: Verùm cum initio raræ admodum incolarum in tam aſperis locis familiæ eſſent, extemporaria illa Paſtorum viſitatio ſatis ſupérque eſſe debebat, quandoquidem ob agrorum & agricolarum paucitatem,non poſſent ex illorum decimis ali ac ſuſtentari Clerici, qui inter eos reſiderent: At nunc cùm Deus & gentem illam multiplicauit,& deſerta,gentis labore ac induſtriâ, in aruæ & prata mutata ſint,deſiderandum eſſet illis quoque addici Rectores animarum, quibus alendis decimæ quas quotannis perſoluunt,ſufficerent. Quò minus autem id fiat cauſa hæc eſt:Plerunque ſemper illorum locorum decimæ ad Abbates & Monaſteria ſpectant, quibus ſcilicet tunc attribuebantur, cùm promptuaria ſpiritualia Monaſteriorum plena eſſent, eructantia ex hoc in illud, & Monachi velut oues fœtoſæ abundarent in egreſſibus ſuis: Nunc verò, cùm paſſim in ſucceſſoribus ſolùm veſtimentum animaduerti queat,clamant pauperes illi montium habitatores, velut oues paſcuis deſtitutæ: Quare lacte noſtro nu-

De numero parœciarum augendo.

Res per quàm notanda & zelus Prælatorum.

triuntur isti, & lanis operiuntur, gregem autem nostrum non pascunt, nec per se nec per alios? & iusta videtur eorum oratio. Vidi ego & visitaui Parœcialem Ecclesiam in altissimo monte positam, ad quam nemo nisi pedibus ac manibus reptans accedere queat per sex millaria Italica distantem ab aliâ Ecclesiâ cuius Pastor vnicus & solus vtramque regebat, ac in vtrâque singulis Dominicis diebus Missam celebrabat, quo labore, quo periculo, quo dedecore non est quod dicam, præsertim hyeme cum omnia glacie ac niue istis in partibus sint obruta. Vbi appuli, statim ad me clamores vndique, à viris, à mulieribus, à maioribus à minoribus: Quid est quòd iura Ecclesiastica omnia seruamus, decimas ac primitias persoluimus, & nullus nobis Pastor conceditur? sed sumus sicut arietes non inuenientes pascua? nimirum ab Abbate propinquiori omnia percipiebantur. Et quidem Episcoporum est in his decernere quid expediat, sed hoc vix fieri potest: nam primùm lites excitantur pro possessorio coram laicis, tùm si res non succedit, appellationibus variis onerant decernentem, quibus non vtuntur, sed abutuntur, non quod grauentur (inquit sanctus Bernardus) sed vt grauent. Vtinam verò, atque vtinam aliquis authoritate Apostolica visitator veniret fidelis & prudẽs, qui singulis Ecclesiis, veluti familiis, daret tritici necessariam cuíque mensuram! Sexto egit de hæreticis. Præter quadringentas quinquaginta illas Parœcias (inquit) quas à veris Catholicis incoli dicimus, supersunt aliæ centum quadraginta numero, quæ partim in potestate tyrannica Bernensiũ sunt; partim in ditione Regis Christianissimi. Et quidem quod ad illas attinet, quæ à Bernensibus occupantur, nihil sperandum est, donec vrbs ipsa Bernensis in ordinem redigatur. Quod autem spectat ad alias, quæ à Rege Christianissimo possidentur, rectè quidem ipse Rex semper sperare iubet, & eius iussu hactenus toto quadriennio speraui, sed nunc deficiunt propemodum oculi mei in eius eloquium, dicentes quando consolabitur me? Hac de re tota scientissimus est Cardinalis Bubalius, qui dum sanctæ Sedis Nuntius esset in Gallia, maxima contentione, pro suo erga Dei gloriam zelo, conatus est Regem adducere, vt nobis in illis Parœciis idem ius faceret Ecclesiastica bona recipiendi, ac quod caput est Catholicæ religionis munera obeundi; quod alibi toto Regno cæteris Episcopis ac Clericis constitutum est. De Geneua autem

De Hæretici.

De Geneua.

autem nihil addam, cùm enim quod Roma est Angelis, & Catholicis; illa sit idem Diabolis & Hæreticis. Omnibus qui Romanam, id est Orthodoxam fidem colunt, ac maximè summo Pontifici & Principibus cura sit, vt scilicet aut euertatur Babylon illa, aut conuertatur; sed magis vt conuertatur, & viuat, laudétque viuentem in sæcula sæculorum. His porrò rebus instructissimum Germanum dimisit. Et ipse Anicij quotidianis concionibus sacram Quadragesimam exegit in æde Diui Dominici, quo tempore, dum ad Concionem daretur Campanæ signum, quotidie in Sacello Beatæ Mariæ Magdalenæ, in eadem Ecclesia missam celebrabat, statímque labiis adhuc pretioso Christi sanguine tinctis ascendebat in pulpitum, vnde miram habebat verborum emphasim, ita vt peccatores quamplurimos ad pœnitentiam reuocaret, præ cæteris autem nobilem quamdam animam Christo lucrifecit, & mirum in modum, postea scriptis etiam commentariolis, lætatus est: Cùm aliquando exeunte Quadragesima nobilem quemdam Amasium, cui etiam affinis erat, signis ex oculis, insolenter cum Amasia puella publicè in templo ludentem, animaduerteret. Heus! Quid hoc? inflammatus exclamauit. Vbinam terrarum sumus? etiam in sacris ædibus & dum prædicatur verbum Dei non dubitatur insolescere? Contine te porrò quisquis es, & veniam à Deo pete, nec insolescere perge; nam si posthęc publicè pecces, ego te publicè & nominabo, & arguam. Destitit statim ab insolentia Nobilis ille, & Concione habitâ, ad vigilantissimum Pastorem accedens, rogauit ab eo veniam quem adeò zelus Domus Dei comedebat, & qui eam fieri speluncam latronum tolerare non poterat. Eodem temporum tractu, quod de sacrosancto Cartusianorum ordine esset, iampridem benemeritus censerique inter eorum filios exoptasset, accepit idcircò litteras à Brunone Affringuio, Magnæ Cartusiæ, & totius ordinis Priore Generali, tertio Calendas Aprilis, datas, quibus omnium bonorum operum, quæ in toto ordine fierent particeps efficiebatur, & hæc sanè suffragia piissimus Salesius ab omnibus sacris Ordinibus deinceps cum studiositate quæsiuit.

Franciscus Anicij Quadragesimam Concionibus peragit.

Francisci zelus in Domo Domini.

Franciscus Cartusianus.

DE

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER SEPTIMVS.

ATHENIS erat simillima Anicienſis Ciuitas ſub tanto Præſule, necnon & ſub Præſide Magno Antonio Fabro & ab innumeris Doctoribus ſiue Theologis, ſiue Iuriſperitis, ſiue etiam in litteris humanioribus peritiſſimis viris incolebatur. Quapropter in ea copia Academiam inſtituere & Saleſio & ipſi Fabro in mentem venit. Propoſito conſilio placuit omnibus erigi, & quod inter Sabaudiæ montes florerent Muſæ Florimontanam appellari adhibito citri aureolæ in qua flores fructúſque perennes eſſent ſymbolo. Locus in aula Fabriana datus, Princeps Henricus Allobrox Dux Nemoroſius rogatus. Aſſeſſores Franciſcus Saleſius Gebennenſis Epiſcopus in iis quæ ad Theologiam ſiue etiam Iuriſprudentiam, & Antonius Faber in iis quæ & ad Iuriſprudentiam & cæteras humaniores litteras ſpectarent declarati: & ſub his Conſtitutionibus Academia erecta. Finis Academiæ Virtutum omnium exercitium eſto. Suprema Dei gloria. Sereniſſimorum Principum obſequium, & vtilitas publica. Soli probi & docti recipiuntor. Quicunque recipiendus erit ab aliquo ex Academicis præſentator. Et recepti nomen, cognomen, patria, conditiones in Catalogum referuntor. Recipiendus vel ſcripto vel verbo, ſiue libera ſiue ſoluta oratione, coram Academicis ſuæ doctrinæ probationem facito. Academici omnes & ſinguli nomina ad placitum cum ſymbolis congruis aſſumunto. Cenſoribus autem vt rectè nomina & ſymbola ſumantur néve ſumptà deſerantur cura eſto. Symbola vbi depicta

Franciſcus & Faber Academiã Anicij erigunt.

Academiæ Conſtitutiones.

cta fuerint receptionis ordine affiguntor. Consultationes maturo iudicio & accuratè de dicturis fiunto. Ad generales conuentus ingenioſi quique artium Magiſtri, vt pictores, ſculptores, Fabri, Architecti, & his ſimiles admittuntor. Lectio quæuis, integrum aliqua de materia ſi fieri poſſit tractatum comprehendito; ſin minus eorum quæ in prima lectione tractabuntur optima concluſio habetor. Dicendi, legendíve ſtylus grauis, excultus, ac plenus eſto, nec vllo modo Rhemnianũ ſapito. Lectiones vel Arithmeticæ, vel Geometricæ, vel Coſmographicæ, vel Philoſophicę, vel Rhetoricæ, ſi nõ Theologicę aut Politicę, ſunto. De linguarũ ornatu, ac pręcipuè Gallicæ tractator. Academici lectionibus deſtinati nunquam ſine neceſſitate abeſſe promittunto. Ad Academiæ ianuam ſyngraphus quo lectionum materia, locus & tempus notentur, affigitor. Lectores benè, multum, & brẹui tempore docere totis viribus conantor. Auditores ad ea quę docebuntur atrentionem, cogitationem & curam conferunto. De iis quæ non intellexerint lectione habitâ interroganto. Sermones & diſcurſus maiori cum eloquentia quàm Lectiones fiunto, & in iis ars Oratoria adhibetor. Nemo Hæreticus, Schiſmaticus, Infidelis, Apoſtata, Patriæ aut Sereniſſimorum Principum inimicus, quietis publicæ perturbator, aut aliqua publica infamia notatus admittitor. Omnes & ſinguli Academici mutuum & fraternum amorem nutriunto. Omnis diſcordiæ fomes ab Academia abigitor. Ortis fortè controuerſiis & diſſenſionibus, Princeps aut eius gerens vices prudentiſſimè quid agendum fuerit, decernito. Omnes meliora chariſmata æmulantor. Aduenientes incepta Academia abſque cæremoniis aut prærogatiuæ diſputatione ſedento. Magnatibus tamen vt Principibus, Prælatis, & huiuſmodi peculiaris locus eſto, Academicorum nemo leuitatis animi vllum vel minimum ſignum edito, alioquin à Cenſoribus corrigitor. Academiæ Princeps Illuſtris vir, virtutibus præditus & Academico bono propenſus eligitor. Collaterales ſeu Aſſeſſores ſapientes, prudentes, docti & experti ſunto. Secretarius perſpicui, ſubtilis, expediti & generoſi ingenij, & humaniorum litterarum ſciens eſto. Nullas Epiſtolas ille, niſi prius Principi, Collateralibus, & Cenſoribus bene viſas mittito. Cenſores in rebus omnibus quantum fieri poterit verſatiſſimi & Encyclopediæ proximi ſunto: examinandas tamen compoſitiones Principi &

Collateralibus communicanto. Quæſtor vir prudens, æquus, & ſtudioſus eligitor. Academici pro iis qnæ neceſſaria erunt quantũ rationi conſonũ erit contribuere ne grauantor. Auari in Academiã ne accedunto. Accenſus cum mercede creator. Hic cum opus fuerit Academicos vocato. Principem & Collaterales ad Academiam conducito & reducito. Aulam parato & ſedes diſponito. Cætera prout res & tempora doctura ſunt decernuntor. Saleſius per elegantiſſimam Orationem Academiæ initium dedit, & Principis deinceps vices geſſit, & eo primo anno Mathematicæ curſus (vt vocant) inchoatus ab Arithmetica Iacobi Pelleterij Cenomani. Elementis Euclidis, Sphæra & Coſmographia cum ſuis partibus. Geographica, Hydrophica, Corographica & Topographica, ĩtẽ ſequuta eſt ars nauigãdi, necnõ & Theorica planetarũ, & poſtremò Muſica Theorica. Nihil ſanè ſuauius his ludis deſiderari poterat: ſiquidẽ ſub Saleſio & Fabro doctiſſimi quique non ex ipſo duntaxat Gebenneſiano agro, ſed ex vniuerſa Sabaudia conueniebant. Rebus autem ſic fœliciter procedentibus fœliciter etiã Roma rediit Ioannes Franciſcus Saleſius legatione ſuâ optimè functus, qui ad ſanctum fratrẽ ſuum multas litteras multorũ Cardinaliũ & virorũ illuſtrium, inprimis autem has quę legationem ſpectabant ſuam, ab Hieronymo Cardinale Pamphilio attulit. Perilluſtris ac Reuerẽdiſſime Domine. Admodũ Reuerendus Dominus Ioannes Franciſcus Saleſius Eccleſiæ tuę Canonicus & Amplitudinis tuę Procurator. Beatorum Apoſtolorũ limina ſuperioribus diebus piè ac deuotè viſitauit, ac de tuæ Eccleſiæ ſtatu relationem præclariſſimè exaratam exhibuit, qua neque de Clero & de religioſorum ordinum familiis, de Parœciis, & cæteris Eccleſiis dilucidiùs neque de abuſibus, corruptelis ac hæreſibus copioſiùs, neque de remediis ac Orthodoxæ doctrinæ Eccleſiaſtæ reſtitutione prudentiùs ac vigilantiùs perſcribi potuit. Enitet in vniuerſa ea relatione Amplitudinis tuæ vehementiſſimum in emendandis lapſis moribus ſtudium, in obeundis pro Dei gloria locis aſperis ac difficillimis labor, in procuranda animarum ſalute ardor, atque contentio infatigabilis. Quę omnia ſacram Congregationem Cardinalium Concilio Tridentino interpretando, atque Prælatorum ſacra limina viſitantium poſtulatis audiendis Præpoſitorum, maxima iucunditate ſpirituali perfuderunt, illud nimirum reſpicientem, diuina factum eſſe prouidentia, vt iſti ægræ, ac nutanti Chriſtianæ Reipublicæ parti, tan-

Franciſcus Academiæ initium dat.

Epiſtola Cardinalis Pamphilij ad Franciſcum.

ti, tantæ pietatis, zeli, virtutis ac sollicitudinis contigisse Pastorem, vt de animabus istis, meliora quotidie, Deo dante, sperare possit, iámque pro certo habeat, sanas oues sub tali Pastore ægritudinem non contracturas, imò & quotidie plures ex ægris, veræ Catholicæque religionis sanitatem, quod iam multæ sacris concionibus permotę fecerunt, aliquando recuperaturas. Quantum verò pertinet ad præcipua remedia, quæ relatione prædicta Amplitudo tua postulauerat, quid egerint Illustrissimi Patres, & quàm promptè apud Sanctissimum Dominum nostrum tuas petitiones adiuuerint, quidque profecerint, ex ipso Procuratore, atque ex ipsis Diplomatibus quæ hinc propediem mittentur, ipsa cognoscet. Interim Illustrissimi Patres Amplitudini tuæ egregiè in vinea Domini laboranti diuturnam incolumitatem precantur. Romæ, die trigesima Aprilis anno millesimo sexcentesimo septimo. Frater studiosissimus Hieronymus Cardinalis Pamphilius. Eodem tempore à summo venêre Pontificè litteræ, quibus tandem Fullienses Monachos volebat sua Sanctitas Abundantiæ collocari, & Salesius statim in Caballium profectus, tum per se qui Cõmissarius Apostolicus erat, cùm per suum Generalem Vicarium quem ad id subdelegarat, In ea Abbatia Ordinem Diui Augustini perpetuò suppressit & extinxit, saluis tamen & exceptis nomine, titulo, & dignitate Abbatis & mensæ Abbatialis. Omnes & singulos Canonicos eiusdẽ Monasterij, eo excepto cui cura animarum Parœcianorum imminebat, & qui eam exercebat personaliter amouit, necnon ex ipsis Thomam Bidalem & Ioannem Cornutum Monasterio Sixensi, Iacobum Compesium & Franciscum Torentium Monasterio Pellionensi, & Ioannem Torentium Monasterio sancti Iorij Diœcesis Gratianopolitanæ assignauit, & distribuit, relicta cuilibet pro victu & vestitu, aliisque necessariis vsibus annua pensione quadraginta aureorum, ex fructibus & prouentibus mensæ Conuentualis ipsius Monasterij Abundantiani ad vitam, & ipsum Monasterium cum omnibus iuribus Congregationi Beatæ Mariæ Fullensis ordinis Diui Bernardi perpetuò concessit, statímque pro ea Congregatione Ioanninus Gayus Sacerdos procurator inductus est in possessionem. Opus plánè eximium, & quod cæteris Monachis disciplinæ religiosæ oblitis terrorem incussit, & stimulum addidit, vt nisi pariter euerti & dispergi vellent,

Franciscus Fullienses Abundantiæ collocat.

conuerterentur. Agebatur Maius & ipse pręterea Salesiuscomponendis rectè Domus sanctæ Tononensis rebus non sine labore vacabat, sed & in maiori æde quo pietatem inter filios suos, quos verè in Christo per Euãgelium genuerat, nutriret, foueret, Fraternitatem Pœnitentium vtriusque sexus in honorem Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, & glorioſissimæ Virginis Matris, quos cœruleo indui voluit sacco erexit, & ipse se tanquam fratrem primum eorum Catalogo inscripsit. Erecta quidem iampridem fuerat quædam huiusmodi Societas, sed tantâ quâ fulciretur destituta columnâ lapsa languebat. Neque verò id fuit satis, vt nouos fratres ad sedulam animaret pietatem, vti peregrinationem ad Diui Claudij instituerent persuasit, sed quâ viâ quæstio non minima: interdictus enim Geneuâ transitus, aliàs transeundus lacus erat & per agri Vallensis medium inter Hæreticos progrediendum. Quo pacto autem id erectâ Cruce fieri poterat? Minimè tamen pertimescendum esse inuocatâ Salesius Dei ope censuit. Superato igitur lacu duxit eos pedites per des ringentibus licèt ac attonitis hæreticis erecto triumphali redemptionis humanæ signo ad campanularum sonitum, & vbi quiescendum tantisper erat sacris eos reficiebat adhortationibus: sicque reduxit fœliciter quadringentos plusquam homines. vtriusque sexus. Penè à reditu fixerat pedem, cùm ab Henrico Allobroge Duce Nemorosio venêre ad eum litteræ Lutetiæ Parisiorum decimo Calendas Iunij datæ, quibus & Annæ Atestinæ Ducis Matris obitus nunciabatur, & rogabatur ipse tantæ Principi iusta funebria reddere, statim ac in vrbem cadauer aduentaret: nam præterquam quod Ducibus Nemorosiis ex more Anicij tumulus est, ea peculiariter sepulturæ suæ locum Anicienſem Beatæ Mariæ Virginis ædem elegerat. Rediit igitur confestim Tonono Anicium Salesius, & septimo Idus Iunij suo cum Clero, & Vrbano Magistratu nec non Nobilium Gebennesianorum Falcinatúmque caterua ad duo milliaria cadaueri obuiàm processit, quod ingruente iam nocte sed vincentibus noctem facibus pullatæ Rhedæ impositum in ædem delatum est. Ortâ luce inter funebres cæremonias in functæ Principis laudem quam sanè merebatur egregiam, & animæ commendationem, elegantissimam Orationem habuit, (licèt ab iis Rhetoricis actionibus in quibus plerunque adulatio regnat, animum se habere

Franciscus Sodalitatem SS. Sacramenti Tononi restaurat.

Franciscus ad Diui Claudij pedes peregrinatur

Franciscus Duci Nemorosio funebria persoluit.

re alienum diceret) adeò vt ſtuperent omnes tantam in tot rebus diſtracto Præſule eloquentiam & oris florere facundiam ; & relatione habitâ Dux eum illicò ſuæ gratitudinis per nouas litteras certiorem fecit , & funebrem in Matris obitum mandandam typis Orationem auidiſſimè poſtulauit. Hoc autem exacto officio Saleſius perrexit Tononienſibus rebus iucumbere, ſiquidem viſis Apoſtolicis litteris præterito iam anno datis,& conuocatis ex Clero Veſpaſiano Agacia Abundantiano Abbate,Ludouico Saleſio Cathedralis Eccleſiæ Præpoſito , Patre Abundio miſſionis Capucinianæ Superiore Cherubino Maurianenſi, Claudio Grande,Nicolao Gottrio Doctoribus Theologis,& Cathedralibus Canonicis,& Baltazare Maniglierio Curione Serrauallenſi,ſanctæ Domus Propræfecto;ex Laïcis verò Thoma Bergera Villarſij Domino,Mauritiano Lazarçanóq; Equite & Claudio Marinio in Caballiana Prouincia Procuratore Principali:declarauit & decreuit Prioratũ ſancti Hyppoliti Vrbis Tononiẽſis eidem ſanctæ Domui perpetuò & inuiolabiliter vnitum. Eamdem ſanctam Domum Militiæ ſanctorum Mauritij & Lazari non vnitam neque annexam , aut vt vocant incorporatam , ſed duntaxat aſſociatam , ita vt Crux Mauritiana ab Sacerdotibus domus delata,nihil aliud quàm aſſociationem mutuam & reciprocam ſignificet , quia ſcilicet in eundem tendunt finem , qui eſt exaltatio fidei, & Hæreticorum reductio , diuerſis licèt viis: nam id agit Militia per arma exteriora , domus autem per ſpiritualia. Sacerdotes nihilominus ſanctæ domus ſub ordinaria ſua & ſucceſſorum Gebennenſium Epiſcoporum,iuxta Canones & ſacrorum Conciliorum decreta , Iuriſdictione & authoritate reſtare. Sed aſſociationis huiuſmodi vigore ſacram Militiam (vti maioris poteſtatis) ſanctæ Domus Protectricem deinceps futuram.Quamobrem vnum ex Equitibus Conſeruatoris Domus illius nomen habiturum. Reciprocè Domus Sacerdotes ad preces & Orationes ad Deum pro piis Militiæ conſiliis & fœlici ſtatu teneri. Bona tamen & reditus ſanctæ Domus nunquam cenſeri poſſe ad ſacram Militiam,quouis modo ſpectantiâ. Atque rebus ſic conſtitutis præſtitóque ab Thoma Bergera iuramento eum Conſeruatorem & Baltazarem Maniglierium Præfectum ſalutauit , poſt aliquot verò dies , ſeptimo calendas Septembris Prioratum Beatæ Mariæ Cillingiaci ordinis Cluniacenſis viſita-

Franciſcus Prioratũ S. Hyppoliti S. Domui Tononiẽſi vnit.

Sacerdotes Tononiẽſis Domus ſub Epiſcopo.

uit. Quo tempore cum ab Anastasio Germonio vtriusque signaturæ in Romana Curia Referendario, ac postmodum Archiepiscopo Tarentasiensi accepisset, motam inter Patres ordinis Prædicatorum & Societatis Iesu in Hispania quæstionem grauissimam de auxiliis gratiæ, id est de modo quo disponit nos Deus ad recipiendas gratias suas & auxilia supernaturalia in iustificatione nostra, alij enim libero hominis arbitrio tribuebant quod alij Diuinæ gratiæ. Præsul prudentissimus quidnam circa hæc sentiret rescripsit & Germonius sancti epistolam non dubitauit coram summo Pontifice legere. Pontifex ampliorem sententiam cupiens sed valde quæ breui scripta fuerant delibans, vti quid ea de re sentiret declararet, petiit per litteras tum ipsius Anastasij Germonij cum Cardinalis Arrigonij, & Salesius rem prout deinceps suis in libris tractauit agens subiecit. Periculosissimam esse quæstionis illius disceptationem, & quæ suis in extremitatibus hæreses haberet subiectas, & proximas, quamobrem qui in iis opinionibus stat (inquit) videat ne cadat. Porrò alia esse quibus gemebat Ecclesia, & quibus potius incumbendum esset quam elucidandæ quæstioni illi, cuius elucidatio nihil boni Reipublicæ Christianæ allatura esset, mali vero nimis: quandoquidem ad malum prona essent tempora, subtilissima autem illa ingenia Dominicanorum & Iesuitarum ad concordiam breui ventura. Scripsit & fusè ad Sauonensem Episcopum, quem apud Sereniss. Ducem Pontifex Nuntium allegarat, tantúmque effecit vt consideratis ponderatísque eius sententiis tandem Iesu Christi Vicarius cui hoc incumbebat vniuersum onus & his & illis silentium imposuerit mirabili prorsus de eius sapientia & prouidissimo iudicio exhibito testimonio. Quidquid esset tamen de Dominicanorum & Iesuitarum controuersiis filiationis litteras & participationis omnium bonorum quæ in toto sacro Prædicatorum ordine fierent à Ludouico Ystella Valentino Generali Vicario decimo quinto Calendas Octobris Romæ datas accepit, & à Iesuitis variis priuatis litteris mirum in modum cultus est, sed pacificatorem suum omnes agnoscebant, & ipse pergebat inter hæc vti statuerat reliquam suam lustrare Diœcesim. Nonis Octobris, siue die septima visitauit Ecclesiam Beatæ Mariæ parui Bornandi, octaua Abbatiam Assumptionis Beatæ Mariæ Intermontij, nona Ecclesiam Beatæ Mariæ Magni Bornandi, nec-

Franciscus Romam scribit pro quæstione de auxiliis.

Franciscus Domini Canus.

Franciscus pergit ad Diœcesis visitationem.

non

non sancti Ioannis Effixiorum,& sacellum in honorem Beati Patris Petri Fabri Primi Sacerdotis, Theologi, & socij Diui Ignatij Loiolæ Societatis Iesu fundatoris erectum, atque ibi scire & videre voluit paternam Domum & posteros consanguineos tanti viri multáque in eius laudem effudit siquidem illius vitæ & rerum gestarum historiam à Nicolao Orlandino eiusdem Societatis Theologo conscriptam, & posteà à Typographo Petro Rigaldo Lugdunensi dedicatam sæpissimè perlegebat, necnon legendo (vt & in Epistola fertur) patriæ gratulabatur quod in Societate Iesu duos Pharos Fabrum & Iaium mundo accendissent; decima sanctæ fidei Clusæ loci-Dei; vndecima sancti Petri Manigodi; duodecima sancti Mauritij Vallis, decima tertia sancti Nicolai Cletarum; decima quinta sancti Mauritij oppidi Thoni,& sancti Petri Balmæ. Thoni autem cum pernoctaret hospitio exceptus in ædibus viri Nobilis Herculis Peronij quas locato Petrus Critanus Curio tenebat, magnis nocturnis fragoribus tota familia conturbata est: interrogauit mane facto quidnam sibi vellet? & quænam horum fragorum causa esset, retulit Curio importunam esse lamiam, quæ totam aliquando euertere videretur domum, aliquãdo autem mille ludicris occuparetur: quippe quæ pulsandis organis quę habebat, nemine videnteneminéque mouente folles vacaret,& subdidit. Præterita Quadragesima Concionatorem ibi habebamus Egregium ex Capucinorũ Ordine, is cum sua Concionum Cõmentaria fortè super mensam reliquisset, clauso ostio abstulit ea lamia: instante Concionis tempore quærebat ea Pater ad memoriæ adiuuamen, frustra tamen. Vrgebat Campana, non inuentis, Concionem & sanè efficacissimam habuit, ecce autem cum redux esset in cubiculum commentaria sua in eodem iuuenit loco in quo antea tandiu ea quęsierat. Longum nimis esset ludicra quæ hîc agit quotidie recẽsere. His auditis Salesius afferri sibi stolam & aquam lustricam iussit, tum exorcismis adeò fatigauit lamiam vt proffligauerit, nec vllus vnquam deinceps auditus est in ædibus fragor. Visitare verò perrexit decima sexta sancti Stephani Dingiaci & Prioratum sancti Clari, decima septima Beatæ Mariæ Alexi, & sancti Petri Bluffiaci, decima octaua sancti Mauritij Mommini; decima nona sancti Mauritij Doussardi,& sancti Martini Caballinæ. Vigesima sancti Vrsi Tulliæ, vigesima prima sancti Mauritij Talloriarum

Franciscus quid de Fabro Iesuita.

Franciscus Lamiam abigit.

& Prio

& Prioratum Conuentualem Beatæ Mariæ eiusdem Oppidi Ordinis sancti Benedicti; vigesima secunda sancti Iuliani Mentonis, vigesima tertia sancti Eugendi Nauesij & Beatæ Mariæ Villæ, vigesima quarta sancti Mauritij Olleriarum, & Auierni, vigesima quinta sancti Eucherij Groëiaci; vigesima sexta sancti Ioannis Baptistæ Aquariarum, vigesima septima sancti Petri Villiaci Bouereti & sancti Laurentij Mentonæi in Bornis, vigesima octaua sancti Ioannis Baptistæ Arbusigniaci, vigesima nona sancti Martini Muræ & sancti Andreæ Esserſi, trigesima sancti Petri Moneterij & sancti Georgij Mornæi: sed dum hæc agit fœliciter; ecce Salesio nuntius venit, qui fratres conflictari refert ob acceptum de Ioannæ Salesiæ Totis apud Heduos obitu triste nuntium: Quapropter si vellet Matrem valere, sua præsentia reficiendam esse. Perculit hæc res constantem quamuis Præsulis animum functam enim puellam sororem suam tum ob naturam cum ob eximias virtutes quibus multam de se spem dederat, tenerrimis affectibus prosequebatur. Verumtamen in æternæ Dei prouidentiæ quieuit placitis, & flebili Parenti consolationem daturus non distulit Salesium proficisci, vnde postea lugubrem hanc historiam ad Fremiotam scripsit. Num est rationi cõgruum, ô filia. sanctissimam Dei voluntatem fieri, in iisque diligi æquè ac in aliis, sed citò tibi dicere debeo optimam Matrem meam hunc bibisse calicem constantissimè, & de eius sanè virtute multam nunc existimationem habeo, licèt enim de ea benè sentirem, nunc tamen creuit opinio. Die Dominica accersiri curarat fratrem meum Canonicum & quãdoquidem hesterna eum nocte cum cæteris fratribus valde mœstum animaduerterat dixit ei. Tota nocte deliraui filiam meam Ioannam obiisse. Dic quæso num ita est? frater qui aduentum meum antequam quidquam referret expectabat, tempus adeo videns propitium porrigendi calicem ei, & quod in lecto adhuc suo iaceret. Ita est, inquit, Mater, & hoc absolutè: neque enim vt aliud adderet satis virium habuit. Tunc Dei voluntas fiat, inquit, bona Mater, & per spatium aliquod temporis abundanter fleuit. Vocata deinde Cubiculari ministra Nicolæa Rollanda, Volo surgere, inquit, vt in sacellum eãm fusum preces pro filia mea, statimque quod dixerat fecit, ne minimum quidem impatientię verbum, ne minimus quidem nictus oculi qui inquietudinem denotaret, mille benedictiones

Franciscus de sua sororis Ioannæ obitu tristis.

Deo,

Deo,mille ad voluntatem eius resignationes nunquam tranquilliorem dolorem vidi. Tantum lachrymarum quantum mirum, sed hoc omne præ cordis teneritudine absque vlla ferocitate. Attamẽ chariſſima filia erat & corculum. Num verò hanc Matrem amare debeo? Heri, qui dies Sanctis omnibus festus erat vniuersę familiæ magnus Confessarius fui & cum sanctiſſimo Sacramento aduersus omnem triſtitiam cor huius Matris ſigillaui. Non ignoro autem te interrogaturam, tu verò vt te gesſiſti? Ita: cupis enim scire quod facio. heu filia! Nimis ego homo sum, liquefactum est cor meum pluſquam vnquam cogitaſſem, sed ex veritate Matris mœſtitia & tua multum addiderunt, timui enim cordi tuo, & Matris. Cæterum autem. O viuat Ieſus! Diuinæ semper prouidentiæ partibus adhærebo, nihil non bene facit & de rebus omnibus diſponit ad melius. Quanta huic filiæ fœlicitas vt rapta ſit à mundo ne malitia mutaret intellectum eius, & vt ex hoc cœnoſo loco euaſerit antequam coinquinata eſſet, fraga & ceraſa ante pyra Bergomia & Ceſtiana mala colligũtur, ſed quia id eorum tempus poſtulat. Sinamus. Deus colligat quod in ſuo pomario plantauit. Omnia ad tempus accipit. Cogitare potes, ô filia! quanto cordis affectu hanc diligebam filiolam. Eam Chriſto genueram, ad ſacros enim fontes eam manu propria lauerã quatuordecim circiter ab hinc annis, & prima fuit Creatura ſuper quam Sacerdotij meum ordinẽ exercuerim, eius ſpiritalis Pater eram: & vti aliquid ex ea formarem boni mihi ipſi pollicebar, & ſanè quod tua eſſet mihi charior erat. Nihilominus ô filia in medio cordis mei carnei quod adeò ob hanc mortem percuſſum eſt, neſcio quam ſentio dulcedinem, tranquillitatem & quietem animi in Diuina Prouidentia, quę meam in mœſtitia animam reficit ac recreat. Mitto ad te ſymbolicam gentis noſtræ teſſeram quandoquidem id cupis, & iuſta funebria probo; verumtamen abſque magnis pompis, niſi iis quas Chriſtiani ritus exigunt, ad quid enim reliquum? Omnium poſteà ſumptuum recenſionem ad me mittes, ſic enim volo, & nos hic interim pro ea orabimus. Non mittemus pro quadragenario: haud enim tot myſteriis opus eſt pro filia quæ nullius erat in hoc mundo dignationis. Satis eſſet ad irriſionem. Cognoſcis me, ſimplicitatem amo & in morte & in vita. Nomen ædis in qua iacet ſcire lætabor & Patroni, & ecce omnia quantum ad eam rem. Hæc Vir Dei ſcripſit. Atque

Franciſci modeſtia.

Continuat viſitationem.

refecto Matris animo ad opus rediit ſuum, viſitauítque quarta Nouembris die Eccleſiam ſanctæ Conſortiæ Sappæi, & ſancti Chriſtophori Vouræi: quinta ſancti Martini Alonzerij & ſancti Donati Cuuatti, ſexta Beatæ Mariæ & ſancti Theoduli Villiaci pilloſi, eadémque ſancti Eugendi Aurignerij, ſeptima Aſſumptionis Beatæ Mariæ Cerſiaci, & ſancti Iuliani Verierij, octaua ſancti Benedicti Choiſiaci. Nona ſancti Martini Magnæ Balmæ: decima ſancti Petri Sattonæi & ſancti Dionyſij Miſigniaci, duodecima ſancti Hilarij Muſiegij & ſancti Aquilini Frengiaci. decima tertia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Chiſſenazij: decima quarta ſancti Stephani Vanziaci & Beatæ Mariæ Clarafonti: decima quinta ſancti Martini Arcinæ & ſancti Vincentij Eloſiæ: decima ſexta Prioratum ſancti Nicolai quercus Ordinis Cluniacenſis & ſancti Germani Eccleſiam ſub Rupe necnon & ſancti Eugendi Franclenti: decima ſeptima ſanctæ Magdalenæ Sallongię & ſancti Ioannis Baptiſtæ Vetrenti, necnon ſancti Deſiderij Baſſiaci: decima octaua ſancti Deſiderij Vſinenti & ſancti Clari Cologniaci: decima nona Beatæ Mariæ Droëſiaci: vigeſima ſancti Stephani Claromonti & ſancti Ignatij Chilliaci: vigeſima prima ſancti Georgij Mentonæi & ſancti Andreæ: vigeſima ſecunda ſancti Mauritij Lornæi & Prioratum Beatæ Mariæ Bonæguettæ ordinis Cluniacenſis: vigeſima tertia ſancti Romani Syonis. Hinc rediit Anicium ad Conciones Aduentus Dominici. Sequenti anno qui ſuprà ſexcenteſimum octauus fuit, decima ſeptima Februarij viſitauit Parœcialem Eccleſiam ſancti Mauritij Torenti in qua & Baptizatus & in Epiſcopum fuerat conſecratus, ſacrámque Quadrageſimam Rumilliaci quod Sabaudiæ oppidum eſt ad Cheranum fluuium in amœna planitie ſitum concionibus exegit. Ibi præter quotidiana exercitia quæ ſui erant muneris puellam quamdam à Cacodæmone peſſimè vexatam liberauit dimiſitque ſtatim ac exorciſmorum fulmen exeruit, Matri, in cuius præſentia omnia fiebant reddens, dumque vacauit à Concionibus decima quinta Martij viſitauit Eccleſiam ſancti Mauritij Bouciaci & Marcellazi necnon & vigeſima nona ſancti Petri Saleſij. Superatis verò feſtis paſchalibus dum Rumilliaco Anicium redit, obuiam habens Claudium Ludouicum Nicolaum Coëſium Tallorienſem Ordinis Diui Benedicti Religioſum, reuertor à meis deliciis (inquit) Populum docui facilem, humilem, & bene

Franciſcus Rumilliaci quadrageſimam Concionibus peragit.

Præclara eius verba.

bene affecto erga numen animo : in magnis vrbibus regnat plerúmque apud potentes viros ſuperbia, adulantur nimium ſibi, at in his oppidis & pagis mei ſunt, audiunt enim auidè & cum mentis humilitate verbum Dei. Hæc circiter tempora venere Geneuâ Anicium ad inuiſendos affines & cognatos mulieres duę Geneuenſes Simonia Galla & Ioanna Degalliona in ſua hæreſi pertinaciſſimæ, quas cum ex earum curioſitate Nobilis Matrona Anicienſis Laullia Saleſio præſentaſſet, fortè in res controuerſas deuentum eſt, & Saleſius quidem mira cum perſpicuitate omnia extricabat, Caluinianóſque cõfutabat errores: verùm illę animos obſtinabant adeóque abſque vlla conuerſionis ſpe tunc primùm receſſerunt. Vbi verò in diuerſorium reuerſę quod apud Ioannem Rogem elegerant, propoſitis nonnullis difficultatibus angi cœpere, conueniendus iterum Saleſius fuit, & ecce cœleſti lumine ſtatim illuſtratæ non priùs diſceſſerunt à Præſule quam abiurata Hæreſi Catholicam fidem fuerint amplexatæ, & poſtmodum in honeſtas ambæ familias per matrimonium traductæ reliquos vitæ dies cum omni pietate tranſegerunt. Sed otium quod iam ex animi conſilio librorum compoſitioni captare incipiebat Saleſius Sereniſſimi Ducis litteræ fregerunt, quibus iterum ad res ſanctæ Domus Tononienſis iubebatur cum Eſchereniano, in ſupremo Senatu Præſide & Vectorio ex Magiſtris Auditoribus Curiæ Rationum Sabaudiæ in Caballium reuerti. Paruit, & dum iter facit, diuertitque fortè ad refectiunculam apud amiciſſimum ſibi & antiquæ neceſſitudinis Bernardum Monjonerium Machilliacenſis Eccleſiæ Curionem, rem miræ virtutis operatus eſt. Appoſita ex famuli inaduertentia ſalis loco farina alba fuerat: bonus Præſul tanquam ſi ſal fuiſſet cum farina illa carnem ſuam condiebat. Comites qui ad primum morſum ſtatim errorem detexere, expectare ſtupentes cœperunt quidnam tandem ageret vel diceret, & ipſe ſermonibus intentus pergebat, demùm cum iam vehemens riſus in ora omnium aſcendiſſet. Quam dulce ſal hoc (inquit vnus) attamen ſaccar non eſt, farináne fortè eſſet? tum & ipſe ſubridens Præſul, ego verò, inquit, putabam reuera ſal eſſe, & perinde mihi fuit. Impetrata non ægrè à tam facili Prę ſule Curio venia viam continuantẽ dimiſit. Tononi varia negotia quas annus coëgerat exceperũt quibus fœliciter ad terminũ reductis ductam ad ſe ex Falcinatum partibus

Franciſcus duas mulieres Geneuenſes conuertit.

Res mira temperantiæ à Saleſio patrata.

Franciscus fœminam à dæmonii vexatione liberat.

Huguettã Claudij Iordani Castillionẽsis filiã à Roberto Iordano fratre non mora à Dæmonũ vexatione multis corã testibus liberauit & sequuta est actũ hunc insignis duarũ ouium quæ per hęresim abetrauerant ad Ecclesiæ caulas reuocatio. Claudij Boucardi Virdunensis Theologi Doctissimi qui Lausannæ Philosophiã & Mathematicas publicè docuerat,& Petri Gilletæ Sacerdotis Nicæni Salyi.De quibus ipse Salesius ait.Hei! nõ quod vnquam de Catholica fide malè sensissent aberrauerãt,sed libertas iuuẽtutis nimia & concupiscentia carnis eos perdiderant!Et ipsi quidẽ suæ cõuersionis historiã edito libello & Reipublicæ Bernensium misso,promulgarunt eo ipso die Dominico decimo septimo Calendas Iulij, quo per publicam Catholicæ fidei protestationem & Confessionem ante Maius altare Ecclesiæ sanctæ Domus Tononensis eos Salesius Gebennensis Episcopus recepit.Iam Tonono rediens die secunda Iulij visitauit Ecclesiam sancti Martini prope Anicium & sancti Ioannis Baptistæ Chauornæi, sed vbi in vrbem appulit grauis eum incessit mentis afflictio. Quippe Medardus Virdunensis Ecclesiæ Canonicus Romã rediens nuntiauit accepisse se ab Illustrissimo quodam Prælato summum Pontificem valde in eum fuisse indignatum, eo quod per Cherubini Maurianensis litteras,libellos multos à Geneuatibus prodire quotidie in Gebennensem Diœcesim quibus vacillarẽt,imò turpiter cespitarent multi,accepisset:voluisset autem huic rei Salesium incumbere & emergens in eius Diœcesim damnum aliquibus tandem modis impedire. Christi Vicarium sibi iratum Salesius intelligens,sæuo mœrore conflictatus est.Non in arguenda Cherubiniani zeli temeritate qua id actum erat immoratus est, quiuis certè alius haud eam tulisset sed statim Romam misit ad Cardinalem illum qui rem retulerat,instruxitque de omnibus vt turbatum Põtificis animum tranquillaret. Profectò (inquit) si res ita haberet,iustissimè non tantum, indignaretur in me sua Sanctitas, sed negligentiam meam,imò verò proditionem castigaret. At in rei veritate dico:cum generalem Diœcesis meæ visitationẽ nulla prætermissa Parœcia penè exegerim, nullũ omnino reperi hæreticũ in parœciis quæ à Bernatibus & Geneuatibus nõ fuerũt occupatæ, nullũ librũ prohibitũ, antiquis nõnullis exceptis qui ex mera negligẽtia & contẽptu in alicuius domus profundo puluere restabant & Catholici nostri

Franciscus duces Sacerdotes ab hæresi reuocat.

Francisci modestia ob iratum in se Pontificem.

tantis

tantis anguntur ſcrupulis,vt cum de libro aliquo dubitant,vel in ignem proijciunt vel deferunt ad delegatos. Verum eſt,Geneuæ fabricari libellos multos peſtilentiſſimos. Sed quod Sabaudi noſtri eos legant nullo modo verum eſt.Fateor poſtea me non tantâ vti diligentiâ quanta neceſſarium fortè foret,verumtamen in ea qua ſecundum tenuitatem meam vti poſſum fidelis ſum & ſyncerus,& in me nec perfidia nec animi defectus,ſiquidem virium & inſitæ dotis reperientur. Obſecro te autem Illuſtriſſime Domine, vti hilaritatis mihi in afflictiſſima hac Prouincia neceſſariæ Protector eſſe velis : pendet verò ex eo hæc hilaritas, vt ſciam Sanctam Sedem de actibus meis non contriſtari,vt à generali illa ſua erga inferiores beneuolentia non me excludat. Porrò ex his verbis afflictiſſimum animum videre erat. Sed breui reſponſo accepto aliter iam omnino Pontificem credere, imò & eum & magnarum eius virtutum , ſibi etiam pridem cognitarum fama, & opinione,tenerrimis complecti affectibus, priſtina illicò ſerenitas illuxit. Nõ multos poſt dies ad Monaſterium Monialium Benedictinarum Putei Orbenſis Apoſtolicis litteris ſe conferre iuſſus , ineunte Auguſto ad Heduos iterum Burgundiones,per Bugienſem agrum & Sebuſiam viam iniit. In itinere, cum accepiſſet viros nobiles quoſdã & magnæ dignationis Dynaſtas, longis iam controuerſiis & litibus ſibi inuicem eſſe infeſtos,vt eos conciliaret,eorúmque lites componeret,trium dierum ſpatio datâ operâ , in Sanrambertino oppido moram traxit,& reuerâ compoſuit,non ſine Iuriſconſultiſſimorum virorum admiratione,qui ſuam iam ſæpè operam luſerant. Perrexit igitur , & Monialibus Ordinis ſancti Benedicti Abbatiæ Putei Orbenſis Diœceſis Lingonenſis, quæ ſacris monitionibus & reſtituendis inſtitutis plurimum indigebant, hæc ſalutaria initiis conſilia præſcripſit. Nulli viro intrare chorum , clauſtrum, aut dormitorium conclaue liceat , niſi ex cauſis,quibus Confeſſariis, Medicis, Chirurgis & fabris permittitur , in religioſiſſimis Monaſteriis , ſcilicet cùm id vera neceſſitas exigit. Mulieres tamen vbique intrare poterunt, ſed non in dormitorio cubare; & Moniales egredi intra Monaſterij ſepta poterunt, dummodo binæ exeant; nec in domos Sacerdotum, Receptorum,& aliorum virorum intrent , quandoquidem nulla ad id eſſe poteſt neceſſitas;at verò periculi multum. Licebit item extra Monaſterium

Franciſcus lites magni momenti componit.

Franciſcus conſilia dat Orbenſibus Monialibus.

Clauſtrũ.

Egreſſus.

Recreatio.

egredi in campos & deambulatoria proxima ad recreationem dummodò quamplures ſimul ſint, nec ſe ab inuicem ſeparent, ſed intrare & manere in choro dum diuina peraguntur officia; nemini, niſi fortè magnæ alicuius & bonæ notæ fœminis, licitum ſit. Quantum ad viſitationes à Parentibus, conſanguineis, amicis & aliis adſignabitur triclinium aliquod extra clauſtrum, in quo fieri poſſint, quò tamen Moniales non eant, niſi duabus ſororibus ab decentiam ſociatæ, Cui rei hortus domui Abbatiſſæ contiguus aptus eſſe poteſt. Nunquam in vno loco ſolæ videantur, licèt ſolæ eos alloquantur, qui ad eas venerint, interim dum ſociæ priuatim cum omni modeſtia occupabuntur. Quantùm ad Monialium egreſſum in Conſanguineorum aut Affinium domos & alia loca, neceſſarium eſſet, vt prorſus interdicerentur: At quia durum nimis videtur aliquibus, oportet rariſſimè quantum fieri poterit hoc eſſe, quandoquidem egreſſus huiuſmodi nunquam abſque notabili animi diſtractione, & videntium ſcandalo, fiunt; Cognatique plerunque cuperent, Religioſas ſuas ſuis in Monaſteriis in pace remanere, vt & plurimi ſatis liberè dixerunt. Neceſſarium eſſet vt in loco aliquo è choro viſibili, aut potius in choro ipſo tribunale confeſſionis erigeretur, eſſétque in eum modum fabricatum, vt nec Confeſſarius Moniales, nec iſtæ Confeſſarium videre poſſent, ob multas rationes. Diſtinguenda ſunt Sancta Sanctorum à choro clathris ligneis, aut ferreis, in quibus porta ſit, per quam egredi Religioſæ poſſint, vt ſe ad communionem offerant, vel Sacerdos intrare vt ad eas deferat. Niſi ſic facta eſſet ſeparatio, vt religioſis ordine in longum diſpoſitis Sacerdos Communionem commodè inter columnas exhibere poſſet, quod ſanè & decentiùs & facilius pro actionis grauitate videretur: ſicut etiam ſi Confeſſionale ita eſſet diſpoſitum, vt religioſæ intra chorum eſſent, Sacerdos extra, vt fit in omnibus benè inſtitutis Monaſteriis, & quod fieri poteſt, ſi Confeſſionale in vno ſeparationis extremo collocetur. Neceſſarium eſt Priorem vnam ſororem, ſeu Prioriſſam creari, cui tanquam Abbatiſſæ locum tenenti cæteræ pareant in illius abſentia, & vt fiat, debet à religioſis eligi & ab Abbatiſſa acceptari & confirmari. Quod ſi nullam Religioſæ eligere vellent, Abbatiſſa eam abſque electione inſtituere poſſet. Atqui talis capienda eſt cui religioſæ obedire, & quam reuereri cauſam habeant: tenebit ea ſemper primum

Viſitationes.

Confeſſionale.

Prior.

ab

ab Abbatissa ordinem, in cuius tamen absentia, non eius sedem occupabit, sed eam, quæ ab Abbatissæ sede prima est. Singulis quibusque diebus Veneris ad capitulum (vt vocant) conuenient, nisi fortè occurrentis alicuius festi solemnitas impediret, tunc præcedenti die conuentus fiet. Legetur in eo aliquod Constitutionum caput, vel liber aliquis, qui de disciplina religiosa tractet, tum de deserti officij & regularis obseruantiæ culpis conferetur, & vbi notatæ fuerint, de remediis adhibendis cum omni sinceritate & charitate. Quantum ad pensiones, omnes eas ad Superioris dispositionem remittant, quæ hoc modo, quidquid eis fuerit necessarium, curabit subministrari. Quod verò ad Sorores illas, quæ pensiones huiusmodi impræsentiarum remittere nolent; Diuina in eis inspiratio expectanda erit. Et hæc pro eo Putei Orbensis Monasterio. Quæsi Moniales spreuerũt, viderint, an apud Deum malè habeant. Sanè reformationem, Rosa Burghesia exoptabat, & diu per litteras rogauerat idcirco Salesium, qui Diuionem perrexit, & lites quasdam magni momenti quasque in immensum crescere rebantur omnes, inter Moniales Carmelitanas discalceatas, & Nobilem quamdam fœminam, non sine labore composuit. Interea Fremiota de mundo contemnendo vltimum decretum habuit, & recedere statuit in Sabaudiam, cui rei prætexta causa fuit, Matrimonij propositio inter Bernardũ Baronem Salesiũ & Torẽtinum Episcopi Magni fratrem, & Mariam Amatam Rabutiniam Chantalij Baronis & Fremiotæ filiam. Visa omnibus luculenta, opimáque pro vtroque conditio, sed qui summa afficiebantur lætitiâ? Salesius, & ipsa Fremiota. Et ille quidem Montelonem statim profectus, coram ingenti Nobilium turbâ, sponsorum mutuos consensus die decima tertia Octobris accepit. Exhiberi nuper ei curauerant Sereniſſimi Principes Albertus Archidux Austriacus, Rodolphi & Matthiæ Cæsarum frater, & Ysabella Clara Eugenia Belgarum Princeps & Comes Burgundiæ litteras Apostolicas Commissionis super controuersia inter se & Clerum Comitatus Burgundiæ ratione aquarum salsarum quas vulgo Murias nuncupant, in quadrantes, & alias minores partes diuisarum, scaturientium & prouenientium ex puteo inferioris oppidi Salinarum, & ex quarum decoctione sal conficitur, diffinitiuè iudicanda, vnà cum Basileensi Episcopo, in eam etiam rem ab Apostolica Sede commisso.

Conuentus.

Pensiones.

Matrimonium Bernardi Salesii.

missio. Iudicij locus indictus Balmis Partheniis. Montelono igitur
Francisous Lole Sequanos versus viam iniit, & pridie Calendas Nouembris Dolam appulit. Non citiùs autem ascendit in diuersorium ingruente nocte quàm ecce Consules de fausto aduentu gratulabũdi eũ etiam ad Concionem crastinam festi Sanctorum omnium rogauêre, & promittendum auidis supplicibus fuit. Manè facto horâ octauâ à Patribus Societatis Iesu ad eorum Collegium ducitur: circiter sacrum fecit tanta cum populi frequentia, vt stupenda res esset; eo finito octingentis plusquam hominibus manu propriâ, augustissimum perrexit Eucharistię Sacramentum, coactúsque fuit in altari esse vsque ad horam vndecimam. Sumpto prandio, horâ post meridiem primâ, in Magna Ecclesia potentis-
Concionatur. simam habuit & Doctissimam Concionem de Prædestinatione, & populus qui Angelum de cœlo lapsum videre putabat, ab acclamationibus & plausibus abstinere non potuit. Vidit ibi Mira-
Vesuntioni adorat Sindonem. culosam Hostiam Fauernianam. Hinc Vesuntionem pergens honorificentissimè exceptus est, & in sui gratiam Perillustres ac Reuerendi Cathedrales Canonici Sacrosanctam Iesu Christi Sindonem explicarunt. Cõtrectauit eam manibus & considerauit attentissimè sanctus Antistes prouolutus humillimè veneratus est, necnon & in meditatione sua adeò amoris immensi exarsit ignis, dum videret Domini sui plagas & pretiosissimum sanguinem, vt bulliente venis omnibus sanguine affectóque ineffa-
Flet pra teneritudine. bili teneritudine corde, largis oculorum imbribus sacram terram conspersit, tum quò Clero & populo accepti tanti beneficij gratias ageret sermonem in promptu habuit assumpto themate. Si tetigero fimbriam vestimenti eius tantùm, salua ero. Mox ad
Excipitur à Iesuitis. Iesuitarum Collegium processit, vbi humaniorum litterarum Candidati varia in eius laudem poëmata, Emblemata, Epicheremata, Anagrammata panxerunt, decantarunt, & currebant post eum Iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus venerabundi, & laudantes nomen Domini, per vicos & compita, nec poterant ab suauissimo eius conspectu auelli: Hinc Balmas processit vbi eum
Rei iudicandæ status. Basileensis Episcopus & Partium Procuratores expectabant. Iudicanda res huiusmodi. Hispaniarum Rex, Comes Burgundiæ & multæ Abbatiæ, Collegiatæ Ecclesiæ, Paroeciales, Prioratus, Monasteria, Conuentus, sacella aliáque pia loca, multi etiam Nobiles & laici Sequani aquas salsas seu murias in quadrantibus

eiusdem

eiusdem inferioris oppidi Salinarum tenuerant & possederant. Horum quadrantium maior pars ad Regem pertinebat. Cùm autem ex quolibet quadrante vix sexaginta duæ vel tres libræ quotannis perciperentur, Ecclesiastici tam modicum prospicientes ex iis quadrantibus, obuenire Ecclesiis prouentum periculúmque imminere ne etiam grauius inde accideret, eo quòd sumptus in Muriarum decoctione necessariò impendendi quotidie crescerent & augerentur, & suarum Ecclesiarũ indemnitati consulendum, rebúsque suis prouidendum esse censentes, immò cum nulla spes adesset eum reditũ augeri posse, suarum Ecclesiarum conditionem meliorem facere cupientes, cum Philippo Rege sub Apostolicæ Sedis placito quadrantes huiusmodi aliásque Muriarum portiones pro annuo centum librarum ex quolibet quadrante censu permutarant. Restabat vt ea rata esse Apostolica Sedes decerneret. Clemens Papa octauus ad rei cognitionem habendam Archiepiscopum & Decanum Bisuntinenses commisit: at sequuto paulò post Philippi Regis obitu eæ litteræ minimè Archiepiscopo & Decano exhibitæ fuerant, minúsque ab eis executioni demandari poterant, eo quòd etiam Clementis obitus superueniisset. Cúmque Albertus & Isabella Archiduces Comitésque Burgundiæ eas litteras suum sortiri effectum cuperent, exortis iam ab Regis Philippi obitu variis controuersiis, quibus deficiente centum librarum solutione redire in suum ius Clerus debuerat, Paulus quintus nouis litteris Augustano & Lausanensi Episcopis negotium omne commisit; & quia Ciuitas Augustana à Comitatu Burgundiæ octo dierum itinere distabat, in locum Augustani Episcopus Basiliensis subrogatus est. Cùm autem antequam litteræ subrogationis huiusmodi expedirentur, Lausanensis Episcopus extremum clausisset diem, idem Pontifex Franciscum Salesium Gebennensem Episcopum litteris Romæ apud sanctum Petrum quinto Calendas Februarij, anno supra millesimum sexcentesimo octauo, & Pontificatus tertio datis commisit. Igitur ad diem Procuratorum & Causidicorum vnusquisque præclarè suas partes egit, & iura omnia exhibuit, quibus auditis & visis quãtum satis superque vtrique parti esset ab æquissimis Iudicibus pronunciatum est. Toto vero quod habere poterat, postquam fusè instructus fuit Salesius, interstitio, accurrentium vndique confessiones audiuit, & in hac &

Franciscus cum Basileensi Episcopo optimè iudicat.

illa sacra æde concionatus est, necnon & Monialibus loci illius sanctissima disciplinæ Religiosæ consilia ad preces Margaridis Geneuensis eiusdem Monasterij Abbatissæ, & Basileensis Episcopi Cognatæ dedit. Quæ quidem Margaris optimo fœmina iudicio & singulari pietate, plurima deinceps ab eo per litteras sinceræ pietatis & religionis præcepta extraxit. Cæterùm exiguo illo tempore quo apud Sequanos fuit, tantum illorum sibi conciliauit animos quantum dici satis non possit, & omnes tanquam si verus & proprius eorum Pastor fuisset, Episcopum suum vocabant. In reditu cum Salinarum oppidum pertransiret, ostendit quàm alienum haberet à curiositate etiam indifferenti animum: nam vt in iis quæ patris sui sunt, ad Christi imitationẽ esset, non curauit artificiũ illud videre mirabile, quo exscaturigine hauritur aqua salsa & in labra diffunditur in quibus coquitur & sal euadit; sed maluit de spiritalibus rebus & regno Patris æterni cum insignis pietatis nobili fœmina Andelotia Castello-roleauia cõferre, & sacras virgines Elizabetanas tertij Ordinis Franciscani cælestibus suis alloquiis cõsolari. Discedẽti verò quo sur̃ erga tantũ Præsulẽ Albertus Archidux Austriacus gratitudinẽ testatã faceret, vasariũ ei argenteũ ad sacellum munus licèt inuito dedit, valoris bis mille librarũ, sex cãdelabra scilicet, calicẽ, duos vrceolos campanulã, forfices candelarias cum orbe, duos pelues, duos Aquales, duas scutellas, & duodecim orbes. In Sabaudiã redux decima quarta Octobris die visitare perrexit Ecclesiã Beatæ Marię Bellimontis: decima nona sancti Blasij Aleui & sancti Petri Gruffiaci: vigesima sancti Stephani Viuuij, vigesima prima Prioratũ sancti Ioãnis Baptistæ Chiezæ & parœcialem sancti Donati Muresij, necnõ sancti Martini Chapperiaci & sancti Mauritij Mõtagniaci: vigesima secũda sancti Sylueſtri & sancti Pauli Etterciaci, necnon Beatæ Mariæ Chauanodi. Vigesima tertia Prioratum Beatæ Marię Louagniaci Ordinis sancti Benedicti Sauigniacẽsis. Eadẽ sanctorũ Victoris & Vrsi Nõglardi & sancti Petri Vallium, vigesima quartá sancti Nicolai Altęuillæ & sancti Eusebij necnõ sancti Ioannis Baptistæ Thusiaci: vigesima quinta sancti Martini Valleriarũ, vigesima sexta Prioratũ sancti Martini Poẽsiaci Ordinis sancti Augustini, vigesima septima sancti Petri Espagniaci, vigesima octaua sancti Desiderij Mæi, & sancti Martini Meteti. Anicium reuersus vir Dei duos Geneuenses ad fidem conuertit

Monialibus Balmensibus optima dat consilia.

Moniales Elizabethanas cõsolatur.

Continuatio visitationis.

Duos Geneuenses conuertit.

diúque

diúque deinceps domi suæ aluit Ioannem Montouium Tabellionis cuiusdam filium, & Iacobum Gradellum, quibus & in addiscendis artibus sumptus fecit. Eo anno prodiit in lucem liber planè aureus, immò pretiosus & desiderabilis super aurum & topazion, Isagoge in vitam Deo deuotam, cui sic ille seu potius Spiritus sanctus per illum initium dedit. Piscatus aliquando è sacro pulpito fuerat ad piæ vitæ desiderium Nobilem animam Ludouicam Castelliam Vicedomini Caluomontani Charmoësiaci Dynastæ Coniugem, præclaro & masculo fœminam ingenio, & eius passim interrogatis per litteras seu syngraphos, integrósque sæpè de re aliqua spiritali tractatus respondebat. Elapso tandem anno multæ chartæ fuerunt, quas cum ea fortè Ioanni Forerio Collegij Camberiensis Societatis Iesu Rectori ostendisset, miratus est ille tam sublimia pietatis præcepta, rogauítque Castelliam vti voluenda legendáque penitus per aliquot dierum spatiũ sibi relinqueret. Quo tempore ad Salesium scripsit edendas in lucem chartas illas esse, ad maiorem Dei gloriam & animarum salutem. Renuit primâ fronte Salesius, qui nihil minus quàm ea fragmenta in publicum spargere cogitarat, habuítque se merè negatiuè, vt aiunt Theologi. At Forerius vrgere consilium cœpit, additis etiam suauibus minis mandaturum se typis ea quæ penes se haberet, nisi ad formandum sui genij iustum volumen ex iis chartis consentiret. Hæsit diu cogitabundus Salesius, & diuinam idcircò voluntatem in̄ sacrificio postulauit. Tandem in animum venit nihil periculi esse, si postquam tot Doctores scriptoréque, pietatẽ, & (vt Christianè dicitur) deuotionem procul à sæcularibus negotiis, in solitudine, in Monasteriis, in austeritate vitæ descripsissent, ipse eam, in aulis, in castris, in foro, in compitis, mediósque inter sæculi tumultus edoceret, ostenderétque dari piè religiosæ vitæ in sæculo locum, non secus ac dulcibus fontibus medio in salso mari, & Pirausti is inter flammas incombustis alis. Referri igitur ad se iussit malè cohærentes chartas illas, quippe quæ ex occasionibus ortum habuissent, relegit, rescidit, addidit, ornauit, distribuit, ac tandem conflauit librum illum quo nunquam hoc in genere præstantior, & de quo statim magnus ille Viennensis Archiepiscopus Petrus Villarsius testimoniũ hoc reddidit. Pius illle libellus tuus (inquit) quem recens prælo commisisti, rapit me, inflammat & in ecsta-

Liber Frãcisci Isagogicus in vitam Deo deuotam.

Vt conscriptus.

Vt editus & quamobrem.

Encomia à Villarsio Viennensi Archiepiscopo.

sim adeò trahit, vt nec lingua mihi suppetat, nec calamus quo affectum ingentem in te meum exprimere queam, ob redditum tam insigne diuinæ bonitati obsequium,& inæstimabile emolumentum iis futurum qui libellum hunc vt decet lecturi sunt. Quid verò aliud à te Gebennensi Episcopo expectandum erat quàm opus aliquod inter alia quo Geneuensium erroris & perfidiæ infamia toti infesta Europæ adduceretur in exterminium? Ad huius rei probationem multa adducit vir Doctissimus, Scriptores morales non minus hæresim expugnasse quàm Controuersistas ostendens. Cùm error non nisi sit materia hæresis, & obstinatio forma, doctrina autem quæ intellectum illuminat, remedium ad materiam afferat: sed pietas quæ voluntatem flectit, & profligat obstinationem, dominetur formæ quæ præcipuum in essentia tenet, ita vt oporteat vel controuersias pietati cedere, vel eam sibi sociã reddere, & nihil absque ea se proficere posse cognoscere; omnis enim peccans ignorans est, & quamuis in syllogismo speculatiuo possit dicere, Video meliora probóque, quia intellectus vincitur veritate, nihilominus tamen in syllogismo practico se deteriora sequi fatetur, quoniam ab effræni fertur concupiscentia. Ità vt cum supercecidit ignis concupiscentię in animas, non viderunt Solem. Itaque instruendam esse voluntatem (inquit) vt efficax sit intellectus illuminatio, considerato etiam quòd libri pij ab doctrinà purgatiua incipiunt, vt à prauis habitibus animas exspolient. Sed pergit ad Encomium in alia Epistola. Non diffiteor (inquit) me in plurimis societatibus libellum tuum Introductionis extulisse, verumramen non mea existimatio illi indidit existimationem & celebritatem. Volat Philothea suis alis, suauis est suo sacchare, suis ornata est coloribus, & dines gemmis, ita vt vino vendibili suspensa non fuerit opus hedera. Lecto etiam eo libro Magnus Monachus Bruno Affringuius Cartusienſis Ordinis Generalis Prior, lepidè scripsit ad Salesium, vti deinceps à scriptione abstineret, timens ne per alios fortè libros de tanta existimatione detraheret: breui tamen palinodiam cantaturus. Immensum esset recensere Encomia à Viris Illustribus huic libello & authori ob libellum data, & dixisse sufficiat quod Ioannes à sancto Francisco Congregationis Fullienſis generalis superior, librum hunc librum esse librorum omnium, & omnium librum, perfectissimum quippe qui vnquam

Alia eiusdem.

Ab Affringuio Cartusiano.

A Generali Fullienſi.

quam in manus ſpiritualium hominum inciderit. Qui Chriſtianus non eſt per hunc librum Chriſtianus euadet. Qui Chriſtianus eſt proficiet, qui profecerit perfectionem attinget. Eum legendi neminem vnquam capiet ſatietas, lectus relegendus eſt, & relectus nouam ſemper parit auiditatem. Mirum autem quam ſubitò in omnia ferè Europæ idiomata verſus ſit, & per omnes Chriſtiani orbis Prouincias diſperſus, volauit in Italiam & Italicus factus eſt, in Hiſpaniam & Iberus, in Germaniam & Theutonicus, immò & ibi Latinus, in Angliam & Britannicus, eximiámque à Iacobo Rege hæretico quamuis & ſchiſmatico laudem tulit, qui eum diu geſtauit in perula, nimirum quia & honore duplici ad eum à Sereniſſima Regina Chriſtianiſſimi Regis Matre intertextis religatus gemmis, preciosíſque Adamantibus pro xeniis miſſus fuit. Et Galliæ Rex Henricus magnus eo lecto, deſiderabam hoc iampridem ab eo Præſule, inquit, vt de vera pietate animas inſtrueret, & animos ad perfectam Dei cognitionem & famulatum reduceret. Noui enim noſtrorum ingenia: in duas æquè prauas feruntur extremitates; quidam enim tanquam ſi nullus Deus eſſet, vel ipſo res indigna foret oculos in ſingulas hominum actiones intentos habere, & offendi ex iis quæ dicunt, quæ cogitant, aut quæ agunt, vt eos puniat, & vindictam ſumat, ad omnia prorumpunt vitia & facinora abſque timore, vel apprehenſione iudiciorum Dei. Quidam verò Deum arbitrantes hominum non inuigilare actibus, niſi vt eos perdat & damnet, pro peccatis minimis continuis apprehenſi pauoribus, & ſcrupulis perturbationibúſque vitam miſeram degunt, vnde in debilibus huiuſmodi ingeniis peſſimi oriuntur effectus. Egregius autem & excellens in eam rem liber iſte mihi videtur: nam Dei cognitionem docet, methodúmque ſeruiendi ei, ita vt irreligio & impietas ſicut ſuperſtitio & ſcrupuli euitentur. Siquidem hac de re iampridem Saleſium Hayanus per litteras admonuerat, & cum Forerij conſiliis non minimæ ſuaſionis tanti Regis ſententia fuit, vt in id præſtantiſſimum opus Spiritu ſancto duce, cuius inſcrutabiles viæ ſunt, incumberet, & retuliſſet id ſine dubio in libri præfatione, niſi ex Regis, cuius apprimè noſcebat genium & ingenium, modeſtia abſtinere maluiſſet. In hoc tot Magnatum & Doctorum applauſu non defuit tamen laruatus quidam Momus, à cuius nomine horret hiſtoria, qui cùm legiſſet ſaltationē

In omnes linguas verſus.

Ad Regem Angliæ miſſus.

A Rege Galliæ laudatus.

A laruato quodam reprobatus.

actionem esse ex seipsa indifferentem, & inter remissiones animi ludicra verba & iocos posse admitti. O scelus (exclamauit vir stolidus) ac quod intolerabilius, è sublimi pulpito. Nec dubitauit ipsum conuenire Salesium, & re non pensata, non apud Theologos visa, nullisque auditis propositionum defensionibus ausus est prima fronte Doctissimum Theologum imprudentissimus Bardus criminari, adeò multos austerâ quãtumuis togâ tectos etiam sub cucullo temerarius zelus adigit ad insaniam. Salesius verò non turbari, sed nec moueri cœpit. Ego (inquit) cùm censorum horum conditionem noscam intentionem laudo quam bonam fuisse puto, desiderassem nihilominus vt considerare & perpendere placuisset, & primam propositionem hanc è communi & vera sanctissimorum eruditissimorúmque Theologorum doctrina haustam, me pro iis qui in mundo & in aulis viuunt scribere. Cæterùm me sedulò extremum quod in choræis est periculum inculcare. Secundam verò propositionem cum verbo ludicro non meam esse, sed mirabilis illius Regis Diui Ludouici Doctoris, quem in arte benè ad piam vitam aulicos conducendi omninò sequi par est: Credo enim si ad id attendissent, quod eorum charitas & discretio nunquam eorum zelo quantumuis aspero & austero permisisset suam indignationem in me armare. Alij æquè inepti culpauerunt eum, quòd sermones suos ad Philotheam dirigat, quasi si quia fœminam alloquitur, ea virorum ingenio indigna fuisset doctrina. Respondit verò illis in hunc modum. Admonuit me non ita pridem Magnus Dei seruus, Directionem quam mei sermonis feceram ad Philotheam viris multis impedimento fuisse, ne ex Introductione mea ad vitam deuotam proficerent, quandoquidem indigna reputabant Præcepta fœminæ data, quæ à viris legerentur. Miratus sum reperiri viros qui quòd viri haberi vellent reipsa tamen parum viros se ostenderent: Cogitandum enim tibi relinquo, chare lector, num pietas æquè pro viris sit ac pro fœminis, & num cum pari attentione & reuerentia legenda sit Epistola secunda sancti Ioannis ad sanctam fœminam Electam directa, ac tertia quam Caio destinat, & vtrum mille & mille literæ, aut excellentes antiquorum Ecclesiæ Patrum tractatus inutiles haberi debeant viris quoniam ad sanctas illorum temporum fœminas directi sunt. Sed præter hæc Anima est ad pietatem aspirans quam Philotheam

Francisci modestia.

theam appello, & viri animam æquè ac fœminæ habẽt. Hæc vir sanctus pro defensione libri præstantissimi respondebat. Non desinebat tamen eum hortari ad scriptionem Villarsius Vienneosis Archiepiscopus, cui de conceptione aliorum librorum sic respondit. Quandoquidem hortaris me mi Domine, inquit, vt scribere pergam quæ dabit mihi Deus pro Ecclesiæ suę ædificatione, dicam tibi libenter & confidenter intentiones in hanc rem meas. Deficiunt omnia mihi procul dubio ad aggredienda magni voluminis & diuturni spiritus opera: nullius enim idónei sum ingenij. Nullus forte est ad centum circum me leucas Episcopus qui tantorum negotiorum confusione fatigetur. Hîc neque libros neque comparatas huiusmodi effectibus communicationes habere possum. Magnis idcirco operariis magnos linquens ausus quædam concepi minora minoris laboris opera, apta nihilominus & huic meæ vitæ conditioni non tantum proximi ad Dei gloriam deuotæ, sed consecratæ obsequiis appositа. Argumenta tibi breuiter referam. Meditor ergo libellum de Amore Dei, non speculatiuè, sed vt in mandatorũ primę tabulę obseruatione praxim ostendã: sequetur istũ alius qui eiusdem diuini amoris praxim in mandatorũ secundæ tabulæ obseruatione ostẽdet: & ambo in iustũ & tractabile volumẽ reduci poterunt. Cogito etiam aliquã. do emittere Calendariolũ & Diurnale pro deuotæ animæ regimine, in quo sãctas Philotheę ad omnes anni hebdomadas occupationes dabo. Habeo præterea quasdã materias quibus ad prædicationis Euangelicæ exercitium tyrones introducantur, vellémque vt introductionem hanc sequeretur methodus conuertendi hæreticos per prædicationem sanctam, & in hoc vltimo libro vellem per modum praxis apparentiora & magis celebria aduersariorum argumenta dissoluere, & hoc stylo non tantùm instructiuo, sed etiam affectiuo, vt proficeret non ad Catholicorum consolationem dumtaxat, sed ad hæreticorum reductionem. Cui sanè rei meditationes multæ quas annorum quinque spatio in Caballio feci, vbi absque libris aliis quàm sacris Bibliis, & Magni Bellarmini, concionatus sum, inseruirent. Hæc sunt, mi Domine, quæ exiguus meus mihi zelus suggerit, quem (cùm fortè non sit secundùm scientiam) tempus, exiguum quod habeo otium, & imbecillitatis meæ cognitio sunt moderatura. Villarsius horum librorum pensatis argumentis sic respondit. Conceptа

Francisci de suis libris ad Villarsium Epistola.

Villarsij epistola responsoria.

cepta tua duorum in duas tabulas tractatuum deſignatio aſcenſiones diſponet in corda eorum, qui adeò fœlices erunt vt eos legant, relegant, & retineant: peruenient enim ad ſupremum charitatis faſtigium, quæ implet legem, & eſt verè omnis homo, quemadmodum omnis homo quantumuis in cæteris excellat, ſi abſque illa eſt, debet dicere nihil ſum. Calendarium & Diurnale tabulares Philotheæ notæ erunt in epitonici ſui organi tactilibus pinnis, inſeruientes ei ad conſeruandos memoriæ ſuæ ſpirituales concentus, quos neceſſitas corporis & externæ cæteræ occupationes actu interrumpunt, ſæpiùs quàm vellet. Quinquaginta illę hebdomadæ quamuis per multos repetitæ annos nihil durabunt ei, duo ſeptenaria gloriæ ſpiritualis & corporeæ, quæ magnum illud nunquam finem habiturum ſequentur Iubilæum repræſentantes, duobus vltimis inſtitutis, quæ deſignas, mundum erit replere concionatoribus, qui idem faciant quod tu facis, & pollicebor mihi, ſi tuis faueat cœptis Deus, tam ingentem conuerſorum turbam, vt nunquam viſa ſit talis methodus, & hæc vocas exigua cõſilia, paruos auſus, exiles conceptus, tenuis ſpiritus, humilis materiei. Pergo verò ego dicere tuum illũ librum Iſagogicũ prægrandibus illis tot Controuerſiſtarũ voluminibus prævalere; fac igitur Domine, vt zelus tuus qui verè ſecundùm ſcientiam ſanctorum eſt, ea quæ mihi communicare dignaris, exequutioni demandet. Atque hæc magnus Villarſius. Interea quamplures hæreticos è Babylonica Geneua ſua trahebat Saleſius, quos & de Catholicis inſtruebat dogmatibus, & humanis etiam ſubſidiis ſuſtentabat: inter quos fuère Petrus Tronchinus, Dauid Tronchinus fratres, Vincentius Lauſanenſis, Iacobus Cuſinus inſignis Miniſtri frater aut certè patruelis. Petrus Fondranus & Alexander Montecreſcentius. Cuſinum autem per tres deinceps annos in Camberienſi Societatis Ieſu Gymnaſio litteris incumbentem ſuis aluit ſumptibus, Vincentium Cultellario cuidam artifici in ſuburbio Bouis commoranti, vt artem addiſceret commiſit. Fondrano Romam eunti triginta ducatos pro ſtipe dedit, & Montecreſcentiũ Romam item profiſciſci cupientem per litteras ſupremo Pontifici & Cardinalibus commendauit, quòd de nobili genere natus eſſet, maluiſſétque abiectus eſſe in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. necnon ei ſacram benedictionem impertiens etiam ducatos

Franciſcus Complures Geneuenſes conuertit.

quin

quindecim est impertitus. Neque verò in solos hæreticos tam insignia Christianę charitatis opera dispergebat, participes etiam eorum erant cæteri egeni quicunque. Hyems erat gelidissima, cúmque in cubiculum fortè suum negotiorum aliquorum causa Claudium Melchiorem Gerodum Ludimagistrum Clusensem introduxisset, vidissétque laceris omninò vestibus trementem præ frigore, num meliores vestes haberet interrogauit? Audito pauperis responso negantis se quidquam aliud quo arceret frigus habere. Præstolare hîc, inquit, sanctus Præsul, redibo statim ad te. Intrauit in Conclaue, vbi reperire putabat quas nudius tertius deposuerat vestes, cùm non eas (quippe à seruis sublatas) reperisset, expoliauit se sua interula, quam non ita pridem ex optimo panno nouam induerat, & rediens, cape, inquit misero, abscondè, vade & nemini dixeris. Pertulítque sic frigus donec aduertente famulo qui dum cubitum iret inseruiebat, alia ei data est, non sine serui illius & cæterorum ad quos res relata est, admiratione. Quibus etiam temporibus non dissimilem illi quem nuper Tononum eundo fecerat, temperantiæ & ad cibos inaduertentiæ actum exhibuit; dum enim Salesij cum Matre & fratribus mensæ accumberet, appositúsque fuisset ante eum orbis in quo cum aqua oua tudicalata erant, ipse sermonibus piis quos inter manducandum habebat intentus toto ferè prandio panem suum illi frigidę immersit tanquam si lautum ac scitum embamma fuisset, adeò à rebus quæ solius sunt corporis alienus erat. Cùm autem Anicium ad Quadragesimam rediisset eunte Martio magna eum affecit mœstitia Claudiæ Philibertæ Pingoniæ Cusiacæ fratris sui Ludouici Salesij Tulliani Dynastæ Coniugis obitus ad quartum Calendas Aprilis, eam quippe multis de causis tenerrimè diligebat, tum quòd Beroldi Pingonij Cusiacensium Baronis ex antiqua necessitudine charissimi, & Carolæ Vautrauersiæ illustris ac piissimæ fœminæ filia esset, tum quòd eam ab annis circiter septem per sanctissimum Matrimonij Sacramentum sua benedictione Germano suauissimo coniunxisset, & propter insignia eius merita, quæ sanè multis & præclaris virtutibus cumulauerat: sed nullus sancto Præsuli à funebribus amaritudinibus annus vacabat. Ineunte æstate proximum Tallorience Monasterium Ordinis sancti Benedicti ad pristinam reducendi religiosæ disciplinæ normam consilium fuit, & in id sa-

Franciscus interulam suam dat egeno.

Actus temperantiæ mirus à Francisco.

Claudiæ Philibertæ Pingoniæ obitus.

nè inſtitutum multæ eum rationes mouebant: Monaſterij celebritas, antiquitas, Sanctorum qui in eo vixerant non exiguus numerus, vicinia, & cætera huiuſmodi, præterquam quod Petrus Saleſius patruus ſuus hoc in inſigni Cœnobio poſt longos annos Operarius obierat. Talloriæ vicus eſt ampliſſimus ad medium Anicienſis lacus inter vineta ſitus, montem habens altiſſimum qui eum ab Orientalibus ventis defendit. Ad reliquos autem ſeu Meridiei, ſeu Occidentis & Aquilonis aſpectus gratiſſimum habet lacum, Ruangianas planities, Tullianum tractum, Dunienſes & Caſtroueteranas turres ex aduerſo, Sanioricianum agrum & Dereanam ditionem, ita vt pro deliciis haberi poſſit, Prioratus ad extremum vici in ripa lacus ad modum oppidi viſitur turribus, ædificiis ac pinnaculis affabrè conſtructis inſignis, quem Rodulphus vltimus Burgundici regni Moderator ſub Sauigniacenſis Abbatis regimine in honorem Sacratiſſimæ Virginis Mariæ & Benedictini Ordinis accrementum olim extruxit. Apto planè loco Religioſis viris, & ex ipſa natura in eam rem amabili. Floruerat in eo per multa ſæcula Religioſa diſciplina, ſed Commendatariorum ſocordiâ & incuriâ lapſa fuerat, & argentum verſum in ſcoriam. Saleſius igitur poſtquam diu apud Apoſtolicam Sedem reclamaſſet, tandem litteras à Paulo quinto Pontifice maximo obtinuit, quibus ſeriò in reſtitutionem antiquæ diui Benedicti regulæ in eo Monaſterio iuſſus eſt incumbere, non id tamen prius quàm rem omnem Franciſco Albonio Sauigniacenſi Abbati retulerit, qui Sancti precibus flexus, omnem ei Religioſos illos Tallorienſes viſitandi & corrigendi authoritatem eſt impertitus. Mira hîc fuit Saleſij humilitas, nam vt rem tam Deo gratam ad ſuum exitum perduceret, Vicarij nomen ſumere ab Abbate non eſt dedignatus. His ita inſtructis profectus eſt Tallorias, conuocatiſque Religioſis ſermone potentiſſimo periculi magnitudinem eis oſtendit, in quo ob deſertam religioſam diſciplinam verſarentur. Non poſſe id abſque animarum detrimento eſſe, quandoquidem vota quæ emiſerant minimè obſeruarent. Tolerabile autem magis fore ſi nullo modo Monachi eſſent, quàm ſi mali Monachi, ſed iactam ea de vitæ conditione aleam eſſe, nec à votis abſolutionem petendi dari locum. Hæc & ſimilia, lenitatis & charitatis verè fraternæ ſacchare ita condiuit, vt ex plurimorum oculis irriguas lachrymas eruerit. Reſta-

Talloriarũ deſcriptio.

Monaſterium.

Mira Saleſij humilitas.

Franciſcus Tallorienſis Cœnobij reformationi incumbit.

uêre

nêre tamen nonnulli obstinatis in libertate sua praua animis, & quidnam sibi vellet hæc reformatio interrogare cœperunt? se vt intrauerant velle viuere inquientes, nec esse nouitatis auidos. Bone Deus, quas Satanæ pellacias! hos Salesius tanquam hædos ab ouibus separauit, assumptísque iterum verbis motos interioribus conscientiæ aculeis Religiosos cæteros vti sibi Superiorem seu Priorem claustralem eligerent adhortatus est. Verumtamen & hìc non defuit admurmuratio, quâ industriè sedatâ electionem tandem persuasit. Interea sancti Spiritus opem Salesius implorabat, ex hac enim sciebat electione rem vniuersam dependere, & ecce electus est Claudius Ludouicus Nicolaus Coësius, vir qui etsi cum aliis anteà vixisset, virtutibus tamen semper enituerat, & Reformationem diu desiderauerat; erátque prorsus inter cęteros secundùm cor Salesij, cui & iampridem extabat chariſſimus. Lætus his incrementis Salesius, datis nouo Priori quibus suos religiosos dirigere inciperet, prudentissimis præceptis, tantisper abesse operæpretium fore iudicauit, sed dum non esse iocum mali Monachi vident, tantus excitatus est toto Monasterio à discolis fragor, vt cedere insanæ cateruæ Coësius coactus fuerit, & in proximam Monasterio domum recedere, luce autem postera à tribus nebulonibus insidiosè expectatus breuiori stlopo tentatus est, innoxio tamen ictu, à quo facinore cùm è tribus duo posteà abhorruissent pœnitentiáque ducti petiissent à Priore veniam, non tam tamen timere se à Salesio fassi sunt quàm à Sabaudiensi Senatu, Salesium enim facilè condonaturum inquiebant, at perditos se si apud Senatum scelus referret, adeò Salesianę lenitatis & benignitatis existimatio inualuerat. Cùm autem post aliquot dies rem ex veritate narraturus ad Salesium Coësius accessisset, intranti in cubiculum his occurrit verbis Salesius: Et nihílne ab extraordinariis huiusmodi amicitiæ significationibus pertimescimus Pater Prior? si ad catapultarij intentionem nocuisset ictus, paratíne eramus mori & condonare? Sed hoc nihil est. Venerunt illi ad me, & cum lachrymis petiere veniam, promiserúntque omnem deinceps modestiam. Timent verò à Senatu, sed accusandi non sunt. Veruntamen cauendum sibi, inter amicos nostros quærendum non est martyrium. Quod si fortè ab illis fieremus martyres. Patientia, etenim si in die iudicij, nobiscum salui sint, amici nostri semper erunt, nec adeò

Separat oues ab hædis.

Priorē eligi curat.

Facinus à discolis.

Salesij mãsuetudo.

nobis infeſti fuerint vt exiſtimare quis poſſet. Cæterùm admonui eos ſeriò, niſi ſapientiores in poſterum eſſent, inuenturos qui eorum coërceret inſolentiam. Mira promiſêre mihi, tu verò obſecro ne minimum exhibe aduerſi animi teſtimonium. Sinamus ſupremam prouidentiam gubernare, & quis ſcit an eos aliquando reuocabit Deus? Attamen dum res ferueret inſtandum eſſe cenſuit ſapientiſſimus Antiſtes, timendum enim ne omnia mora deſtructura eſſet: Quapropter exhibitis Apoſtolicis litteris, necnon & facultate ſibi ab Generali Abbate facta, Senatus opem implorauit ad exequutioni demandanda ea quæ habebat in præceptis. Senatus Franciſcum Buttetium Senatorem commiſit, qui omnia quæcunque Saleſius Gebennenſis Epiſcopus ageret ſuprema authoritate firmaret. Itaque conuocatis iterum Religioſis illis præcepit ſeriò vti ſtrictiorem Diui Benedicti regulam amplecterentur, idque ſtatim, alioquin intra tres menſes præcisè vacuarent Monaſterium. Quam conditionem acceptauêre multi potius quàm reformationi conſentire: nec mora iuſſi ſunt excedere, & hoc pacto pax multa facta eſt diligentibus legem Dei, & vltra non fuit illis ſcandalum. Tunc Sanctus Præſul puſillum gregem qui reſtauerat contemplatus, tenerrimè Religioſorum vnumquemque amplexatus eſt, ad virtutem & Religioſam perfectionem ferentiſſimâ adhortatione animauit, tum de ſingulis cùm id poſtulaſſent quid ſibi videretur iudicauit & certè prædixit, viſitauit Eccleſiam & Monaſterium, aſcendítque in Eremum ſancti Germani, & Coëſio vti ſacellum ad Sancti honorem repararet author fuit. Paucíſque ab hinc diebus ſic petenti Coëſio per litteras reſpondit. Quandoquidem exiguum numerum, etiam ex minimis domus in ætate & authoritate elegit Deus, Omnia cum humilitate maxima & ſimplicitate aggredienda ſunt, abſque eo quod, exiguus ille numerus alios vel verbis, vel geſtibus exterioribus arguere velle videatur, ſed exemplo & conſuetudine ædificationem illis afferat. Cùm ergo exiguum adeò ſit initium magna ad inſtituti perſequutionem opus eſt longanimitate, & recolendum memoriæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum poſt triginta annorum ſpatium non niſi cētum & viginti diſcipulos benè congregatos reliquiſſe, inter quos etiam multi fuere diſcoli. Palmam arborum Reginam non niſi poſt centum à plantatione annos fructum procucere, generoſo

Franciſcus vltimæ reformationi manum adhibet.

Sacellum Diui Germani reparari iubet.

ergo

ergò prędituṁ esse corde,& longi spiritus in re tanti ponderis & momenti oportere. A Minoribus initiis Deum reformationes feciſſe,& nihil minus quàm ad perfectionem prętendendum esse, & vt ad singularia peculiariáve deueniamus, consilium meum est vti sancta tua caterua semel saltem in hebdomada piè & deuotè communicare sollicita sit. Vt ad examen conscientiæ quaque vespera rectè faciendum edoceatur,vt ad materiarum & solemnitatum exigentiam mentalis oratio congruè fiat.Præsertim vt doceatur exhibendam Directori obedientiam omninò voluntariè, constantissimè & perseuerantissimè. Quod spectat ad habitum, non arbitror mutandum eum esse donec annus transierit.Cuperem verò in omnibus vniformem esse, etiam quoad materiam & scapulare amplum & largum, ad Benedictinorum reformatorum morem. Seruanda mihi videtur ad honestatem interula,dummodò non immoderatè distentum collare sit, sed sobriè & æqualiter vnusquisque etiam zonam & galerum eodem modo feret,decẽter.Quod ad cubilia,simpliciora cõgruentiora erunt,habeat vnusquisque suum, & ita sint dispositа vt vel decumbendo, vel surgendo nemo alium videat, sintque oculi mundi & puri.Probarem multum barbatos rasos & in vertice & in mento esse, iuxta antiquos Benedictinorum mores, & neminem deinceps solum ambulare sed cum socio. Expedit vt in diuinis officiis pusillus grex ingrediatur, maneat & egrediatur simul cum iisdem gestibus & ceremoniis, exterior enim compositio siue in officiis,siue in mensa,siue in publico potens motiuum est ad multum boni. Hoc initio necessarium minimè est abstinentiæ dierum Veneris & Sabbathi aliam præterquam dierum Mercurij addere secundùm antiquum morem, & mitigationem in Monasterio obseruari solitam. Hæc mea pro hoc principio sententia:longè alius Deo iuuante finis erit, nam vt scis primum in intentione est vltimum in exequutione. Sed in hoc negotio inexpugnabilis habendus est animus,oportétque expectare fructum in patientia: scio & video constitutiones vestras mira dicentes:non expedit tamen ab vna extremitate transire ad aliam absque medio.Infige profundè hunc cordi tuo affectum, vt restaures muros Hierusalem,extendet super te manum dexteram suam Deus; Aduerte præsertim vt vtaris lacte & melle,quia solidos cibos inuitatorũ debiles adhuc dentes mandere nondũ pos-

Præcepta dat nouo Priori.

De Habitu.

De Cubilibus.

De Tõsura

De Abstinentia.

Francisci prudentia.

sũt. Vale & bono ſis animo, vt vnus ex iis ſis per quos Salus fiet in Iraël: texto Idus Iulij milleſimo ſexcenteſimo nono. Anicij. Tandem per continuas feruentiſſimi Præſulis & noui Prioris curas reſtaurata eſt regularis diſciplina, ita vt bonus ex eo Monaſterio odor ſtatim emanauerit, & Adoleſcentum ac etiam virorũ pluri. mi Religioſæ vitæ deſiderio tacti, diſcolorum qui receſſerant ſedes repleuerint, non ſine prauorum & ſæculi hominum confuſione, qui ventum eſſe hæc omnia arbitrabantur, nec poterant à tam exiguis initiis tantam molem credere ſurrecturam. At Saleſius Diuinæ Maieſtati de omnibus gratias agebat, necnon & maiora quotidie ad Dei gloriam moliebatur. Dum ſemel diuinis intentus myſteriis ſolus per cubiculum ſuum deambularet, ecce improuiſo apparuit ante eum columna ignea, vt & ipſe deambulans quæ tamen eum minimè terruit, ſed poſt aliquot ex more continuatos decurſus in duas ſe diuiſit flammeas pyramides, quarum vna ad eius cubile ſtetit, altera ad eius cubitale precarium, & poſt aliquantulam moram ambæ euanuerunt. Reſtauit tamen ex hac viſione inflammatus ſanctus Antiſtes, cúmque poſt aliquot dies Michaëli Fabro Sacerdoti & eius confeſſario colloqueretur; rem ſuo more ſimpliciter & confidenter enarrauit; & neſcio (inquit) quid hoc ſibi velit, tum attonitum videns Fabrum ne ad laudem interpretaretur. Fortè hoc (ſubiecit,) ſignum eſt ſiue Matris, ſiue ex conſanguineis alicuius mortem præſagiens. Quidquid verò ſit adorandus eſt Deus, cuius miſericordia magna eſt ſuper nos, & qui attingit à fine vſque ad finem fortiter ſuauitérque cuncta diſponit. Quo tempore ab Ioanne Petro Camuſio Electo Bellicenſi litteras accepit, quibus rogabat eum nouus Timotheus, vti ſcilicet ad ſuam in Epiſcopum Conſecrationem Bellicium venire dignaretur. Saleſius hoc nuntio lætiſſimus non diſtulit profectionem, & tertio Calendas Septembris in Cathedrali Sancti Ioannis Baptiſtæ Bellicenſi Eccleſia per manuum ſuarum fauſtiſſimam impoſitionem digniſſimum Præſulem conſecrauit, necnon & deinceps in filium ipſo deprecante ſuſcepit, & vix redierat cùm Regiis litteris cum Barone Luxio ad Gexenſe oppidum conuenire iuſſus eſt idque illicò. De rebus autem religionis Catholicæ agebatur, quamobrẽ feſtinauit vti ad indictam diem Gexij eſſet, cúmque ſuperandum haberet Rhodanum, defuerunt ſcaphæ, quippe ad vincendos

Columna ignea Franciſco apparet.

Franciſcus Camuſium Bellicenſem Epiſcopũ conſecrat.

dos vndarum quæ continuis creuerant imbribus impetus ineptæ erant. Quid facto opus? per solam Geneuam tunc dabatur transitus. An autem transiret? certè ambigebat prima fronte ipse, cæteri omnes quos ad duodecim comites habebat absolutè renuebant, rebantur enim (nec malè) ingens periculum esse. Salesius inuocato numine Saniuliani pernoctandum dixit; Manè facto dum iterum deliberaretur: Ego (inquit) ad Dominum accedendum puto, vt quidquid nobis suggesserit faciamus. Eo itaque ad altare Deo Patri Filium suum oblatum & sancti Spiritus imploratum opem; subiunxitque: subridens, Nostri Ciues Geneuenses Missam audire nolunt, ego Missam dictam ad eos deferam. Inter celebrandum autem cùm ad consecrationem deueniisset, hæsit aliquantulum meditabundus, fixisque in augustissimum Sacramentum oculis statim consilium eius confirmatum est, & datus Comitibus animus Geneua transeundi. Sed de nomine quod Magistro portorij dandum erat difficultas fuit. Si enim te simpliciter Salesium nominas, notissimus es (inqniebant) si Gebennensem Episcopum, indignationem Ianitorum incurres, vixque euades innoxiè. Si nihil dicis sisteris. Inter has disceptationes Salesius, vocate me (inquit) huius Diœcesis Episcopum, & procedamus propitio Deo. Valuit stropha, nam cùm ad portam deuentum esset, interrogatúsque Ioannes Faber Vicarius Generalis, Diœcesis Episcopum esse respondisset, scripsit suis in tabulis excæcatus Exedræ Magister, Transisse Diœcesis Episcopũ, quasi Diœcesis Ciuitatis alicuius nomen fuisset, adeò periti sunt viri illi. Sed em aliã rẽ mirã. Dies erat Prędicationis (vt inquiunt) & iã quieuerat cãpana, leuatúsq; ferè pons portæ ductarius, sed visâ Equitũ duodecim turmâ, Episcopúmque in medio (nã Episcopalẽ suum solitũ Salesius gerebat habitũ) aduertentes, murorum & propugnaculorum speculatores demitti pontem iusserunt. Intrauit igitur in suam perduellem Ciuitatem per ostium bonus & verus Pastor, & vicos longos ab Aruæ porta ad Monetanam, pontémque Rhodani hinc & inde officinis & domibus marginatum, ad vrbis partem vsque, quæ à sancti Geruasij templo nomen habet, pertransiit. Verùm cum vellet prætergredi clausa fuit porta quæ Gexium ducit prædicationis occasione. Quare ipse & comites donec aperiretur expectaturi in hospitium Crucis albæ ascenderunt, steterúntque per horæ spatium,

Franciscus Genevâ mirabiliter transit.

neque

neque tamen vlli Præsulem vel retinendi vel tantisper offendendi, quantumuis nulli penè ignotus esse debuisset, in animum venit: sed cum patente ianuâ excessisset, tunc excitatus velut à somno populus stridere dentibus cœpit, & in rabiem erumpere, quòd tantus error à se commissus fuisset, nec abstinere potuit quin infestum suum erga eum animum editis libellis toti orbi significauerit, quos quidem libellos hac indignationis nota concluserunt. Nota si redeat. Gexium verò cùm appulisset Antistes, dixissétque Luxio se Geneuâ transiisse. Siquidem, exclamauit Luxius, & tu perfidorum illorum in manus incidere non timuisti? Proh! si te retinuissent vel offendissent perditi quidem illi erant, sed & nos cum illis perditi eramus. Et tu ille es? attonitus interrogabat. At Salesius sereno vultu ac placido. Quid verò in me poterant? ait, neque enim mea mors aliquid eorum addidisset Reipublicæ, neque tamen vnquam iuribus cessissem meis, sed in Deo meo fiduciam habebam, & ipse eripuit me de manibus eorum, res enim ob quam audacter transiui ad maiorem suam gloriam est, & iam non est amplius quod pertimescendum sit ab actione præterita, sed agendæ Deo gratiæ, & ad alia procedendum. Planè multa & mira pro Gexensibus Ecclesiis tũc egit cum Luxio Salesius, & Ministris maiorẽ quam vnquã timorẽ incussit, ipsis etiam Geneuensibus, quibus promisit iterum ad disputationem se conuenturum, quando & quomodo vellent, cum iis conditionibus, quas toties iam antea proposuerat, & quas æquissimas nemo sanæ mentis non iudicabat. Consentiebat autem vt omnia ex sacris Bibliis Antuerpiæ editis agitarentur, vt non tam in enucleandis versionibus variis mora traheretur, quam in disceptandis cæteris & præcipuis controuersis capitibus, de quibus omnibus vt si recusarent confusio illis esset & Ecclesiæ Catholicæ gloria maior, syngraphum manu propria exaratum ad eos misit, sed illi pro excusatione Belgicorum exercituum timorem adduxerunt, nec velle se dixerunt Iesuitas vllam hoc in conuentu partem habere, quia Iacobum Philibertum Boniuardium Societatis Iesu præstantissimum Theologum Bisuntini tunc Collegij à Salesij stare partibus intellexerant, & sic euaserunt. Quare Salesius eorum irridens vecordiam per aliam viam reuersus est in regionem suam. Sed non multos post dies ex laboribus Gexij exantlatis vt censuêre Medi-

Geneuensium minæ in Francisc̃um.

Franciscus iterũ Gebennensibus collationem offert.

Franciscus in febrim incidit.

ci

ci in febrim incidit, quæ tamen non eum ita torsit ac iniecta Sereniſſimi Ducis auribus calumnia; Tranſiſſe Geneuâ Saleſium, atque inde ad Baronem Luxium à Rege Franciæ miſſum diuertiſſe dixerant Sicophantæ quidam, nimirum vt in Regis fauorem de iuribus quæ in Geneuam haberet Epiſcopus ageret, neque aliter per mediam tranſire Geneuam auſum fuiſſe, vbi etiam per horæ ſpatium remanſerat, quo tempore cum Ciuitatis Conſiliariis egiſſe mentiebantur, propoſitam ea in vrbe de religione & fide diſceptationem ſtropham eſſe proculdubio. Hęc & ſimilia quæ non niſi Satanas impiis ſuggerebat. Quod peius erat, ferebatur Principem his adhibere commentis fidem. Saleſius aſſumptâ pennâ hanc peſſimæ criminationis refutationem miſit. Ab amico admonitus (inquit) criminis me apud tuam Celſitudinem accuſatum, quòd nempe nonnullis vtar artibus cum extraneis in rebus quas Status vocãt, cõtra res tuas. Obſtupefecit me hoc nuntium ſi quod vnquam, neque cogitare poſſum ſuper quod hæc nefaria calumnia fundamentum potuerit ædificari. Quamuis enim diebus hiſce præteritis muneris mei obligatio Gexium eundi, ibíque per aliquod ſpatium immorandi neceſſitatem mihi indiderit, non tamen ibi vt nec alibi quidquam aliud vel egi vel dixi, quàm quod meæ profeſſionis eſt, prædicando, diſputando, pollutas Eccleſias reconciliando, & ſacramenta adminiſtrando. Et non tantùm nihil contra tuæ Celſitudinis rationem egi, quod nunquam accidit mihi vel accidet, nec re nec cogitatione, ſed ex aduerſo quantum prudentia & quam meæ debeo conditioni reuerentia permiſerunt, quidquid tuis futurum vtile rebus exiſtimabam ſeriò annotaui, vt te poſtea admonerem, quod ſanè feciſſem per litteras, ſi poſtquam redij non inueniſſem tuæ Celſitudinis iuſſionem, qua volebas me Marchioni Lancæano referre omnia quemadmodum & cum omni fidelitate & ſinceritate retuli. Ille eâ quâ pollet memoriâ non omittet narrationem ingenuam. Cæterùm Celſitudinem tuam humillimè deprecor, vti credat me nimis infixum habere cordi debitum tibi obſequium, vt quidquam contra res tuas moueam, & nimis à negotiis Status alienũ & auerſum eſſe, vt ad ea tractanda me immiſceam. Ideò nemo hominum maiori cum inſipiditate de eis loquitur, nemo minori cum attentione de illis cogitat. Satis ſuperque aliorum, profeſſionis meæ, negotiorum

Franciſcus calumniis apud Ducem onerat.

Franciſci ad Ducem Epiſtola qua ſe purgat.

habeo. Nunquam nisi prouocatus de materiis illis loquor, & nunquam nisi per modum distractionis inuoluntariæ cogito. Nec ego nec mei, Domine, quidquã nec re nec prętẽtione extra Tuæ Celsitudinis ditiones habemus Nescio igitur quo pacto audet calumnia cum extraneis affectibus me tibi describere, cùm etiam sic per Dei gratiam viuam, vt sicut non mereor quidem in tua esse gratia, quandoquidem nihil in me est quod tanto honori respondere queat, ita mereor nullomodo offensionem tuam incurrere, quoniam nihil ago, nihil affectu prosequor quod in tantam me ferre debeat infœlicitatem. Neque verò sanè timeo vt hæc aliquando accidat mihi iuuante Deo, qui in gratiam veræ fidelitatis erga te meæ nunquam permittet Turbatores, Calumnatores & nebulones eam aufferre mihi quam possideo gloriam, vt sim Tuæ Celsitudinis humillimus & obsequentissimus seruus & orator. In eamdem rem sic etiam ad amicissimum virum scripsit. Statim ac redij calumniam iuueni illius instillatam auribus Principis qui mihi hactenus tot amicitiæ testimonia exhibuit. Exitum expecto. Præteribit breui, iuuãte Deo, hæc tempestas; sed cùm tempestatem dico ne credas eâ me agitari, non plus certè quàm pro minima re quæ in mundo sit. Nihil enim in me est quod huic materiam dederit. Qui me cognoscunt ad nullum me cum aliquo clandestinum commercium idoneum esse sciunt, & mille animi actus ex vera simplicitate facere, non quidem simplicitate ingenij, tecum enim sub duplici sensu loqui nolo, sed simplicitate confidentiæ. Hoc autem nihil est, soli tibi dico: & reuera nihil fuit. Enimuerò Dux acceptâ sancti Præsulis Epistolâ totius rei amplam & sedulam fieri disquisitionem curauit, eognitáque calumniatorum nequitiâ ad eum rescripsit, nunquam se in ea credulitate animum obfirmasse, sed neque velle vnquam de eo dubitare, quin potius optimam erga eum conseruare voluntatem, & velle vicissim amari. Ferebatur per hæc tempora in aliam debere transferri Diœcesim, qua de re lætabantur impij, sed contristabantur boni omnes: ipse vero æquali semper vultu ad Episcopatus sui cessionem indifferentem sese exhibuit, & ad alium acceptandum constantem, hæc Apostoli verba adducens. Alligatus es vxori noli quærere solutionem, solutus es vxore noli quærere vxorem, sed vanus rumor fuit. Intra breue deinde spatium redux currente anno supra millesimum sexcentesim

Francisci Epistola ad amicũ.

Francisci mira æqualitas & indifferentia.

teſimo decimo, Ciuitatis Anicienſis Eccleſias quas in finem reſeruauerat viſitauit, die quinta Februarij Prioratum ſancti ſepulchi Ordinis Diui Auguſtini: die ſeptimâ Prioratum Conuentualem Diui Dominici Ordinis fratrum Prædicatorum: die octauâ Conuentum ſancti Franciſci Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia: die decimâ Eccleſiam Collegiatam Beatæ Mariæ lætæ: die vndecimâ Parœcialem Diui Mauritij: Cathedralem in alia tempora reſeruauit. Teſtis ſolemnitatum harum omnium Parens optima Franciſca Syonnaſia Boëſiaca Saleſiana Baro erat, quæ ad filium ſuum & Patrem vita ſua chariorem venerat, vt de extremis vitæ ſuæ diebus (inquiebat) in Domino prouideret. Manſit autem vnius ferè menſis ſpatio ſancta Mulier, quo tempore Religioſiſſimis pietatis exercitiis ſub Directore filio incubuit, recogitauit omnes annos ſuos, generalémque apud eum Confeſſionem (vt vocant) mira cum cordis contritione fecit, & ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento tanquam ſi morti proxima eſſet muniri voluit, ac domeſticis ſic poſtulantibus negotiis, quibus Matronis omnibus celebris erat & mirabilis, in ſuum Saleſianum Caſtrum reuerſa eſt cum eo effato, vt numquàm à filio ſuo & Patre maiorem retuliſſet conſolationem; die Cinerum Saleſio in Parœcialem Torentinam Eccleſiam ſe contulit, confeſſa eſt iterum ſacramentaliter, & communicauit, tribus ſacrificiis interfuit, & Officio Veſperarum: tum debilis valdè receſſit, Filius Bernardus Baro cæteríque domeſtici ſtatim ei lectum ſuaſerunt, neque verò ipſa renuit, ſed cùm dormire nequiret à Nicolæa Rollanda Cubiculari ſuâ legi ſibi tria capita libri Introductionis ad vitam deuotam, vt bonis piiſque cogitationibus mentem imbueret, ſomnóque proxima Proteſtationem notari iuſſit vt eam manè faceret. Sed Deus bonam eius amauit voluntatem, & aliter diſpoſuit, manè enim facto cùm ſurrexiſſet pectorétque caput, ſubitò ex catharho velut mortua cecidit. Vocatus eſt ſtatim Dominus Baro qui dormiebat adhuc, & ipſe ſtatim cum interula accurrit, leuauit, deambulare fecit, & per eſſentias, aquas imperiales huiuſmodíque res his deſtinatas caſibus iuuit, ita vt tantillùm expergefacta eſt, & loqui cœpit, ſed intelligi non poterat, guttur enim & lingua occupata erant. Non mora Anicium equo celeri Nuntium Baro ad ſanctum Epiſcopum miſit, qui ſtatim cum Medico & Pharmacopola adfuit. Hi Lethargicam eam & Paraliticam mediâ parte corporis inuenerunt, verùm ita le-

Viſitatio Eccleſiarum Anicienſium.

Boëſiaca Anicium ad Franciſcum.

Boëſiaca morbo decumbit.

Lethargo correpta.

thargicam vt nihilominus expergefieri facilè poſſet. Quibus momentis iudicium integrum probabat ſiue verbis quæ vi proferebat, ſiue per ſanæ manus motum, id eſt cuius ei vſus reſtauerat, appoſitè enim ad rem de Deo & ſua anima loquebatur, & crucem ſtragulo impoſitam (nam excæcauerat eam catharrus) prætentabat capiebátque, nec ſumebat quidquam edendum aut bibendum quin prius cruce ſignaret. Et in hoc ſtatu Extremæ vnctionis Sacramentum ſuſcepit. Vt acceſſit ſanctus Antiſtes, exclamauitque: Cognoſcis ne me ô mater? tunc derepentè expergefacta eſt & blandiens, ô (inquit) hic filius meus & Pater eſt. Tum exerens brachium & eum amplectens, adduxit in ſinum ſuum, manúmque primùm oſculata eſt, deinde os, dignitati honorem prius reddens quam naturæ affectibus ſatisfaceret. Elapſis in hoc ſtatu duobus cum dimidio diebus expergefieri amplius non potuit, & tandem Calendis Martiis Beatam animam ſuauiter & tranquillè Deo ſuo reddidit. Pulchritudo & decor functę ori remanſerunt, nec vllum vel minimum fætorem emiſit, & tantum habuit animi Magnus Præſul vt os ei clauſerit & oculos, benedictione prius cum expiraret datâ, ſanctiſſimóque pacis oſculo ita vt in digniſſimi nati puriſſimum corpus dixiſſes eam efflare animam. Poſthæc inflauit in magno pectore tenerrimum cor, quamobrem abundè fleuit abſque amaritudine tamen, vt adſtantes aduerterunt, & ipſe ſe nunquam fleuiſſe tantum à quo tempore Eccleſiaſticam profeſſionem amplexatus eſt poſtea dixit. Mortuæ omnes honores & iuſta funebria perſoluta ſunt, & corpus in Saleſiano tumulo Torentinæ Eccleſiæ reconditum. Quantis autem exornanda ſit laudibus matrona illa vere nobilis, dici ſatis non poteſt. Perilluſtribus orta Parentibus & ſine bello ſiue pace virtutum coronâ clariſſimis, familiæ ſuæ finem impoſuit, ampliſſimáque prædia cum ſymbolica teſſera Saleſiæ genti reliquit. Tredecim Franciſco chariſſimo ſuo coniugi peperit filios, Franciſcum, Margaridem, Galleſium, Ludouicum, Ioannem Franciſcum, Gaſparam, Bernardum, Melchiorem, Melchidem, Ianum, Ianinam, Ioannem, & Ioannam. Ex quibus octo tantum longiori vita donati ſunt, cæteri infantes occubuêre. Franciſcus igitur primogenitus, is eſt Patriæ ſuæ & gentis decus eximium, Eccleſiæ lampas. Galleſius, Diuiſione inter fratres facta, Boëſiaci, Groëſiaci, Villarogeti, & Serreriarum Dynaſta, conteſtatæ vir pietatis & fidei fuit ſolidiſſimique in rebus agendis iudicij,

Franciſcus matrem alloquitur.

Boëſiaca obit.

Franciſci luctus.

Boëſiacæ Syonnaſiæ elogium.

Franciſci fratres.

Galleſius.

dicij, intermiſcebat enim ſeſe ex more componendis omnium litibus, & omnia ei ex voto ſuccedebant. Nupſit Ioannæ Frenoiriæ ex Chuitinorum Dynaſtarum familia, ex qua quamplures habuit liberos, obiitque inter ſancti ſui fratris manus ſæuo pedum dolore iactatus, ſepultus Groëſiaci. *Ludouicus.* Ludouicus à partitione, Tulliæ, & Creſti Toparches, necnon Illuſtriſſimi Ducis Nemoroſij Conſiliarius; in Gebenneſiano Conſilio Eques, & à Bernardi fratris obitu Saleſij & Torenti Baro, poſtmodúmque Comes. Diuitis Montis, V Vadi, Iordilij, & Halliarum Dynaſta, ac Ciuitatis & Arcis Anicienſis Satrapa. Sancto Præſuli chariſſimus, litterarum humaniorum & Iuriſperitiſſimus, Sequanica ad Dolanum Senatum legatione de patria benè meritus, & Principibus charus, Bellicis artibus apprimè inſtructus, & omnium ſcientiarum, Moralis autem Philoſophiæ inprimis, Hiſtoriæ, & Poëſeos genere excultiſſimus. Nupſit Claudiæ Philibertæ Pingoniæ Cuſiacæ, ex qua vnicum habuit filium, & ea defuncta Magdalenæ Rotariæ Sanſeuerinianæ, ex qua plurimos. Ioannes Franciſcus Eccleſiaſticam vitam profeſſus, primùm Ca- *Ioannes Franciſcus* thedralis Eccleſiæ ſancti Petri Gebennenſis Canonicus, ac poſt Claudium Mentonium Montrottierium Præcentor, ſancti fratris Vicarius Generalis & Officialis, poſtmodúmque Adiutor & Calcedonenſis Epiſcopus, ab eo verò Epiſcopus & Princeps Gebennenſis, Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis ſummus Eleemoſynarius, necnon Supremi Sabaudici Ordinis Magnus Cancellarius & Eques Torquatus. Vir in ſuo munere vigilantiſſimus & fraternarum virtutum ſedulus imitator. Gaſpara viro Nobiliſſi- *Gaſpara.* mo Melchiori Cornillionio Merenti Domino data vxor honeſtiſſimam in ſua dignatione vitam egit. Bernardus Saleſij & To- *Bernardus* renti Baro, ex Nobilibus Nemoroſij Ducis in aula Francica aſſeclis, mille & ducentorum Militum Sabaudienſis exercitus Tribunus, præclaris bellicis aduerſus Grangianum factioſóſque cæteros Ductores geſtis illuſtris. Is eſt Mariæ Amatæ Rabutiniæ coniux. Ianus Sacri Ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani ſeu *Ianus.* Melitenſis Eques, Sereniſſimo Duci è Nobilium decuria à Cubiculis, Alariorum Manipulorum Andelotij Beneficiarij Equitis, & Caſtrorum Præfecti turmalis ſignifer, & Equeſtris Sabaudici agematis apud Subalpinos Ductor & Imperator, ac demum in Nicęna apud Salyos arce Proprinceps, Vir ſtrenuiſſimus. Ioanna *Ioanna.*

ea eſt quæ apud Fremiotam Totis Heduorum puella occubuit. Atque hi ſunt, quos Magno Præſuli Geneuenſi Syonnaſia fratres peperit, fœlix tam illuſtri prole mulier, ſed vno Franciſco omni laude maiori fœliciſſima. Fuit autem illa Chriſtiana charitate præſtans, in pauperes beneficentiſſima, omnibus chara, de qua poſt obitum teſtimonium eius Confeſſarius reddidit peccauiſſe nunquam mortaliter, ac denique Mulier fortis, cuius procul & de vltimis finibus pretium ſit. Hæc verò poſt aliquot dies ad Fremiotam ſanctus Epiſcopus ſcripſit. Sed, ô Deus! Chariſſima filia numquid in omnibus & per omnia adoranda eſt ſuprema illa prouidentia, cuius ſancti boni & prorſus amabiles ſunt effectus? Et ecce placuit ei ex hoc miſero mundo optimam noſtram & chariſſimam Matrem educere, vt collocet eam (vti ſpero ſecuriſſimè) iuxta ſe, & ad manum dexteram ſuam. Confiteamur ô filia, Confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, Omnes voluntates eius iuſtæ ſunt & decreta æqua, ſemper beneplacitum eius ſanctum eſt & iudicia eius amabilia. Quod ad me attinet, fateor me hanc valde ſentire ſeparationem, hæc enim debet eſſe infirmitatis meæ Confeſſio, poſt eam quam de diuina bonitate feci, tranquillus tamen fuit hic ſenſus quamuis acutus, dixi enim cum Dauide. Obmutui Domine, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti. Procul dubio, abſque eo exclamaſſem, ohe! ſub hoc ictu: ſed minimè mihi videtur clamare me audere, & ſub illius paternæ manus ictibus, quam reuera ex ſuæ bonitatis gratia tenerè à iuuentute mea amare didici, vel minimæ offenſæ indicium exhibere. Et hæc Vir Maximus. Intereà Fremiotta optimâ rerum ſuarum diſpoſitione factâ valedixit ſuis omnibus, ac in Sabaudiam cum filiabus Maria Amata, & Franciſca, quæ poſteà Baroni Tholongeonio nupſit, necnon Carolæa Breſchardia venit, quarto Calendas Aprilis, quam tamen Benignus Fremiottus Pater de eo diſceſſu mœſtiſſimus hac ad Gebennenſem Præſulẽ Epiſtolâ leui quamuis pondere onerauit. Pluribus lachrymis, inquit, Domine notata deberet eſſe hæc charta, quàm caracteribus. Quandoquidem abit filia mea in qua maiorem, quantum huius mundi eſt conſolationis meæ & miſeræ meæ ſenectutis quietis partem collocaueram, abit inquam, & me Patrem abſque filiis linquit. Tuo tamen exemplo Domine, qui ex Matris tuę obitu conſtans adeò

Franciſci Cõſtantia.

Fremiota venit in Sabaudiã.

& fir

& firmum cepisti decretum,ad voluntatem Dei, determino me, & conformis esse volo eiusdem magni Dei placito,Filiam meam in obsequium suum vult in hoc mundo,vt eam per hanc viam in æternam suam gloriam perducat.Ostendo me filiam meam cum mentis suæ & conscientię tranquillitate magis amare quàm proprios meos affectus. Abit ergo vt consecret se Deo, sed hac obstrictâ lege vt nunquam Patris illius, qui eam tam charè & tenerè amauit,obliuiscatur.Duo pignora secum ducit,quorum vnum Beatum existimo,quandoquidem in benedictam familiam tuam ingreditur,vellem alterum nobis conseruaret,filij sui eam quam habere bonus Pater debet curam habebo, donec in hac me lachrymarũ & miseriarum valle esse Deus volet: Tu verò Deum mihi precibus redde propitium, & tuum seruum humillimum amare perge Fremiotum. Magna perfudit Salesium consolatione Fremiotæ aduentus, quæ statim de formanda Congregatiunculâ in qua Religionis in morem Deo famularetur deliberatione captâ, vniuersam variis & diuersis rumoribus impleuit Ciuitatem, traxit autem fauente piis cœptis Deo solidissimi & paterni puellam ingenij in suas partes Iacobinam Fabram, Magni Antonij Fabri supremi Sabaudiæ Præsidis filiam,& iam Carolæa Breschardia eius erat. Hæ tres virilis animi fœminæ octauo Idus Iunij concurrentibus Dominica Trinitatis,& festo Diui Claudij, Religiosæ vitæ Directore Salesio probationem acturæ in Domum quam Porticum vocant,Henricæ Flocardæ Franciſci Viallonis Pessani coniugis ad Suburbium Lapicidinanum,qua ad Capucinos itur,emergítque è lacu Titius,intrarunt. Erexerat eis aram Salesius,ad quam eo die celebrauit solemniter sacrámque habuit ad eas hortationem. Non mora aliæ piæ puellæ sese socias reddiderunt, ita vt verę Congregationis nomen hæc societas habere posset. Toto eo primo anno obseruauêre claustrum,séque Sorores vocabant, & Fremiotam Matrem. Precibus, orationibus, vigiliis, abstinentiis, meditationibus, cæteríſque pietatis operibus iugiter intentæ, parantes se ad eam vitæ methodum quam posteà pro fiteri prætendebant.Qui coram eis ad præfixam horam Missam celebraret datus est ab Sanctissimo Præsule Michaël Faber Bouicianus eius à Confessionibus & Eleemosynis Sacerdos. Dici verò satis non potest quantum virtutum omnium mellis toto eo anno studiosissimæ illæ apes composuerint.

Franciſcus & Fremiota de congregatione formandæ cogitant.

Initium Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Virginis.

Primus annus.

posuerint. Marianas vulgus appellabat, quia sacratissimam Virginem Dominam Matrem & Adiutricem elegerant eiúsque imagine altare ornauerant suum. Per hæc tempora obiit Ioannes Deagius Salesij olim præceptor, super quem ipse tenerrimè fleuit, vt eum semper coluerat & aluerat domi suæ, funeralibus eius interfuit & encomiis defunctum est prosequutus, eodémque tractu ob Antonij Fabri discessum, (institutus enim fuerat Camberiensis Senatus Præses) mœstitia conflictatus: sed neque minus ipse Faber, qui licet honoribus auctus esset, à suo tamen Salesio separari ægrè admodum ferebat. Siquidem ei cum discederer domum suam gratis reliquit; nam nullam hucusque nisi locatione Salesius domum habuerat. Pignus hoc esse amicitiæ dixit Faber, vtinã maius, & Salesius actis gratiis acceptauit. Cúmque tapetes mensæ & cubilia è Lambertina domo asportata, in Fabriana disponerentur, voluit ipse in conclaui cubile suum poni. Vacua licet essent multa cubicula; Nam ex Anicien sibus domibus amplior nulla est: interrogantibúsque quid causæ haberet. Ego, inquit, sic melius esse iudico, quia postquam tota die per has aulas & triclinia ambulaui, in magnis & mirabilibus vt solent viri illi magni & potentes à sæculo, nocte in lectulũ meum intra angustos parietes redactus intelligam me esse hominem & quidem miserum. Ambulabo enim die vt Episcopus, & coarctabor nocte vt Salesius. Agebantur hæc exeunte Iulio, cùm accessit ad eum quæribundus vir Nobilis Troënnesius Sancirician ensis: quòd dira tempestas ita omnes suas fruges dissipauisset, vt nihil sibi quod in sequentem annum terræ committeret, residuum esset, tactus est eius ærumnis Salesius, & ex ampliori narratione veritate acceptâ Redemtori suo Viuuensi præcepit, vt inopis illius nobilis agros cõsereret, ac si Episcopales essent. Et hos quidem omnes quantum poterat charitatis in proximum actus tenebat occultos, ne fortè laus sibi ab hominibus veniret, sed eximium vnum occultare non potuit. Propugnabat Anicij Philosophicas Theses Ducrestius, Præside Claudio Stephano Nouelletio Parisiensi Theologo, & Porterius Causarum Patronus validè argumentabatur, sicque tandem egit, vt (sicut erat doctissimus) Præsidem licèt etiam eruditissimum in laborem ad soluendum argumentum induxerit, vt sæpè fit, & vt scholâ non ita pridem egressus. Nouelletius verò senex, qui sese tunc difficile extricabat.

Ioannis Deagij obitus.

Faber domum suam Francisco tradit.

Francisci humilitas.

Erga proximũ charitas.

bat. Salesius modestissimè & industriè verbum assumpsit, sicque explicauit Nouelletium & extricauit, vt Porterius indignatus quòd suum infirmatum esset argumentum, non dubitarit proferre inauditam esse distinctionem illam quam Salesius afferebat. Subrisit Salesius, & fieri potest, inquit, vt tibi hactenus inaudita sit, at deinceps inaudita non erit. Nemo non est miratus Præsulis modestiã & prudentiam. Et Nouelletius ad eum posteà accedens gratias egit, quòd sibi seni Theologo & sophismatum scholasticorum penè oblito, honorem & existimationem conseruasset. Sequutus est actus alius. Petrus Rigaldus Typographus & Bibliopola Lugdunẽsis ex libelli Introductionis ad vitam piam editione tantum lucri receperat, vt nisi cum honoris sui detrimento Authori suæ gratitudinis aliquod testimonium non posse se non exhibere arbitraretur. Venit igitur Anicium ad Salesium & post actas mille grates crumenam obtulit in qua quadringenti aurei nummi continebantur. Recusauit ille vsque ad extremum, nullum se ex eo libro emolumentum aliud velle inquiens, quam vt sciret animabus vtilem esse. Verumtamen vrgente ad extremum etiam Typographo: Benè, inquit, accipio cum gratia, sed hanc pecuniam non dabo mutuam iniquo fœnore. Erat Anicij puella piissima sed inops, quæ se Marianis sociare Sororibus, si habuisset quod Congregationi inferre potuisset, ad vitam & alia his in initiis necessaria valde exoptasset; Salesius vocatâ eâ num in proposito staret interrogauit, ac vbi obfirmatam esse cognouit, cape igitur hoc, inquit (Crumenam eam tradens) Vade ad Matrem Chantaliam & age propitio Deo res tuas. Abiit puella, & cùm Fremiotæ grata esset Marianas inter noua soror fuit. Planè hæc omnia Salesio sanctitatis famam non conseruabant modò, verùm etiam augebant, quæ causa erat vt ad eum tanquam ad oraculum & miraculorum patratorem vndique veniretur. Ex Vallis Romææ partibus accessit ab vno Sacerdote ducta possessorum, vel obsessorum à Dæmone caterua horribilis, importunis clamoribus & latratibus canum ad morem aëra perrumpens. Ex miseris illis separauit Adolescentem Rusticum vultu & gestibus infœlicitatem illam ementientem, priuatímque sibi adhibitum grauiter corripuit, in cæteros exorcismi fulmen exeruit, & liberos prorsus dimisit. Eo etiam anno liberauit è diabolí faucibus quamplures Geneuensis Ciuitatis, hære-

Alius charitatis actus.

Et alius.

Franciscus Dæmones à corporibus abigit.

Quamplures hæreticos conuertit.

ticos,& ineunte vndecimo cõtinuauit.Inter cæteros Amedeum Monachum Gexenſem, quem vt artem addiſceret Sartori cuidam Anicienſi commiſit. Salomonem Gallum, Iſaïam Villarſium,Bernardum quemdam,Dominam Gallam cum tribus eius filiis, quam diu aluit, & ei à Sereniſſimo Duce penſionem annuam procurauit, traxit item Bellicum Ductorem, cui à Roſa cognomen erat,cum vniuerſa eius familia, & ſtipendium ei amplum in Montismeliani arce obtinuit, necnon ex filiabus eius vnam pietati maximè deditam in Diuæ Claræ Monaſterio collocauit. Sed præ omnibus inſignis ab eo fuit obſtinatiſſimæ fœminæ ex Illuſtri oriundæ proſapia Sanciricianæ Dominæ conuerſio.Celebris ea erat apud Geneuates,& in rebus controuerſis quibus ſtudioſo animo à duobus & viginti annis incubuerat Miniſtris æquiparabatur. Cùm ad inuiſendos affines Anicium veniſſet,inuitata eſt ab eis vt Saleſium ſalutaret.Minimè,inquit,accedam ad illum, Incantator eſt & veneficij fama apud nos in horrore. At illi ſubridebant vrgebántque vt ſaltem concionantem audiret. Conſenſit tandem, & eo viſo ac audito paſſa eſt ſe ad eum duci. Saleſius ſic ſe exhibuit facilem & vrbanum, ſic ad turbulentas propoſitiones modeſtum & tranquillum, vt confeſſa fuerit nunquam ſe vidiſſe hominem tantæ manſuetudinis: Cœlibatum autem Sacerdotum ferre non poterat. Rem miram! At Saleſius ſic eam ſolidis rationibus occupauit,vt tandem conuicta omninò exaudierit vocem venefici illius incantantis ſapienter,conuerſáque ad Dominum Deum ſuum acerrima deinceps fuerit Catholicæ fidei aduerſus Caluinolatras propugnatrix. Vt impleuit huius Conuerſionis fama Geneuatum aures, tanto magis Magum eſſe & Veneficum aiebant Saleſium,& impuriſſima Theodori Bezæ vidua Loriolla ſcriptis litteris non dubitauit eam mille afficere conuiciis & criminationibus, Hypocritam vocans & ſuem quæ in cœnum rediiſſet. Verùm illa ſpreuit opprobria quæ ex huiuſmodi impiis veniebant,& conſtantiſſimè perſeuerauit. Imitatus eſt eam Nicolaus Bartholonius Italus Sacerdos Ordinis Seruitarum, qui à concupiſcentia ductus iampridem votorum oblitus Geneuam venerat, ibíque vxorem duxerat(ſi tamen vxor appellanda eſt Sacerdotis meretrix)Conſcientiæ agitatus aculeis ad ſanctum Præſulem acceſſit,qui poſtquam abſolutionem pro eo à ſancta Sede obtinuit, ei etiam

Sanciriciana Dominæ conuerſio.

Franciſcus à Geneuenſibus magus appellatur.

Bartolonius ab hæreſi reuocat.

Theolo

Theologalem præbendam Cathedralis Eccleſiæ Sedunẽſis procurauit. His pendentibus ad Salinates ire debebat Quadrageſimam concionaturus,(eum enim præterito anno illi idcircò rogauerant,) ſed ecce dum profectionem adornat lecti ab iis legati venêre mille cum excuſationibus vti ſubſiſteret, nuntiãtes quòd non viſum fuiſſet quibuſdam Magnatibus ipſum tantis eos afficere honoribus, Cæterùm mœſtiſſimos ſe eſſe ob hanc rem, ſed contradicere non poſſe. Prorſus hoc contumelioſum factum erat, ex quo quiuis alius fuiſſet indignatus. Verùm ipſe legatos illos excepit humaniſſimè, & dimiſit, ſatíſque ſibi fuit Anicienſem audire concionatorem, & filiis ſuis Marianis eos exhibere conceptus, quos pro Salinatibus parauerat. Iam vbi reuolutus fuit annus Probationis piarum illarum Ieſu-Chriſti & Mariæ ancillarũ, vti ſimplicibus votis profeſſionem emitterent Saleſius conſenſit. Venerat ſeu redierat eo vno nomine Antonius Faber Prę́ſes filię́ ſuæ Conſtantiam viſurus. Accurrit vniuerſa Ciuitas cum ea qua populus ſolet rebus nouis curioſitate; eadem dies erat ſexta Iunij Diuo Claudio ſacra, & ecce viſa Fremiotæ Diui Claudij Porta per quam intrauit in requiem. Saleſius cantantibus Muſicis velum ei, & ſororibus impoſuit, feruentiſſimámque adhortationem habuit. Data eſt Diui Auguſtini Regula, & nomen Viſitationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, eò quòd viſitandis ægris, & quibus poſſent opibus reficiendis, necnon captiuis & carceribus mancipatis eas deſtinabat. Habitum nigrum ſtrictis manicis corpori iunctum reliquit. Officium paruum Beatæ Mariæ præfixis horis recitandum dedit, & charitatis opera ſuper omnia cum lenitate & humilitate commendauit. Res erat eximia, & quæ bonorum omnium corda teneritudine feriebat. Videre Nobiles Matronas & delicatas Virgines in deliciis educatas aſſuetáſque anteà ſæculo ſic mundum ſpernere, olidiſſimos quamuis & putidos infirmos viſitare, neceſſaria eis omnia ad recuperandam ſanitatem ſeu leuandos morbi dolores miniſtrare, afferre lintea, inquinata mundare, præparare & condire cibos, conſtruere cubilia, ægros adhortari, animum eis colloquiis dare, non horrere à tabernis, à tuguriolis pauperum, immò nec à ſtabulis, prætereà tantam in omnes exhibere manſuetudinem, humanitatem, tam modeſtè & grauiter in choro canere, omnibus pro facultatibus obſequi: nam hæc omnia exercebant. Quamuis non deeſſent

Franciſci humilitas.

Profeſſio ſimplex Marianarum.

Earum exercitia.

Impiorum cauillationes.

impij, qui irriderent & cauillarentur, ignẽ esse ex palea inquientes, & domum super arenam fundatam, quæ deficiente vel Salesio vel Fremiota non posset non ruere. Verùm is est mundanorum hominum mos, vt irrideant Dei methodum, qui virtutem in infirmitate perficit, & ab exiguis semper initiis magnam molem trahit, & nullus vnquam aliter ortum habuit religiosus Ordo. In his & ex his Diuinam prouidentiam Salesius adorabat, interim dum per libellum Isagogicum longè latéque eius fama peruolaret. Peruenit liber ille in manus Dynastæ clarissimi Baronis Montelonij, Caluinianæ sectæ heretici, qui eo lecto interioribus iisque grauibus agitatum se motibus sentiens. Conueniam authorem (inquit) vbicunque tandem sit, & cum hoc decreto ex vltimis Lotharingię finibus Anicium venit, vbi postquam sanctum Præsulem per sex aut septem hebdomadarum spatium continuis de rebus fidei collationibus & disceptationibus occupauit, demum suis erroribus nuntium misit, & eius in manibus sacrosanctam Religionem Catholicam professus est. Grauiter has circa tempestates Fremiota ægrotauit, immò de eius salute Medici desperabant. Nec vllus tota in Ciuitate erat qui non congregationi malè ex eius obitu, si eueniret, ominaretur. Solus Salesius cum humilitate Dei voluntatem expectabat. Cúmque rebus in deterius euntibus Ludouicus Salesius Tullianus eius frater ad eum accessisset, dixissétque paulatim abire Baronem Chantaliam, Statim ad eam tanquam vltimò valedicturus iuit, consolatus est, & ait. Nùm vis in omnibus ô filia, fieri voluntatem Dei, quæ cùm affirmasset, subdidit, contentus est fortè cæptis nostris & bona voluntate, quam ad erigendam exiguam hanc societatem habuimus Deus noster. Quemadmodum satis sibi fuit voluntas quam vt filium suum sacrificaret Abrahamus habuit. Si sic ergo suæ placet bonitati, vt ex itineris medio reuertamur fiat voluntas eius. Heroica prorsus voluntatis propriæ abdicatio, emolumentorum ratione quæ ex huiusmodi vitæ genere toti Christianæ Reipublicæ futura prouidebat, & quæ Deus ei iampridem reuelarat, nõ secus ac Abrahamo sui multiplicationem seminis per filium suum Isaacum, quem tamen iussit postea in sacrificium occidere. Reuersus in domum cùm iterum Tullianus frater gemebundus dixisset, grandi mactari infortunio domum & congregationem illam, si

Franciscus Baronem hæreticum conuertit.

Fremiota infirmatur.

Francisci fortitudo, constantia & æqualitas.

mater

mater morereturr: cæteras enim sorores parum fortes esse. Bonus artifex est Dominus, respondit tranquillo vultu, in eius est potestate pessimis instrumentis optima opera facere, & potens est ex lapidibus suscitare filios Abrahæ. Et reuera Abrahamici sacrificij species fuit, nam breui conualuit Fremiota, in longam post hæc felicitatem, tanquam oliua fructifera in illa domo Dei duratura. Sed abeunte vnâ molestiâ succedebat alia, velut vnda impellitur vnda. Senatus Camberiensis ex leuibus quibusdam causis reductionem bonorum temporalium vt vocãt Gebennensis Episcopatus decreuerat, satis indignè cõmissus ad executionẽ decreti Senator se gesserat, porrectâ etiã Epistolâ quę minimę cõditionis Sacerdotẽ offendisset. Salesius seriò reuerentiæ Episcopali dignitati debitæ turbulẽtum Legatũ admonuit, & quantum ad Epistolam forti prorsus & generoso animo reparationem est prosequutus, ita vt tandem Senatus per aliam honestam & dignam, quam statim misit, ad excusationes deuenerit, & ipse in offensarũ harũ remunerationem Senatoris illius ex fratre nepoti Canonicatum in Cathedrali Gebennensi Ecclesia contulit, & sequenti anno qui duodecimus fuit, coram Senatu toto Quadragesimæ tempore concionatus est; sed & plus fecit, nam ad eorum & Consulum Ciuiúmque preces ad sanctissimam Sedem Apostolicam pro Cathedralis Ecclesiæ Camberij erectione optimis rationibus scripsit, quibus ostendebat Camberium semper Sabaudiæ fuisse Metropolim, in qua Senatus residet & Consilium status, amplo ornatam Gymnasio, multísque Ecclesiis siue sæcularibus siue regularibus, in qua multus sit concursus ratione trãsitus Francorum, Anglorum & Belgarum in Italiam. Non esse modò congruum, sed necessarium vt in ea sit Episcopus residẽs, qui statum Ecclesiasticum in vrbe tam celebri coërceat. Vicarius enim Foraneus pro iis tantùm rebus quæ ad forum contentiosum spectant constitutus, non sat habet authoritatis vt populum in reuerentia, & Ecclesiasticos in officio contineat. Præterquam quòd sæpissimè opus est vt recurrat Gratianopolim ac accipiendam Episcopi intentionem, quod in rebus vrgentibus sine magnis incommodis fieri nequit. Gratianopolitanum Episcopatum adeò vastum esse, & in diuersas diffusum Prouincias támque administratione difficilem, vt differri plerunque Sabaudica negotia necessum sit. Grauissimum præterea incommo-

Præclara eius verba.

Francisci magnanimitas.

Camberij concionatur.

Scribit pro Camberiensibus.

dum ex eo quòd Dominationes temporales diuerſæ ſint, vnde fit vt in populis morum & modi agendi differentia etiam ſit, necnon ſępè inuidiæ, exprobrationes & facinoroſæ rixæ. Incommodum ex eo quod nimium diſtet Camberio Grationopolis, quippe per vnum diarium, & difficillimum præſertim hyeme ratione torrentium, iter. Vnde fit vt Sacramenta Confirmationis & Ordinis, ſicut & Eccleſiarum & calicũ conſecrationes, ſanctúmque oleum vix ab Epiſcopo Gratianopolitano in ſua iam Ciuitate ſatis occupato, accipi queant. Incommodum ex eo quòd cùm Gratianopolitanus Epiſcopus Caput ſit & Præpoſitus Comitiorum & Conuentuum ſæcularium & temporalium Delphinatus, inde fit, vt quandocunque malè habebunt Coronæ Francica & Sabaudica, immò etiam Gubernatores Sabaudiæ & Delphinatus, populorum commercium valdè ſit difficile, & Epiſcopi tranſitus magnis ſuſpicionibus obnoxius ex vtraque parte, cùm non tantùm, vt communis vtriúſque populi Paſtor, ſed vt ſectarius, & ei apud quem reſidet, éſtque Princeps, addictus conſideretur. Addebat has rationes tanti eſſe momenti, vt nulla legitima vis prætermitti deberet, ad erectionem Epiſcopatus in ea vrbe, tum ex parte Sereniſſimi Ducis, cum Sedis Apoſtolicæ ad quam pertinet, præcipuis vrbibus & Prouinciis de congruentibus conſeruandæ pietati & exercitij Religionis Catholicæ, per Epiſcoporum conſtitutionem decentiæ rationibus prouidere. Poſtremò credibile Reuerendiſſimum Gratianopolitanum Epiſcopum in ea eſſe mente, vt cuperet hac ſuæ Diœceſis parte exonerari, quo faciliùs & accuratiùs reliquæ, quæ etiamnum magna, ne dicatur maxima, erit, poſſet incumbere. Hæc ille: quæ etiam dum ſcriberet, ab Abele Saltarello Buſcundonenſi Abbate, & Gratianopolitano Officiali, & Generali Vicario rogatus in ſacello Sodalitatis Pœnitentium ſanctæ Crucis ſacros generales Ordines celebrauit. Hinc conſcriptam iam Anicij epiſtolam ad Supremum Pontificem, pro decernendis Beato Amedeo Sabaudiæ Duci ſupremis cæleſtibus honoribus, miſit. Semper quidem operæpretium fuit Beatiſſime Pater (inquit) homines, qui peculiari ac illuſtriori vitæ ſanctimonia Deum coluerunt, in Sanctorum numerum publicæ Eccleſiæ authoritate, ſolemnique ritu referre: ſic enim Deus in Sanctis vberiùs laudatur, Sanctorum gloriam libentius enarrant populi, & laudem eorum ſplendidiùs annuntiat

Franciſcus Camberij Ordines celebrat.

Franciſcus ad Papam ſcribit pro referendo in Sanctorum numerum B. Amedeo.

tiat Ecclesia, cúmque maiore fiducia Sanctorum merita recolimus, maiore quoque fructu eorum intercessionibus adiuuamur, ac denique eorum exempla vehementiùs nos prouocant, de quorum sanctitate mentes nostræ nullatenus dubitant. At verò, Beatissime Pater, hoc quod semper & vbique dignum & iustum est, hisce nostris temporibus, non solùm salutare, sed ferè necessarium videri debet; cum scilicet, quia abundauit iniquitas, refrigescit charitas multorum, imò propemodum omnium: vnde; quoniam defecit sãctus à terra, reuocandi sunt in memoriam, & in medium Ecclesiæ reducendi illi, qui hactenus maiore sanctitatis splendore claruerunt, vt sint, quemadmodum vnus eorum dixit, in speculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram, sicque apud nos etiam post mortem viuant, & multos ex iis, qui viuentes mortui sunt ad veram prouocent, & reuocent vitam. Cum igitur scirem, Beatissime Pater, permultos omnium Ordinum viros à Beatitudine tua expetiisse, vt Beatum Amedeum Sabaudiæ Ducem tertium Sanctorum Catalogo adscribere dignaretur, nolui sanè, neque verò volui committere, quin humillimis precibus idipsum ab Apostolica Beatitudinis tuæ prouidentia postularem. Quod dum facio, omnia idem mecum agere videntur. Postulat id, non precibus, sed suo iure Dei Omnipotentis Maiestas, quæ in hoc Beato Principe clariùs mirabilis apparebit. Postulat Hierusalem illa cœlestis Mater nostra, quæ suum ciuem à nobis debitis honoribus celebrari lætabitur. Postulat hęc nostra Hierusalem inferior, cui Beatitudo tua præest, quæ tanti filij nomen scriptum in cœlis gaudebit sanctificari in terris. Postulat rerum præclarè à Sanctitate tua gestarum series, vt quia nuper ex principibus Ecclesiasticis Diuum Carolum Sanctis annumerauit, hunc quoque ex sæcularibus adiungat, vt vtriusque sortis homines habeant, quod imitentur. Postulat Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum familia, quæ non solùm fidei constantia, sed præclaris etiam fortitudinis operibus magnum olim, & deinceps Ecclesiæ attulit solatium. Postulat hæc vniuersa Sabaudiæ Prouincia maximè verò hæc Diœcesis Gebennensis, quæ tanti Principis nobilitata natalibus, magnam in eius precibus spem meritò collocabit. Postulant denique ipsius Beati Amedei merita, & miracula, quæ pondere & numero maxima sunt & Illustrissima. Age ergo Beatissime Pater

ter, & hanc quoque lucernam igne Diuino accenſam, ne diutius ſub modio relinquas, ſed pone eam ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Nomen eius ſanctifica, qui tanta charitate nomen Dei ſanctificauit, ac miraculorum multitudine colluſtrauit. Annuncia toti Eccleſiæ quę eſt in terris, quia Dominus mirificauit Sanctum ſuum in cœlis, vt exaudiat nos cùm clamauerimus ad eum. Hæc ſunt vota eius, qui Beatitudini tuæ diu ac fœliciter Chriſtianis omnibus præeſſe ac prodeſſe omnibus animi viribus exoptat. Hęc Sanctus pro Sancto ſanctè ſcribebat.

Frãciſcum Dux ad Abbatiam Ripallienſem nominat.

Ducem etiam per alias litteras in eam curam animauit, qui ſanè Dux adeò pet hæc tempora Saleſium amabat, vt ſuſpicionibus omnibus obliuioni datis nominauerit eum ad Abbatiam Ripallienſem per obitum Thomæ Pobelli Tricaſtrenſis Epiſcopi vacantem, quam tamen actis gratiis recuſauit.

DE

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER OCTAVVS.

PENE Camberio Salesius redierat, cùm ad sequentem annum à Perilluſtribus, Decano, Canonicis, & Comitibus Ecclesiæ Lugdunensis inuitatus est. Sed vt omnia deinceps suspicionibus libera ageret, hac de inuitatione Sereniſſimum Ducem per litteras certiorem reddidit, cúmque emensis aliquot mensibus respõsum nullum haberet, rogauit Comites vt excusatum habere dignarentur, oculósque in alium coniicerent, si tamen posthæc videret ad sua vota eorum desiderio respondentia, facem aliquam, eamdem in alium annum voluntatem reseruarent, séque (aiebat) iis conditionibus ad eorum obsequium, qui tanti & tam celebrès in Christiana Ecclesia essent promptissimum. Doluerunt Comites à miseria temporum, doluit & vniuersa Lugdunensis Ciuitas, quæ tantum Præsulem sibi finitimum eximiis affectuum cultibus prosequebatur, & quam ipse peculiari quadam propensione amabat. Peruenerat siquidem sanctissimi Marianarum Visitationis instituti fama ad Lugdunenses, & ex narratione piæ quædam viduæ, necnon & Virgines interiùs motæ, quidnam esset, ex instituti loco, ex ipsomet Institutore, necnon & Sororibus institutum tenentibus scire voluerunt. Venerunt itaque Anicium & congregationem huiusmodi Lugduni erigendi statim animum habuerunt, nec nisi cõsolationes ex Anicien sibus retulerunt, sanè optimè iam omnia in piissima sororum familia procedebant, iámque

Franciscus inuitatur à Comitibus Lugdunensibus ad Concio-nes.

Lugdunenses Matronæ Aniciũ veniunt.

de loco in vrbe habendo, vbi commodè & Monaſterium & ſacram ædem conſtruere poſſent, agebatur; non ſine magnis difficultatibus, quę dum ſenſim ſuperantur, Saleſius Bonopolim profectus eſt, vt litem iam veterem moleſtámque inter Comitem Santalbanium & Dominum Cambiagum Hæreticum Geneuenſem componeret. Adeò celebris erat Saleſij æquitas inter prudentes viros, contrariæ quamuis religionis vt non dubitauerit Cambiagus eius ſeſe ſubmittere arbitrio, & reuera res in vtriuſque ſatisfactionem optimè ceſſit. Quo facto in Gexenſem agrum perrexit, vbi Eccleſiaſticis rebus benè inſtructis pro Sororibus Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis apud Sequanos, quæ eius opem humillimis precibus implorabant, efficaciter ad Archiducem Auſtriacum ſcripſit. Cùm hoc tempus æſtiuum in recenſendis rebus Eccleſiaſticis huius Regionis Gexenſis impenderem, Sereniſſime & piiſſime Princeps (inquit) ecce à finitimo oppido ſancti Claudij vineæ quædam paruulæ, vt antea ſuauiſſimum pietatis odorem, ita & nunc magnum ſuæ mentis dolorem nobis ſentiendum dederunt. Aliquot enim illius loci Virgines deuotiſſimæ cum ſummoperè cuperent, religioſum vitæ genus aggredi; videréntque ſe longè à Monaſteriis mulierum abeſſe, & proinde vix poſſe expetitis ſponſi cæleſtis angelicis nuptiis potiri, de Monaſterio ibi conſtruendo (Deo procul dubio inſpirante) ſeriò cogitare cœperunt, cúmque res omnibus bonis grata iam iam initium habitura videretur, repentè ab hominibus venit turbatio, & vulpes quædam paruulæ prodierunt, quæ demoliri hanc vineolam contendunt, ſolemne namque eſt omnibus Dei Optimi Maximi regnum eiúſque gloriam quęrentibus, periculum in mari, periculum in terra, ſed maximè periculum in falſis fratribus experiri. Semper propemodum pietatem, pietatis prætextu euellere nituntur. Ergo Sereniſſime Princeps, congregatio illa virginum, quamuis inſtitutum Eccleſiæ iudicio probatum, & in Burgundia multis locis receptum, Annunciationis ſcilicet Beatiſſimæ Virginis, colere vellent, multis tamen contradicentibus mundi filiis, nulla ratione hactenus ſacrum illud negotium conficere valuerunt. Verùm in tanta rerum difficultate, etſi plerique illis deſperationem indicerent, non potuerunt tamen non rectè ſperare, dum in Celſitudinis tuæ Sereniſſimæ pietatem auguſtiſſimam oculos coniiciunt, arbitrantes nimirum

Franciſcus Bonopolitas componit.

Franciſcus ſcribit pro Monialibus Annũciationis.

ſe

se ab ea facilè præsidium impetrare posse, quo omnia impedimenta dispellantur. At quia, & sexui, & puritati virginum, pudor indiuiduus comes est, non sunt ausæ ad pedes tuæ Celsitudinis, nisi aliquo sacro Antistite duce accedere : vnde me tanquam propinquiorem impensissimis precibus rogauerunt, vt eas, earúmque desiderium Celsitudinis tuæ inuictissimæ zelo per litteras commendarem. Quod dum facio, noli existimare, Serenissime Princeps, me ambulare velle in magnis, qui tantùm Monarcham petitionibus aggrediar, ambulo tamen confidenter, quia ambulo simpliciter, confisus rem ipsam eamdem, quam nomine virginum istarum efflagito à plerisque maximæ erga tuam Celsitudinem authoritatis, intercessoribus, expetendam & obtinendam. Postulabit enim id ab ea ingenita benignitas, postulabit addita eximia religio, postulabit excellens deuotio, postulabit denique rerum & temporum conditio, quæ ea est, vt preces quamplurimas, ac proinde precatores multos requirat, vnde & nouum hoc examen mysticarum apum sacrum Orationis mellificium meditantium, eò gratius Celsitudini tuæ fore, existimaui, quo locupletiorem & vtiliorem huic ætati operam nauare constituit. Viuat porrò diutissimè, fœliciss imè, sanctissimè, augustissima tua Celsitudo, & harum Virginum humillimarum sacrum desiderium amanter excipiat. Salesius his actis & scriptis, cùm rediisset, tranquillata negotia, vt initiis fieri poterat, Marianarum suarum inuenit, quæ tertio Calendas Nouembris è Lapicidinana porticu egressæ, Martis die hora quinta post meridiem intrauerunt in vrbem, ac domum à Philippo Nicollino causarum Patrono & Ioanna Baltaza, eius coniuge, emptam, propè atrium Nundinarium ad mœnia, cœperúntque die crastina ad primas vesperas festi omnium Sanctorum, officium paruum Beatæ Mariæ, (vt solebant) decantare ; erant autem tredecim numero Sorores, octo scilicet professæ, & quinque nouitiæ. Quia verò Religiosis exercitiis domus empta non erat accommoda de vicinis aliis nonnullis, nullius ferè vsus, & exigui valoris ; ad Monasterium construendum cogitare cœperunt ; & idcircò cum domuum Dominis egerunt, sed statim fuere qui reclamarent, & impedire conarentur, publici nempe munerum Nemorosij Ducis Administri, in totius Ciuitatis detrimentum, rem eam fieri promulgantes. Salesius, vt pro Sororibus ad æquitatem vinceret, Ducem Nemorosium conuenit, & ille rem omnem coram se

Mariana Sorores intrant in vrbem Anicienſem.

Perſequutiones in ſoreres Marianas.

agitari, præsente etiamnum Salesio, voluit; ac postquam suos Administros nullis niti fundamentis comperisset, perpetuum eis silentium imposuit; Sororibus autem omnem gratiam & omnem opem promisit, & sic faustè incipiebatur, nisi rursum à religiosa vicinia veniisset grauis turbatio, qua de causa multa certè Salesius acerba tulit, veruntamen victor euasit in omnibus; quibus diebus cum Camberio puella nobilis Gaspara Auisana Anicium veniisset, salutassétque sanctum Præsulem cum intentione locum petendi in visitationis Monasterio. Bene veneris (inquit ille) ô filia, expectabamus te, Mater Chantalia, & ego, sciui enim futuram te nostram à longo iam tempore, nempè cùm te infantem vlnis deferrem meis, peculiarem mihi pro salute tua zelum dedit Dens: nolo tamen vt adhæreas mihi, sed ipsi. Stupuit illa ad hæc verba, neque enim vllum intentionis & voluntatis suæ conscium esse arbitrabatur, cùm sæculi hucusque mores sequuta fuisset, at iampridem Salesius Fremiotam de eius aduentu tacito tamen nomine certiorem reddiderat, subiecerátque, quòd mirabiliùs ipso Epiphaniæ festo die intraturam, cui Prophetiæ respondit omninò euentus, sicut idem iam olim cum sacris tingeretur puella fontibus, parentibus nihil minus cogitantibus prædixerat. Et Auisana, quo tempore congregationi Fremiota, Fabra, & Breschardia, initium dabant, benedictionibus dulcedinis à Diuina bonitate præuenta fuerat; Etenim leui vidit insomnio super Anicienſem Ciuitatem longum, latum & spatiosum iter in cœlum tendens, tribúsque notatum flammantibus & scintillantibus stellis, simul hanc audire sibi visa est vocem, ecce viam cœli pro te, nisi ad eas stellas eas, nō attinges Cœlum. Cogitabūdam reddidit deinceps insomnium, quousque erectam audiuit Anicij à tribus piis fœminis societatem ad vitam religiosè transigendam, tunc illud esse cœlorum iter, quod viderat, interioribus admonita indiciis, intellexit: quapropter, immersa antea mundo, & sęcularibus inuoluta vanitatibus valedixit tot pellaciis, & sequendas tres illas stellas secum ipsa decreuit. Quàm mirabilis est Dominus in omnibus viis suis, & vbique adorādus! octauo igitur Idus Ianuarij introduxit eam Salesius in cubiculum Regis æterni, quo tamen posteà eam educere variis tentationibus humani generis inimicus conatus est, & iam exitum illa moliebatur, iam Ægypti allia & porra obuersabantur eius memoriæ,

Francisci prophetia de Auisana.

Auisana visio.

cùm

cùm Salesius hoc de misero consilio admonitus, impensissimis precibus Deum consuluit, puellę mentem in Sacramentali Confessione inuestigauit, nihilque aliud præter cacodæmonis nequitiam in virgine purissima recognouit, celebrauit, & dum ei Augustissimum porrigeret Sacramentum, statim inspirationem sensit, qua submissa voce hanc pro ea orationem recitauit, qua vtitur Ecclesia ad magnas hebdomadæ sanctæ ferias. Respice quæsumus Domine super hanc famulam tuam, pro qua Dominus noster Iesus-Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Illicò sancti Spiritus illustratione intellexit rediisse puellæ perseuerantiæ animum, & ipsa moueri suprà se dexteram excelsi in fortitudinis opus sensit. Quamobrem haud mora vterque gratias immensæ Dei bonitati egit, & eam posteà Salesius alloquens, cùm deinceps tentaberis (inquit) suggerétque inimicus egressum, dic ei, Vade retrò Satana, charissimus me meus Pater benè esse vocatam dixit, & reddidit idcircò certissimam. Omninò egregiè posthæc in Religione Auisana egit. Itáque rebus omnibus in vniuersa Diœcesi optimè compositis, peregrinationem Salesius Mediolanum vsque ad Diui Caroli Borromæi sepulchrum instituit, quam diu iam perpenderat & cõceperat eam quidem pedes, sed omnes prorsus, quotquot habebat, amici auersi, in eius sententiam concurrerunt, neque tempora, neque ætatem, neque corporis constitutionem, quam multi iam labores fregerant id velle, (inquientes) quare equis adhibitis decimo septimo Calendas Maij horâ matutinâ vndecima anno currente iam decimotertio magna suorum Ciuium caterua stipatus Anicio egressus est, ac per Camberium & Bramnouices Alpes transcendit. Taurini à Sereniſſimo Duce festè & blandè exceptus, multa cum eo egit; multos è præcipua Nobilitate viros, quos cædis Bertellotij Nemorosio Duci à secretis ad Sonnasiam syluam factæ reos effecerant, purgauit, & eorum probauit innocentiam, pro sua Marianæ Visitationis Congregatione quidquid petiit, obtinuit. Prętera miserum Anicienſis Gymnasij ab Eustachio olim Chapuisio fundati statum, exposuit, negligentes Rectores, alienatos reditus, & incertos qui docerent Professores: Anicienses quidem habuisse iampridem in animo, quo res meliùs haberent, in illud Collegium Patres Societatis Iesu aduocare, sed cùm in multos iam annos creuisset

Franciscus Auisanam confirmat.

Franciscus ad Diui Caroli Mediolanũ peregrinatur.

negotium, Patres illos tãdem renuiſſe, quapropter aliud eſſe cogitandum, quo proximæ ruinæ occurreretur. Dux his auditis. Neſcis quid facto opus? inquit, recuſantibus Ieſuitis, conditionem fortè accipient Clerici Regulares ſancti Pauli, quos alio nomine Barnabitas appellamus, tenent illi Gymnaſia vbi committuntur, docti ſunt, & verè religioſi, ac præterea (quod peculiare illis eſt) ad Epiſcoporum auxilium expediti. Diui Caroli noſtri ad cuius is ſepulchrum filij, habent hîc domum vnam, habent Vercellis, ſed præcipuam Mediolani. Vide eos, tenta pro Anicienſi Gymnaſio eorum voluntatem, planè arbitror te non niſi contento & læto ab eis animo receſſurum. Fecit ex Ducis imperio Saleſius, Taurinenſéſque Barnabitas inuiſit, à quibus mirificè cultus eos etiam coluit & amauit. Cognouit enim apud eos florere dotes omnes, quibus religioſi veri commendari ſolent. Notauit idem Vercellis & Mediolani, vbi Præpoſiti Generalis voluntatem & conſenſum accepit, ſi modò Anicienſes Ciues vellent, déque conditionibus æquis conuenirent, & Dux Sereniſſimus omnia ſua authoritate firmaret. In ea autem ampla & antiqua ciuitate toti orbi celeberrima Inſubrum Magiſtra, ac Domina, quam iam olim Ioſuë temporibus conditam, ac poſtmodum à Gallis Senonenſibus auctam & inſtauratam ferunt, quamque Diuus Barnabas Apoſtolus Euangelij face illuſtrauit, miris cum honoribus à Federico Cardinali Borromæo Diui Caroli Patruele, & in Archiepiſcopatu tam illuſtri ſucceſſore digniſſimo, necnon à Ioanne Mendozzio Linoioſæ Marchione & Prorege, exceptus eſt. Poſtera quam aduenit die ad ſancti Sepulchrum Sanctus celebrauit, datis ei precioſiſſimis ſacris veſtibus, quibus ex auri & gemmarum radiis, Solis in morem, flammeſcebat, verumtamen ſcintillauit toto vultu venerabundus, rigauítque ſuis lachrymis contractam illam cutem, ſacra oſſa, ad quorum cultum tot miracula quotidie perpetrantur. Sancti autem Præſulis ad ſanctum Præſulem ea oratio fuit. Vt obtineret ſibi à Deo virtutes illas quibus dum viueret, haurirétque communem nobis ſpiritum, tantoperè radiauerat vt verè fuerit lux mundi, & lux illa quæ luxit coram hominibus, ita vt glorificauerint patrem æternum, qui in cœlis eſt. Vt Diœceſim ſibi creditam benè, & vt ille ſuam, regendi methodum inpræſentiarum doceret eum, necnon fortitudinem in tot anguſtiis, quibus premebatur ſæpiſſimè

Franciſcus inuiſit Barnabitas.

Franciſcus Mediolani benè exceptus.

Franciſci ad D. Carolum oratio.

ſibi

sibi à Deo impetraret. Certè longioribus precibus interpellauit eum, & feruentioribus quàm exprimere calamus queat, nec nisi madidis oculis discessit. Multis affecerunt eum honoribus Hispani etiam Præsidiarij, quos aliquando Anicij cognouerat, licèt non ita benè Hispaniarum Rex & Allobrogum Dux per ea tempora haberent, sed virtus vbique in honore est, vbi non barbaries dominatur, recedentem verò mille amicitiæ sanctæ protestationibus & pignoribus Cardinalis & ex Ciuibus multi sunt prosequuti; Nouariam pertransiens Sepulchrum Diui Bernardi Mentonij Augustensis Archidiaconi vidit, & persuasit Canonicis, vt qua possent Sancti illius corpus reuerentia colerẽt. Redux ad Taurinates vt fuit, instante solemni sacrosanctæ Sindonis festo, Dux ex Episcopis eum esse voluit, qui sacras illas Saluatoris humani generis reliquias explicarent, Maius erat & dies quarta quo mense torridissimi iam in regionibus illis calores sunt, & Salesius totus sudore madebat: accidit autem vt dum vultum demitteret, tum sudantis frontis cùm lachrymarum guttæ in sacrũ linteum deciderint, & preciosissimis Iesu Christi sudoribus sese admiscuerint, ô pij cordis teneritudinem! Vnde sequenti anno ad Fremiottam magnus Pontifex scripsit. Ab anno & has circiter horas Taurini eram, & cum ostenderem sanctam Sindonem inter tot populos, multæ sudoris guttæ, quæ ex facie mea cadebant, in ipsammet sanctam Sindonem inciderunt, & ad hoc cor nostrum hoc formauit desiderium. Hei! placeat tibi Saluator vitæ meæ indignos meos sudores permiscere tuis, & meum sanguinem, meam vitam, meos affectus sacri tui madoris meritis diluere. Princeps Cardinalis penè irascebatur quod sudor meus in sanctam Saluatoris mei Sindonem exstillaret, sed penè dixeram, non ita delicatum esse Dominum nostrum, & nullum effudisse sudorem, neque sanguinem, nisi vt admisceret nostris quo pretium eis æternæ vitæ daret: sic possint eius suspiriis nostra sociari, vt in odorem suauitatis coram æterno Patre ascendant. At verò cuius rei recordor? Vidi. Cùm infirmarentur fratres mei in infantia cubare volebat eos mater mea in subucula patris mei, sudores patrum (inquiens) filiis salutares esse. O! cubet cor nostrum hac sancta die in sudario Diuini Patris nostri, eius sudoribus & sanguine inuolutum, ibíque sit tanquam ipsamet mors diuini illius Saluatoris, sepultũ in inuariabilis decreti sepulchro, vt semper

Franciscus Nouariæ.

Franciscus Taurini S. Sindonem explicat.

Eius desideria.

semper maneat mortuum in seipso quousque in gloriam resurgat æternam. Salesius Taurino redeundo, dum superat Alpes, & horridum Cinisij montis Iugum, non potuit quin Diuinam prouidentiam & miraretur, & adoraret ex tot miseris, qui perpetuis expositi, siue hyemis, siue æstatis tempestatibus transeuntibus inseruiunt: alioquin enim nemini aut difficillimè daretur per hæc salebrosa & horrenda loca transitus. Cur non petunt Taurinum (inquiebat) aut Mediolanum, aut Lugdunum, vt vitam suam lucrentur, aut alio si volent? Numquid meliùs illis esset? sed O! quàm adorabilis est magni totius mundi Regis æterna dispositio! Tandem suum in Anicium, effusis obuiam ei multis, rediit octauo Calendas Iunij, ipso Dominicæ Pentecostes peruigilio. Luce Crastina in Cathedrali sua Ecclesia, solemniter celebrauit, Fabricarant autem Canonici in fornicibus templi quamdam Machinam nubibus persimilem, ex qua dum augustissimum Sacramentum eleuaretur, post consecrationem prodire inter flammas columba debebat, quæ descensum sancti Spiritus super Apostolos in linguis igneis repræsentaret: succesſit fœliciter artificium, sed columba postquam diu huc & illuc musicis perterrita cantibus volitauit, demum super sancti Præsulis ad altare stantis nudum caput requiem suam inuenit, si miratus fuerit populus, si fleuerint ex interioribus motibus plurimi, dicere non est opus, neque ex assistentibus aut Ministris Canonicis vllus ausus est ad eam vel capiendam, vel abigendam, leuare manũ, sed nec ipse Præsul adeò fortè raptus, vt non sentiret, vel cœlestibus confectus deliciis mouit se, vt eam excuteret, donec sponte abiit. Planè hos nemo sentiat fortuitos casus inanis significationis esse cum circumstantiis, quibus euenerunt. Die postera, quæ sexta Calendas Iunij fuit Consules & Consiliarios ciuitatis itémque Gymnasij Administratores conuocauit, quibus Sereniſſimi propositionem Ducis exposuit, & Barnabitarum consensum, si modò ipsi vellent, tum quinam illi essent exposcentibus, Religiosos esse dixit omni laude maiores, qui habitum Iesuitico similem gerant, qui publicè doceant, qui concionentur, qui confessiones audiant, qui diuinum officium in choro decantent, qui visitent, & consolentur ægros, qui Episcopis & Curionibus vocati auxilio sint, qui porrò Mariæ & Marthæ officia optimè exerceant, placere eos omninò sibi, si modò vellent rem actam esse.

Francisci cogitatio in Alpibus.

Columba descendit in Franciscum.

Franciscus Anicienſibus Barnabitas laudat.

esse. His dictis, ex eius fide dixere Ciues consentire se ad omnia, nec posse mali quidquam ex eius prodire manibus. Quamobrem scripsit illicò ad Sereniſſimum Ducem, & Patres illos, adhibuítque Ciuitatis Epistolam, qua quidquid tractandum erat, continebatur. Iis mensibus obierat apud Falcinates Curio Morzinensis nullis relictis hæredibus, quapropter iure caducario frui debebat Episcopus, & hæreditas illa ad permagnam summam ascendebat; defuncti Sacerdotis cognati ad agendum & componendum de ea hæreditate, cùm se pauperes dicerent, Georgium Rollandum rerum domesticarum Præfectum conuenerant, obtulerántque viginti ducatos; verum ille summam tanquam minimam & impertinentem cum indignatione reiecerat; Cognatósque vel ad maiorem summam, vel ad litem expectabat; Cùm illi cautiores eius absentiam expectauere, & sacrum conuenere Antistitem, verbísque & gestibus miserrimos se ementientes eamdem viginti ducatorum summam obtulere, nec negauere quin cum Rollando iam conuenire voluissent, verùm illum ad paupertatem qua vrgebantur non attendisse. Bonus Episcopus viginti ab eis ducatos accepit, nec mora acceptilationem de reliquo dedit, & inquit, hoc pro pauperibus etiam esto. Cùm veniſſet Rollandus, & quæ acta erant, intellexiſſet, non dubitauit ad sanctum Dominum suum accedere, & grauiter quæri quod ita ageret, vt vix ad anni finem posset reditus sufficere, tunc sanctus. Et si mortuus non fuisset Sacerdos ille? (inquit sereno vultu) sed non ita fiet in posterum. Attamẽ ea iam pauperes habent, & eo recedente irato simili, superuenienti amico cuidam (ait) Versutia aduersus Rollandum vsus sum, ipse ex quibusdam caducis bonis certam summam expectabat; ego eam ipso inscio tuli, & distribui pauperibus, sed auertat peiora Deus. Rollandus tamen sui sanctitatem Domini agnoscebat, quod probauit paulò post, cùm ad virum Dei ducti essent septem aut octo miseri, vt liberarentur à spiritibus immundis, steterat diu satis fixis in eos oculis cogitabundus & tacitus, tum Rollandus ad eum à tergo accessit, & nihílne dicis (inquit) Domine pauperibus illis? Magnam habent in te confidentiam, expectántque vt alloquaris eos. Quamuis non nisi quatuor aut quinque verba diceres, satis illis esset. Et Salesius subrisit, in eúmque conuersus, Benè (inquit) loquar eis, lætor autem valdè, quod me Rollandus noster docue-

Franciſci charitas & quàm diuitias contemneret.

Franciſcus dæmones è corporibus eiicit.

rit miracula facere. Loquutus eſt, tetigit eos, benedixit, & illi incolumes abiêre. De decem aut duodecim Rupi Seuinienſibus idem fuit. Hi vexati pariter ad ſacrum Antiſtitem ducti à Cognatis ſuis venerant, diuerſorio excepti apud Nicolaum Brachetum Ciuem Anicienſem apud Nundinariam porticum, horrebat populus ad eorum aſpectum, rotabant enim ſeſe miſerè, & pluſquam poſſint humanæ vires ſurſum deorſúmque ferebantur. Verùm vt ſanctũ alloquuti ſunt, vt ſuam miſeriam deſcripſerunt, vt communicauit eos ille manu propriâ vt benedictione ſacrâ eſt impertitus, liberi receſsêre. Sanè res iam ſollemnis erat, quicunque enim ad eum accedebant, ſuis votis potiebantur. Optimè poſthæc antequam excederet annus, duodecimo ſcilicet calendas Decembris pro Catholica apud Gexenſes Religione decreuit. Vt octo in Eccleſiis diuinum deinceps officium celebraretur, donec conuerſorum numerus reliquas aperiret, nempè Gexij, Fargis, Peroni, Chalexij, Ceſſiaci, Diuonæ, Thoëriaci, & Sacconæi. Inſtitutos Curiones ad reſidentiam, niſi ex Ordinarij licentia ſub pœna priuationis portionum, adſtrinxit: Quorumlibet officiorum horas præfixit; quæ ſingulis neceſſaria eſſent Eccleſiis, deſignauit. Singulis diebus Dominicis doceri Catechiſmum ſtatuit; ſupplicationem pro fidelibus defunctis, & concionem inter Miſſarum ſolemnia. Singulis item diebus ſabbathi hymnũ Gaudiorum Sacratiſſimæ Virginis ante eius imaginem. Lugimagiſtro Gexenſi Catholico mercedis annuæ nongentos florenos adſignauit. Sacella reſtitui debere intra decennium à Patronis ſub pœna priuationis iuris Patronatus proſcriptis libellis promulgauit. Dunantium Curionem Gexenſem ex Regis placito Oeconomum pronunciauit. Patres Capucinos ſecundùm neceſſitatem frumentum ab eo & vinum debere percipere, declarauit; nec niſi conſultis iis in rebus arduis & magnis quidquam agere. Quæ quidem decreta interim dum fiunt, venere à Sereniſſimo Duce ad Senatum litteræ, quibus erectam recens Congregationem ſacrarum Chriſti Ancillarum Viſitationis Beatæ Mariæ amantiſſimè commendabat, & his ſic fœliciter procedentibus, ecce adfuit annus decimus quartus quo Saleſius ſcriptioni libri ſui de amore diuino ſedulò incumbebat, non abſque variis tamen diſtractionibus, nam Præſulum nemo vnquam iis adeò fuit obnoxius, ſed momenta ſingula minimi otij inſumebat, matuti-

Franciſci decreta pro Eccleſia Gexenſi.

nas

nas præsertim horas,& antequam cubitum iret nonnullas. Dum autem aliquando in Musæolo suo incluſus attentius scriberet, audiuit de repente retrò se in Musęi angulo mugitum vehementem,quasi Tauri,stupuit primò,sed non surrexit è sede , post aliquot momenta, auditus est idem mugitus terribiliter , tunc surgens inuestigauit quidnam esse posset, exiit in cubiculum , & in aulas,perquisiuit de inferioribus cubiculis,& de subtegulano solario,nec quidquam inuenit , nec simile euenire in ea domo intellexit, in qua nec equi, nec tauri,nec canes, alerentur. Tribuit insolentiam illam Caeodæmonis inuidiæ,qui bonum ex eo libro emersurum coniecturis præuidens impedire conabatur,& debilem se sentiens conficiebatur rabie. Sæpe etiam posthæc vlulatum luporum,& latratum canum audire sibi videbatur , donec tandem fatigatus Satanas abstinuit. Hyems erat , & venerat ad eum, fortè honorariæ visitationis ergo , Cleriadus Geneuensis Marchio Lullinius Sabaudici Ordinis Torquatus Eques,de rebus adeo grauibus tractaturus , vt abire suos famulos ad tempus aliquod vtérque iusserit,& hi in aliam domus partem secessere,vbi honestis intenti lusibus dominorum suorum sunt obliti,aut dum alios,de exitu renunciaturos adesse putabant.Interea nox pro illis adfuit,& recedentem Toparcham solus absque lumine ad inferiorem portam vsque Præsul comitatus est , tunc accurrentibus seruis , cùm iam ille recessisset , ad Cubicularium suum, Franciscum Fabrum conuersus (tranquillè ait) Francisce semissis candela valde nobis honori fuisset. Quiuis alius Dominus seruos illos vel expulisset, vel certè corripuisset seuerè. At Salesius mansuetissimus erat ; amabatur & colebatur à bonis omnibus : sed malis audiebat odiosus. Quidam causarum Patronus ei de cætero, & ex seruili sui ortus conditione tributarius : nullum in eius famam obtrectationis genus omiserat , immò verò vbicunque de eo maledicendi sese offerebat occasio , gloriabatur. Sanctus Antistes illum inter eundum per vrbem obuiam habẽs, manu mitissimè apprehensum , his verbis est alloquutus. Odio meprosequeris,& famam meam iniuriis violare contendis , neque habes vnde excusationem afferre possis, ego enim hæc omnia probè scio. Verumtamen vide si tu oculum vnum mihi confodisses , altero adhuc te beneuolè & benignè respicerem.Non habuit miser Causidicus quod responderet, sed opertus est sicut

Franciscus inter scribendum Taurinos mugitus audit.

Itemque luporum vlulatus.

Franciscì humilitas & mansuetudo.

Barnabitarum ad ientus.

diploide confusione sua. Circa hæc tempora venere ex Clericis Regularibus sancti Pauli Patres tres, Anicienſe Gymnasium (vt actum fuerat) restauraturi, sed visuri primùm vt se res haberet, Simplicianus Fregosius, Iustus Guerinus, & Vitalianus Berretta viri doctissimi & religiosissimi, Pactis cum Ciuitate & Administratoribus initis, eos ipsemet Salesius in possessionem induxit, necnon in magna Gymnasij aula, quæ illis hucusque templi loco fuit, in sublime pulpitum eleuatus, hoc suæ Concionis thema assumpsit, quo olim vt apophtegmate vsus fuerat Themistocles. Perieramus, nisi periissemus, id intendens in omnimodam venturum fuisse ruinam Gymnasium illud, nisi vt periisse videbatur, periisset. Cæterum Patres illos, & eorum ordinem miris extulit Encomiis, déque viris illustribus, qui apud eos floruissent curiosis posteà narrationem fecit, vt fundatores & institutores fuissent tres, è præcipua Insubrum nobilitate, viri piissimi. Antonius Maria Zacharia, Patricius Cremonenſis, Iacobus Antonius Morigia, & Bartholomæus Ferrarius Mediolanenſes, vt eorum institutum Clemens septimus, Paulus tertius, Iulius tertius, Gregorius decimus tertius, & Gregorius decimus quintus, approbassent. Vt eximiæ Vir sanctitatis apud eos extitisset, Alexander Saulius Genuenſis Diui Caroli Borromæi Confessarius, Alerienſis primùm in Corsica, & postmodum Papienſis Episcopus, multis dum viueret, & post mortem clarus miraculis. Vt claruisset etiam Carolus Bascapæus Mediolanenſis, sui Ordinis Generalis Præpositus, Episcopus Nouarienſis. Vt micuisset Cosmus Dossenius strenuus primò miles, sed religiosus effectus eius ordinis tertiùm Generalis, & Episcopus Dertonenſis. Denique sic eos commendauit, vt quamuis posteà dirè in eos à ganeonibus & viris nequam sæuitum sit, tamen tunc cum applausu recepti fuerint.

Franciscus Barnabitas in possessionem induxit.

Barnabitarum præcipui.

Franciscus quàm Barnabitas amaret.

Delectabatur autem mirum in modum Pontifex optimus eorum consuetudine, cibum cum illis aliquando capiebat, aduocabat verò eos ad se, sæpissimè in eorum Ecclesiam celebratum ibat, & vel concionabatur, vel docebat Catechismum: séque candide Barnabitam esse (id est consolationis filium) inquiebat. Substantis Rectoribus floruit statim, & ad pristinum rediit splendorem Chapuisianum Collegium, in quo humaniores litteras, Rhetoricam, & Philosophiam, necnon aliquando Theologiam moralem præstantissimè docuerunt, fuitque inter cæteros excellentissimus

lentissimus & subtilissimus Philosophus Redemptus Baranzanus, qui Anicienſem Philoſophiam edidit, & ex libris ſuis vnum ipſi Franciſco Saleſio Gebẽnenſi Epiſcopo dedicauit. Neq; hæc dumtaxat egerunt, doctrinam Chriſtianam arripuerunt ſtatim, quã libentiſſimè illis commiſit Saleſius, & cùm antea in ſola Diui Dominici æde, & diuerſis ſacellis Catechiſmus doceretur; in quatuor ædes diuidi, operæpretium fore (viſum eſt) ex eorum iudicio, cui annuens Præſul Dominicanam ſibi ædem retinuit, & Barnabitis Eccleſiam Beatæ Mariæ Lætæ, in quam Mulieres, Diui Ioannis in quam Viri, & Diuorum Pauli & Caroli in Collegio, in quã ſcholarũ candidati cõuenirent, dedit, aſſignauit. Certè vt amabat eos Magnus Antiſtes, ſic eũ illi & mirabantur & colebant mirandum quantum, Diuíque Caroli viuam in eo venerabantur imaginem. Inſignis erat his dierum tractibus Prophetiæ dono Saleſius, & ad eum vndique veniebatur. N. Polliens caſtri cuiuſdam, non procul Anicio, Cuſtos; iampridem ab inimico homine minis tentatus timebat ſuæ vitæ. Quamobrem conſilium aliquod accepturus conuenit Epiſcopum, narrauítque timores ſuos. At vir Dei poſtquam eum attentè perſpexit. Ne time (inquit) fili mi. Aggredietur te fortè inimicus, verumtamen non igne ſe imbui catapulta patietur, ſpera autem in Domino quoniam ipſe non tradet te in manum inimici tui. Receſſit conſolatione pleniſſimus Caſtellanus ille Polliens, cúmque reuerſus in ſuam domum eſſet, non fefellit opinionem Inimicus, ſed poſt aliquot dies ad eum dum tranſiret occidendum, cum catapulta retrò ſepem ſe adaptauerat, vt tranſiit Polliens, dare catapultæ ignem truculentus inſidiator conatus eſt, ſed nequiuit. Murmure tamen quodam admonitus Polliens adornandi fugam tempus habuit, & recordatus eſt eorum quæ ſibi ſanctus Epiſcopus Anicij prædixerat. Magna per vniuerſam Sabaudiam laborabatur penuria, ſcatebat Regio pauperibus Dei miſericordiam implorantibus, & Anicij multi à fame formidabant. Saleſius populi ſui miſeratus continuis conſolabatur adhortationibus eos, verumtamen non ceſſabat pauperũ timor. Semel in Diui Dominici Eccleſia Concionẽ habẽs, cùm in hæc fortè verba incidiſſet, eſurientes repleuit bonis, & diuites dimiſit inanes, nolite timere (inquit) ô chariſſimi filij mei. Ego ex Deo vobis polliceor, dummodo obſeruaueritis legem eius, non perituros fame, ſed

Franciſcus Barnabitas Catechiſmo deſtinat.

Franciſcus prædicit.

Pauperes conſolatur.

neque paſſuros ex inopia: Hæc autem ſic amanter expreſſit, vt conſolatione omnes pleniſſimi cohibere non potuerint impetum lachrymarum, & reuera repleti ſunt bonis eſurientes, nec quiſquam eorum, qui tantoperè timuerant, indigentia laborauit. Bernardus Paris Ciuis & piſtor Anicienſis, qui in ſuæ artis rebus inſeruiebat Epiſcopo, filiam habebat infantem adhuc, quippe quæ ſeptimum vix annum attigerat, Huguinam nominabant, ea patrem in Epiſcopi ædes venientem ſequebatur, & vt erat in pueros facilis Saleſius, dum prandium ſumeret, præſentibus Barnabitis duobus, puellam ad ſe venientem blandè ad genas terigit, manúque arrepta, non ſuperabis (inquit) ô filiola decimum ſeptimum annum, illa vt erat paruula non adhibuit prædictioni animum, vt tamen poſtea non fefellit. Interea venêre Saleſio ab Auguſto Cæſare Matthia litteræ, datæ Lyntzij decimo quinto Calendas Aprilis, eo anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, quibus de rebus Imperij tanquam Princeps admonebatur, vt indicta eſſent Comitia, quæ diætas vocant, Ratisbonæ ad Calendas Februarias ſequentis proximè anni decimi quinti, quibus adeſſe perſonaliter iubebatur, vel ſi infirmaretur fortè, per iuſtructum fuſiſſimè Procuratorem ad capienda ſcilicet conſilia, quo pacto ab Sibeburgenſis Prouinciæ, & Hungarici regni finibus, immortalis Chriſtiani nominis hoſtis Turca arceretur. Gebennenſem ſiquidem Epiſcopum Romani Imperatores ſemper, vt Imperialem Principem non vltimum, quandocunque de rebus grauibus agendum eſt, per litteras & tabellarium eo vno nomine miſſum, certiorem reddunt, qui Tabellarius inſtructus Geneuam primùm venit, ac ad Epiſcopale palatium pulſat, reſpondetur autem ei non adeſſe Epiſcopum, ſed Anicij commorari, tunc authoritate capta de ſuæ miſſionis officio venit Anicium, & hæc vt Gebennenſi Epiſcopo, ius in miſeram ciuitatem conſeruare videantur, fieri volunt Auguſti Cæſares, Saleſius reſpondit vix adeſſe ſe poſſe, cùm humanis omnibus ſpoliatus exiſteret ſubſidiis, nec quidquam ſibi ad pia ſuæ ſacræ Cæſareæ Maieſtatis vota reſtaret, præter pias preces quibus ad Deum clamare non ceſſaret, vt (cum Dauide inquit) mitteret ei auxilium de ſancto, & omne conſilium ſuum confirmaret. Quia autem non ita pridem eum Dux Sereniſſimus ad Abbatiam Ripallienſem nominauerat, credidit ſuas etiam preces, in loci illius tam celebris

Prædicit puella obitum.

Recipit ab Imperatore litteras.

Epiſcopi Gebennenſes Principes Romani Imperij.

reſtau

restaurationem, acceptas Duci fore, quamobrem cùm de collocandis ibi Cartusianis cogitasset, scripsit ad eum, & egit impensè, vt eos ibi collocare dignaretur, aut in Abbatia Filliacensi, quæ bellorum & temporum iniuriis penè destructa erat, Ordinem adeò firmum, & erga Sabaudiæ Serenissimam familiam optimè semper affectum, sic commendauit, vt Dux eos non quidem Filliaci, sed Ripalliæ collocauerit, non sine vtilitate magna, quæ in vniuersam Caballij Prouinciam emergit. Decimoseptimo Calendas Iunij id erat, & septimo postridie festi Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ ad inuisendum Præsulem piissimum Dionysium Simonem Marquemontium Archiepiscopum Lugdunensem, ac postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Anicio egressus est. Marquemontius statim ac eum aduentare intellexit, misso Sacerdote cum litteris, sese statim obuiàm significauit adfuturum, & inuitauit ad Archiepiscopale suum palatium, honorem eum esse (inquiens) & Coronam Prælatorum. Igitur Dominica die quarta Calendas Iulij celebrato Vesperarum Officio, multa, tum Comitum, tum Ciuitatis Procerum, turba stipatus conscendit in rhedam, & sancto Præsuli ad septimum aut octauum ab vrbe lapidem in occursum venit; tum post officiosas vtrinque officij perfunctiones assumptum eum magnifico excepit hospitio. Octo dierum spatio Lugduni moram traxit Salesius, quibus pendentibus ab vniuersa splendidissimè cultus est Ciuitate, Sanctorum Petri & Pauli festo concionatus est, cum piis illis Matronis & Virginibus Mariani instituti sui auidis còram Archiepiscopo egit, conclusum est congregationem similem Lugduni erigendam, tandem percusso amicitiæ sanctæ fœdere, non nisi inuitus eum Marquemontius permisit discedere. Cum rediisset solemnem trium ordinum Conuentum, Septembri vel Octobri mense habendum in Gallia accepit, & pro suo vltra Rhodanano Prouinciarum Bugiensis, Vallis Romænsis & Gexensis, Clero, vel eum, vel ex suis aliquem adesse oportebat. Rogauit Ioannem Petrum Camusium Bellicensem Episcopum, vti pro iis Prouinciis loqui dignaretur, quandoquidem (inquiebat) populus suus populus eius esset. Deplorabat autem miserum, in quem ab Sæculari Magistratu reducta erat, Ecclesiæ statum, & Franciæ optabat à Deo benedictionem, vt renascereturin ea pietas, quæ Diui Ludouici temporibus regnabat. Nimirum Ecclesiæ vix

Franciscus pro Cartusianis scribit.

Franciscus Marquemontium Lugd. inuisit.

quid

quidquam reſtare aliud, quam vt clamaret ad Dominum. Vide Domine & conſidera quia facta ſum vilis, & iterum: Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium tuum, de quibus præceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam. Sequenti feſto Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis ſexto Idus Septembris dum ſolemniter in Collegiata Æde Anicienſi celebrat. Ecce per Rimam magnæ feneſtræ vitreæ, quæ in choro ad Epiſtolæ partem erat ingreſſa eſt candidiſſima columba, quæ poſtquam aliquantulum per totam ædem volitauit, ſuper humerum Epiſcopi in throno ſedentis, in quo ſculpta eſt arbor Ieſſæa, & in eius ſic ſedentis gremio requieuit, vbi ab aſſiſtentibus capta eſt. Stupentibus omnibus & dicentibus, ſanctus eſt Epiſcopus noſter, & verè ſanctus, quam ſanè opinionem diu conceptam continuis & interruptis virtutum actibus confirmabat. Celebratis Veſperis in laudes ſacratiſſimæ Virginis, arrepta Columbæ occaſione, eam eſſe Columbam Dei (inquiens) & amicam illam, cuius vox dulcis, & facies decora, totámque pulchram, & formoſam abſque macula, tam abundè, ſuauiter, & piè effuſus eſt, vt viſus ſit verè columbæ illius habere vocem, quæ lacte eſt lota & reſidet iuxta fluenta pleniſſima. Elapſis decem ab hoc euętu mirabili diebus ad primi lapidis iactum pro Viſitationis Beatæ Mariæ templo celebrauit etiam ſolemniter ſub potentiſſimis Muſicorum choris, & ſorores omnes communicauit, dies enim Iouis erat; tum finita Miſſa benedixit lapidem formatis cultello quatuor crucibus ad quatuor angulos tradidit Malliardæ Dominæ à Cruce, Proſperi Malliardij Comitis Turnonij, & Sabaudiæ olim Producis filiæ, quæ eum nomine Sereniſſimæ Principis Margaridis Allobrogicæ Mantuæ Ducis Viduæ iecit, in eo autem hæc capitalibus Romanis caracteribus ſculpta erant. Deo Optimo Maximo, Ieſu Chriſto, Sanctiſſimæ Matri Virgini Mariæ Viſitanti. Carolo Emanuele Sabaudiæ, Henrico Gebenneſij Ducibus anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, decima octaua Septembris, Margaride Infante Sabaudię, Vidua Ducis Mantuę Protectrice, Franciſco Epiſcopo, Congregationi Sororum oblatarum Viſitationis Deuotioni ſacrum. Plauſit ad iactum pia turba, & toti Congregationi fœlix fauſtúmque omen acclamatum eſt. Sed longè aliud poſthæc Seduni fuit. Hildebrandus Iodocus in Adriani locum Sedunenſis à Valeſiis

Columba iterum in Frăciſcum deſcendit.

Franciſcus primum lapidem Ædis viſitationis iacit.

ab

ab aliquot mensibus electus erat Episcopus, & à Sancta Sede confirmatus; instabat autem, quo debebat consecrari, tempus, & Salesium Gebennensem tanquam finitimum & Sanctitatis fama illustrem in eam operam enixè rogauerat, & Salesius etiam cum accepta gratia promiserat. Calendis igitur Decembris in eam rem profectus; postquam nonnulla ex itinere Tononi & Aquiani egisset, Valesiorum Prouinciam sua præsentia recreauit. Ad Pontem Morgiæ obuiam habuit cum multa Sacerdotum & Primorum turba, Cathedralis Decanum Ecclesiæ, qui eum Latina eleganti oratione salutauit, & excepit, splendidissimè verò in vrbem aduentantem electus Episcopus, cuius ipse Promotor fuit; Solemnitatis autem die ascendit in sublime pulpitum pretiosissimâ trabeâ & mitrâ insignis, & concionem habuit, de Episcopali dignitate, & authoritate tam cumulatè, tam eleganter, tam efficaciter & eruditè, vt populus ingens, qui nunquam sic ornatum viderat pro sermone publico Antistitem, cum laudibus exclamauerit, fœminæ quoque, quæ pueros suos domi reliquerant, accurrebant captum eos, & super cæterorum capita quo sanctum Præsulem videre possent, eleuabant; aderant & Hæretici quamplures, qui in magni Præsulis conuersi laudes à Ministrorum sordida & insolenti grauitate auertebantur, tantámque mirati cum humilitate tanta doctrinam eum de suis scrupulis & dubitationibus alloqui amplius non distulerunt, atque ita reliquum à solemnitatis actione tempus, hæreticorum conuersioni, & de rebus controuersis disputationibus, magno sanè cum emolumento Salesius insumpsit. Et quia inter concionandum ex assumpta materia de successione Apostolica in Ecclesia sancta Dei, id est, Romana tractauerat, exhortatúsque fuerat populos vt eiusdem sanctæ Ecclesiæ sanctitatem, vnitatem, & successionem amarent; è præcipuis vnus diu hac de re cum ipso disseruit, cúmque ille idem delegatus à Prouincia esset, vt redeuntes Præsules Archiepiscopum scilicet Viennensem Consecratorem & Episcopum Gebennensem Promotorem ad fines vsque Valesianorum comitaretur, perpetuò in itinere cum Salesio est colloquutus, dixítque hæc inter cætera. Domine rem vnam fecisti, quæ à multis annis in Ciuitate Sedunensi facta non fuerat, neque enim vnquam Catholicis concionatoribus permissum fuit, de vlla vel minima agere controuersia è cathedra. Verum so-

Franciscus Sedunum proficiscitur.

lemnitas & tua conditio acceptum reddidere ſermonem tuum, ex quo proculdubio Catholici multi valdè reſtabunt confirmatis: cæteros adhortatus es, vt ad Eccleſiæ gremium redirent, & hoc ſanè quantum ad ſingulares attinet, bonum eſt. Sed de tot Ciuitatibus & Rebuſpublicis, in quibus nemini Concionatori Catholico prædicare, ſed nec immorari, nec loqui licet, quid fiet? & quodnam remedium? ſiquidem inter nos Helueticos, in tota Germania & multis etiam Galliæ partibus integræ ſunt Ciuitates hæreticæ, & hæreſis in rationem Status tranſit, nec vlla vel minima ſpes conuerſionis affulget: & Hæretici omninò pacificè viuunt, nec vllus eſt qui eos vel tantiſper diſturbet, profundiſſimum inuenere locum in corde Saleſij hæc prudentis viri verba, nec ea vnquam eijcere potuit, quin imò hanc demum formauit conceptionem. Verum equidem ſi ſic relinquantur Heluetij, Tigurini, Baſileenſes, Bernenſes, aliíque fœderati, idémque de Anglia, & aliis Regionibus, nunquam conuertentur, immò verò Religionem ſuam ſtatui iungentes illam cum hoc ſtabilient, & quemadmodum ab aſſuetis non fit paſſio, ita cum antiquitate hæreſis illa vltra quidem non proficiet, ſed quod magni eſt momenti, vltra etiam non deficiet, & erit in nobiliſſimis illis Europæ partibus Paralyſis incurabilis. At verò quodnam remedium? Sic ſecum perpendebat Saleſius. Et quidē remedia vtiliſſima excogitauit, ſed quæ minimè promulganda, Apoſtolicus apud Sereniſſimum Ducem Nuntius eorum conſcius factus eſt, An Apoſtolicæ Sedi propoſita fuerint, ignoratur: Cæterùm Saleſij manu propria ſcripta adhuc extant, & vtinam ad ea vellet Apoſtolica Sedes attendere. Exhibebuntur autem quotieſcunque, vel opus fuerit, vel ipſa iubebit; neque enim omnia vulgo tradenda ſunt.

Franciſci cogitatio pro reducendis hæreticis.

Decimoquarto Calendas Ianuarij Seduno rediit, & quinto Calendas Februarij anni milleſimi ſexcenteſimi decimi quinti ad fundandam nouam Coloniam Marianarum Sororum, Fremiotam, Fabram, Peroniam Mariam Caſtelliam, & Mariam Amatam Blonnayam Lugdunum miſit, ad petitionem nobilium aliquot Matronarum Lugdunenſium, quæ eo vno nomine Rhedis venerant, quo hyeme, cùm miſer quidam laceris omninò veſtibus eum fortè in proxima graduum domus porticu deambulantem ſolum reperiſſet, petiiſſet Eleemoſynam. Pius Epiſcopus ſtatim ſubligaculum ſuum depoſitum ſuit, cùm nihil aliud penes ſe haberet

Franciſcus dat pauperi ſubligaculum ſuum.

beret in promptu,& pauperi dedit,ſtupendo Chriſtianæ Beneficentiæ amore, & amoris Diuini ſtudio; ſed qui tunc de Diuini amoris ſcribebat effectibus, non poterat quin erga proximum ſuum eos demonſtraret.Mirum autem quàm iniquè ab hominibus nequam tantæ vir perfectionis, his pendentibus fuerit diuexatus, & iterum mirum quod viri è præcipuo Magiſtratu, Principíſque conſilio, multis ei præterea obſtricti nominibus eum diuexauerint. Marianarum Sororum ex vna parte,& fratrũ eius Bernardi Baronis Saleſij Torentini, & Iani Equitis Melitenſis inprimis ex alia occaſione id fuit, impudentiſſimis calumniis, Nemoroſij Ducis optimi alioquin Principis aures ab impiis illis impletæ ſunt, & innocentiſſimo Præſuli omnium malorum cauſa imputabatur.Ipſe impoſitorum criminum depulſionem à tempore expectandam ratus, de cedenda calumniatoribus per aliquot dies vrbe cum fratribus conſilium iniit, receſſitque in Saleſianum Caſtrum donec furor Principis pertranſiret. Verumtamen reuocauit eum Quadrageſimale tempus, necdum ceſſauerat quaſſatio:vnde mox ad Amiciſſimum Fabrum ſcripſit.Redux Saleſio vbi hilariorum dies pertrãſiui, reditum noſtrarum nimis iam veterum tribulationum per calumniam in fratrem meum factam inueni, ludus mihi & riſus eſſent hæc omnia, niſi iratum & indignatum Dominum viderem. Intolerabile hoc mihi eſt, qui tot habeo inuiolabiles hoc pro Principe affectus, & cuius olim ſuauiter bonitatem deguſtaui. Tam multi errant, verberant,occidunt,graſſantur & eſt illis illa clementia refugium.Fratres mei nec mordẽt,nec calcitrant.& inclemẽtiâ opprimuntur. Quid infertur eis mali nec tibi? aiunt impij: rapitur pretioſiſſimum quod habeamus bonum: Principum noſtrorum gratia, & poſt hæc dicitur.Quid infertur vobis mali? Chariſſime frater,fieri ne poteſt, vt amet me Princeps ille, qui(vt videtur)delationibus ſibi in fratres meos factis delectatur, cum ſemper meras & nefarias eſſe calumnias cognouerit? nihilominus tamen,eas recipit,credit cum ſingulariſſimæ indignationis demonſtrationibus. Crimen eſt vbique terrarum proximum odio proſequi.Hîc eum amare crimen eſt. Crimini dantur Domini Collaterales viri ab omni probro immunes,authoritate extraordinaria,ea tantum ratione,quod eo me amore proſequantur, qui omnibus meæ conditionis debetur hominibus.Omninò,mi frater,glorior à te amari,& pro te affici,at quandoquidem tanta eſt infœlicitas mea, ta-

Franciſcus peſſima perſequutione tentatus.

ceamus deinceps, Deus & corda noſtra id tantum ſciant, & aliqui amoris ſecreto digni. Mitto ad te apographum Epiſtolæ quam ſcribo ad Dominum, vide ſi debeat, aut poſſit dari. Quamuis enim hæc me maximè res afficiat, nollem ipſum iraſci, neque enim volo te ampliùs eius offenſionem incurrere. Veniet aliquando dies illa, qua amare me nemini probrum erit, ſicut eorum, qui me ſingulariter amant, nemo vnquam probrum meruit. In his vltimis verbis confidenter, & abſque hæſitatione ſcriptis ſpiritum prophetiæ habuit. Hæc autem inter alia ſcribebat ad Principem. Malum eſt noctis teſtimonium, Domine, & negotia perambulantia in tenebris obnoxia malis occurſibus, de quibus nemo reſpondere poteſt, ſed miſeri illi probi homines qui ex Amplitudinis tuæ gratia redierant, probabunt ſe noctibus illis fuiſſe alibi, & tæderet eos ſummoperè, nequitiis illis, vel conſenſiſſe, vel fuiſſe cooperatos, alias ab ipſis inſolentias nullas intellexi, quia reuera nullas commiſerunt. Permitte verò mihi, Domine, prudentem hanc libertatem, qua ex officio meo in omnes vti debeo. Papę, Reges, Principes huic malo obnoxij ſunt, vt accuſationibus & delationibus ſæpe decipiantur. Aliquando reſcripta dant ex obreptione & ſurreptione emanata, ideò ad ſuas Curias, Senatus & Conſilia remittunt, vt auditis partibus videatur vtrum tacita fuerit veritas, aut falſitas propoſita ab impetrantibus, quorum conditiones ad accuſationes & delationes ab congruo examine, ſine quo Mundus, qui abundat in iniquitate, omninò æquitate careret, eximendas inanes ſunt; Principes autem hanc contra ire methodum minimè poſſunt, obſtricti enim ſunt ſub æternæ damnationis pœna. Accuſationes aduerſus miſeros illos afflictos, & aduerſus fratres meos Amplitudo tua recepit. Ex æquitate fecit, recepiſſe, ſi non niſi intra ſuas aures recepit, at ſi recepit intra cor condonabit mihi, ſi cùm non tantùm humillimus eius ſim ſeruus, verùm etiam amantiſſimus, & maximè affectus, quãuis indignus Paſtor dicam ei, offendiſſe Deum, & obligari ad pœnitentiam, etiamſi accuſationes illæ veræ eſſent. Nullum enim verbum, quod in præiudicium proximi ſit, credi debet, niſi prius probatum fuerit, & verò probari niſi per examen auditis partibus nequit. Quiſquis tibi loquitur aliter Domine, animæ tuæ proditor eſt. Et accuſatores fide digni ſint, quantum volueris. Admitti tamen accuſati ad defenſionẽ ſuam

Franciſcus de ſe prophetã.

Intrepidè ſcribit ad Nemoraſium.

Verba dicẽda Principibus.

debent

debẽt. Magni Principes arces nunquã & munera niſi fide dignis confidunt,ſed neque propterea ſecuri ſunt,falluntur enim ſæpè, & qui heri fideles fuerint,hodie infideles eſſe poſſunt, ſicut illi, qui hos miſeros accuſarunt per præcedentes actiones,acquirere ſibi potuêre fidem,quam tua Amplitudo dedit eis, ſed eam perdere merentur deinceps, quandoquidem abutentes ea falſas adeò accuſationes contexuerunt.Subiicit & alia fusè quibus crimen repellit & innocentiam chariſſimorum fratrum probat.Aliter autem exorta graui in Congregationem Marianam tempeſtate ſe geſſit, nam floccipendenda eſſe maleuolorum & obtrectatorum verba (inquit,) veritatem tandem aliquando erupturam, mentiri enim iniquitatem ſibi ac porrò ranarum eſſe coaxationes importunas quidem, ſed prætereà nihil,canum in Lunam latratus. Animi tranquillitate & maledicentiæ contemptu puniendos impios.Quamuis non deeſſent viri prudentes, qui vt exurgeret in ira ſua conſulerent,& peccatores illos terræ in matutino interficeret. Exurrexit tamen fortiter, & magnanimiter ad defendenda Eccleſiæ ſuæ iura,aduerſus Seſſellienſes.Horum Prioratus Cathedralium Canonicorum Collegio perpetuò vnitus eſt,& eius ratione Decimas ex iure debent,quarum perſolutionem,cùm diu negaſſent, fruſtráque Sanctus Epiſcopus in reducendis ad æquum illis laboraſſet,omnéſque viri probi cum eo, demum manu forti & brachio extento in Senatu Burgundię negotium arripuit, ſcripta ad intimum ſibi Præſidem hac Epiſtola, Aperto tecum pectore loqui volo, Mi frater, (ſic eum appellat) cum quo enim igitur? A quo hoc Epiſcopali munere fungor nihil ita me afflixit, ac Motus iſte Conſulum & Incolarum Seſſellienſium diebus præteritis factus contra pietatem & Iuſtitiam, litigant cum Capitulo meo ratione Decimarum, quas perſoluere non debere prætendunt, niſi ex triginta frumentariis faſcibus vnum, & quod ad vinum ſpectat, niſi ex ſexaginta equi oneribus vnum. Controuerſiam hanc conatus ſum, amicè componere, perperàm verò: neque enim boni iſti incolæ ſententias vllas, expeditas rationes, niſi ad eorum voluntatem deueniatur,ſubire volunt. Pendente lite vim ſibi magis fore propitiam quàm iuſtitiam arbitrati ſunt, & poſt multas minas id tandem fecere,quod vti ſpero Proiudex Bellicenſis expoſuit.Niſi fallor extremus fuit officij Magiſtratibus debiti con-

Franciſcus Eccleſiæ ſuæ iura tuetur.

temptus, & turbulenta nimis animi in Curiones & Eccleſiaſticos concitatio. Et affligor ſanè, niſi reprimatur hæc violentia, creſceret enim quotidie, & affligor prætereà ſi hæc ſeditio caſtigetur, quia ſeditioſi Diœceſani mei ſunt, & filij ſpirituales. Penſatis omnibus cupio ſecundùm, quoniam tandem afflictione opus eſt filiis, vt corrigantur, & Admonitiones fruſtrà fiunt, & ſatius eſt tribulationem eorum temporalem me deflere, quàm ſi in æternum ſeſe darent præcipites. Multi probi locorum illorum homines tumultum illum improbant, & moleſtia ex eo afficiuntur, nequiuere tamen torrentem diſtinere. Actus ergo ab officio meo duos iſtos Canonicos mitto: teſtes ſunt pluſquam oculares patrati facinoris, præſertim Philibertus Roges incomparabili vir pietate Theologus, & Diuini Verbi prædicator eximius, in quẽ commouerunt fœminas, vt eum in Rhodanum deturbarent, tanquam ſi malè in omnium famam loquutus fuiſſet, vnde excuſans ſe, Hei! inquit, timebam inter huiuſcemodi homines tantoperè, vt quamuis per totam vitam meam malè fuiſſem loquutus, tunc probè tacuiſſem. Denique nimis publica videtur mihi hæc inſolentia, vt diſſimuletur, nimis moleſta & faſtidioſa, vt impunita remaneat, nimis periculoſa, vt non reprimatur. Committo omnia tuæ prudentiæ, & rogo te, ſic velis agere, vt Eccleſia mea in ſuis iuribus ſubſiſtat, & deinceps homines illi in officio ſuo remaneant. Hæc ille. Sed quamuis à domeſticis eius venire dici poſſet hæc afflictio ſtatim tamen eum magis domeſtici affligere perrexerunt. Dynaſta quidam inſignis arbitratus eum Nobili cuidam fœminæ, quę in Monaſterium Viſitationis receſſerat, perſuaſiſſe, vt iura aliquot, & pecuniarum ſummam Congregationi remitteret, cederétque, cùm ipſe aliter deberi ſibi illa omnia autumaret, nullum exprobrationis, omiſit genus, nulla indigna & probroſa facinora prætermiſit in ſanctum Præſulem, qui tamen omnia flocci faciens, immotus perſtitit, & vide Domine (inquit) ne fortè ex falſis delationibus hæc agas, inquire de veritate primùm quàm iraſcaris? ego enim ſciui quid vellet ea Mulier? verumtamen facti author minimè fui. Intentauit minas Turbulẽtus ille. At ſanctus. Age, ait, pacificè, in neminem valent huiuſmodi minæ, at ſi fortè valerent, fallereris tamen apud me, neque enim eius ſum conditionis, vt probroſos hos à tui ſimilibus actus tolerare iuſtitia debeat. Porrò iratus vir militaris manſuetum

Indigna in Franciſcũ facinora.

Eius mãſuetudo & fortitudo.

ſuetum & tranquillum reliquit Antiſtitem, cùm ſucceſſit non modeſtior. Is potens erat, & in Militia ſancti Ioannis Hieroſolymitani, ſeu vt nunc dicitur, Melitenſis, Beneficiarius Eques. Seruum habebat, quem extra Gebennenſem Diœceſim ad ſacros Ordines promoueri curauerat, & cui tunc vacantem Parœcialem Eccleſiam in Curionis munus procurabat, ſed præſentatum ſolitóque tentatũ examine tanquam indoctum, ac (quod peius) non ita probis moribus, Saleſius reiecerat. Ille igitur iracundia excæcatus, poſtquam nihil non indignum effudit, tandem in hæc verba deuenit. Si nullius ego ſum apud te conſiderationis, deberes ſaltem cruci quam gero, honorem reddere; & Saleſius ſubridens, quomodo, inquit, crucem non venerarer, cum & ego eam etiam geram, & ad ipſius defenſionem librum compoſuerim? Elinguem & confuſum hæc verba prolata ſuauiter, virum alioquin violentum reddidêre, qui impetrata facilè deinceps inſolentiæ ſuæ venia modis omnibus, optimum Præſulem coluit, quem offenderat; adeò magnis per hæc tempora anguſtiis Saleſius ad virtutem exercitabatur, præterquam quod ſtupenda benignitatis ex pio in proximum animo ſtudióque opera quotidie exercebat; nam cùm magna eſſet annonariæ rei difficultas, langueréntque pleríque fame, ipſe bis in hebdomada omnibus ad oſtium ſuum venientibus ampliſſimam ſtipem curabat erogari, diebus item ſingulis fiebat idem, quamuis non ad deſtinatam horam: & prætereà quia multi in ciuitate verecundi pauperes erant, acceptis ab Confeſſariis eorum nominibus viginti quatuor modios frumenti diſtribui iuſſit, & modius triginta & triginta quinque florenorum valoris erat. Planè ob tam eximios actus cœleſtibus eum ſæpenumerò ſuauitatibus Diuina bonitas remunerabatur, & torrente voluptatis potabat eum, quo tempore præſertim ad libri ſui de amore Diuino compoſitionem calamum capiebat, fatigata cacodæmonis inuidia, & teneræ adeò ſuauitates illę erant, vt cogeretur plerúmque ad tergendos oculos ſcriptionem interrumpere, aliquando etiam abundantiſſimis lachrymis chartam madefaciebat: ſolemnis, hæc fuit Dei erga ſeruum ſuum dignatio. Octauo Calenpas Aprilis, quo die Incarnationis Dominicæ ſtupendum Myſterium ſub Annunciationis Beatiſſimæ Virginis nomine Eccleſia celebrat, è Concione in Eccleſia Collegiali habita redux, ſub veſperum recitandi roſa-

Franciſcus quam item mãſuetus.

Eius in pauperes charitas.

Conſolatur eum Deus.

rij cauſa ſolus in cubiculo relinqui voluit, cúmque recitaſſet, circa tantum Myſterium, ad cubitale ſuum precatoriũ ante Crucifixi effigiem, meditabundus in genua procubuit, & ecce poſt aliquot momenta decidit in eum ſub viſibili ſpecie Spiritus ſanctus, Igneus, ſcilicet globus, in multas flammulas mox diffiſſus, quibus hinc & inde, ſurſúmque & deorſum opertus, circumtectus ſalubri viuicomburio, & innoxiis ignibus exagitatus eſt: vt autem cecidit glans illa igniaria, ſtatim ipſe exiguo pauore apprehenſum ſe ſenſit, quem tamen mox depoſuit, & tanta cœleſtis amoris dulcedine eſt imbutus, vt deſint verba humano ori quibus exprimi poſſit. Subſtitit, toto vultu ignem ſpirans, & calida aliqua valetudine tentato ſimilis cùm amiciſſimus ei & familiariſſimus frater Ludouicus Toparcha Tullianus, vt ſæpè ſolebat, intrauit in cubiculum; Et valéſne, inquit, Domine? Egò ex vultu inflammato, non ita benè te habere coniicio. Cui ille, Minimè (ait) doleo, ex Dei gratia. At ne vim tibi facias (ſubiiciebat frater) interim dum ſeruos aduocabo. Ad verba properantem reuocauit; & noli (inquit) mi frater vocare quemquam. Ego quid habeam ingenuè referam, aut potiùs quid acciderit mihi, ſed fidem da nemini te id reuelaturum, ſecretum enim eſt Domini, tum cœpit enarrare omnia, totúſque narrando velut trepidabat. Et Tullianus ab illis temporibus peculiari quadam reuerentia ſanctum fratrem coluit, eiúſque actiones ſedulò annotare cœpit. Abſtinuit autem vir Dei ea nocte à cibo & potu, neque enim quidquam aliud agere poſſibile fuiſſet quàm in diuinis illis voluptatibus ſuauiari, & licèt id ignorauerint ſerui, coniecturis tamen euenisſe ei aliquid à Deo, vt ſæpè iam aduerterant, aſſequuti ſunt. Quadrageſimam coram eo concionibus tranſegerat Ludouicus Riuierianus ex Ordine Minimorum, & Sanctitatem ſuſpexerat. Feria tertia Paſchatis, qua ſolent Concionatores valedicere populo, ſic dimiſit Anicienſes. Quodnam vobis ſertum dabo abiturus? Quodnam vobis ſpeculum relinquam? Accipite Anicienſes Præſulem veſtrum, reſpicite in eum, ſit ille veſtrum exemplar, ſit ſertum, ſit ſpeculum, imitatores eſtote ſuarum virtutum, eſt enim Sanctus, & iterum dico Sanctus eſt, ipſum Salomoni compararem, verumtamen pluſquàm Salomon hic, dicam porrò. O térque quatérque beati Anicienſes, qui tanto fruimini Epiſcopo, poteſtis dicere quod Regina Saba de Salomone aſ-

Globus igneus in Franciſcũ orantem cadit.

ſeruit,

seruit,secundo Paralipomenon capite nono. Beati viri tui, & beati serui tui,qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. Demisit oculos,vir Sanctus, hæc audiens, & erubuit,ac post Concionem vocatum Riuierianum,acriter(si tamen ex suo genio poterat)corripuit,ob profusas laudes immeritas. Neque enim Sanctus sum(ait)vtinam essem. Ad quid verò me Salomoni comparare?Siquidem Egregius Salomon.Hei mihi!si meam scires miseriam omninò aliter proferres. Verumtamen Riuerianum hæc dixisse nunquam pœnituit,& omnis populus suum facilè symbolum ad vera verba tulit. Æstatis reliquum Salesius compositioni libri dedit, cuius aliquot semper capita,vel cum Tulliano fratre, vel cum Philippo Coëssio Sancathariniano, aliisque Cathedralis suæ Canonicis relegebat.Semel cùm venisset Renatus Faber Magni Antonij filius, Valbonius, Senator Sabaudiensis,& in Gebennesiano Auditorio Præses, ex aliquot aduersis negotiis interius angustiatus, consilium & consolationem accepturus, ductus est ab sancto homine Prophetiæ spiritu agitato in Musæum,vbi lecto vno aut altero ex capitibus libri,quidquid habebat in animo explicatum vidit, credidítque interiora cordis sui ab eo penetrata, nondum enim quidquam declarauerat,cum in conclaue duceretur,recessit porrò consolatione plenissimus,& Salesius Pridie Calendas Septembris Tononum profectus est, vt ibi Clericos regulares sancti Pauli stabiliret,quod tertio Nonas effecit,remisso eis Prioratu Cõtaminensi cum omnibus iuribus, fructibus, reditibus, & pertinentiis (vt aiunt) vniuersis tanquam sanctæ Domus membro,cui deinceps annexi & incorporati sunt. Reseruata tamen eidem Domui iurisdictione Getensi, & nominatione Iudicis Castellani Curialis & procuratoris officij, cum his oneribus, vt Patres Barnabitæ Gymnasij curam habeant, teneantque ad humaniores litteras quatuor Professores, qui vsque ad Rhetoricam inclusiuè doceant, vt Pueros Seminarij instruant, non alant, vt in Diui Augustini Ecclesia diuina officia secundùm suas Constitutiones celebrent,Confessiones audiant,Catechismum doceant,& vt mos est,concionentur.Quamobrem eis Ecclesiam,Domum, Aream, hortos, & Cæmeterium sanctæ Domus remisit. Ita autem sanctæ Domui annexi sunt,vt deinceps in eius Consilio post Patres Capucinos locum,sedem,& vocem habeant, in persona tamen

Franciscus Fabrũ propheticè cõsolatur.

Franciscus Barnabitas Tononij collocat.

Superioris tunc temporis exiſtentis, & ſocij, quem maluerit: de reliquo ad omnia Prioratus onera obligantur, & cum videbitur docendam eſſe Philoſophiam, aut Theologiam, Tenebuntur iidem Patres ex proprio Ordine Profeſſores habere, & præter ſolitos annuos reditus dabuntur à ſancta Domo vnicuique quinquaginta ducati. De nonnullis aliis conuentum eſt, quibus omnibus ſubſcripſerunt, præter ipſum Saleſium Motorem & authorem, Veſpaſianus Archiepiſcopus Viennenſis, Cleriadus Gebẽnenſis, Thomas Bergiera, Blonnayus, Claudius Magninus, Petrus Boiatus, Thomas Malpellus, Ioannes Caſtillio, Paruus Ioannes, Mauritius Aurillio, & Iuſtus Guerinus Barnabita. Illuſtrauit Tononienſium Vrbem fauſtus hic Doctorum & Religioſorum hominum aduentus, & toti profuit Caballio; ſed & patribus illis procurata ab ſancto Præſule duo loca Anicium & Tononum fœcundiſſima fuêre Seminaria, ex quibus in Galliam vniuerſam breui emerſerunt: Dum hæc aguntur, Dionyſius Simon Marquemontius Archiepiſcopus Lugdunenſis viſitationis Officium reciprocum erga Saleſium meditabatur, & erat quæ eum etiam commoueret cauſa, quippe de ſororibus Viſitationis Beatæ Mariæ cum ſancto Inſtitutore conferre putabat operępretium, cenſebátque ad perfectiorem ſtatum immutandum nonnihil eſſe. Itáque tertio Calẽdas Nouembris Anicium appulit, effuſa eſt in eius aduentum cum Saleſio vniuerſa penè ciuitas, nullúmque honoris genus erga tantum Hoſpitem prætermiſſum eſt. Calendis Nouembris Sanctorum omnium feſto Cathedralem Eccleſiam ſuo ſolemni ſacrificio & concione exornauit. Patribus autem Barnabitis inprimis inſigne ſuæ beneuolentiæ teſtimonium exhibuit. Sed dum longiorem moram trahit, non prætermittenda res in Saleſij Sanctitatem euenit. Vacabat Paroecialis quędam Eccleſia tunc temporis, & concurſus habendus erat. Ad Diem & horam examen ſubituri Doctores multi comparuere, & inter eos vir Nobilis Eccleſiaſticus, ſed qui litteras ab vltimis finibus ſalutauerat. Is Principum litteris tantùm fiſus iactabat ſe de Beneficio indubiè obtinendo, & immodico ob Nobilitatem ſuam faſtu efferebatur. Proteſtabatur autem inprimis reſpondere ſe velle ad omnia lingua Gallica, & dummodò interrogationes idiomate Latino non formarentur. Accidit ad aperturam libri Miſſalis explicandum eſſe locum illum Euangelij Matthæi vige-

Marquemontius Lugdun. Franciſcũ inuiſit.

ſimo,

simo, immò & Euangelium Missæ integrum (vt solet) in quo Mater filiorum Zebedæi petit à Domino pro filiis suis sessionem ad dexteram & ad sinistram in regno eius, cui aut quibus Dominus respondet, nescitis quid petatis. Ne verbum quidem rectè traduxit stolidus ille, & nihilominus ferocibus dictis insultare non desistebat, cùm nemo tota aula esset, qui in risum & miserationem simul non effunderetur. Tunc Salesius. Vt Domini verbis vtar, nescis quid petas, (ait) Beneficium quidem possidere potes, & de reditibus saginari, at animarum Curæ rectè incumbere nequis, quandoquidem tam exiguè doctus existis, itáque Beneficium illud Curionium non est meum dare tibi. Non enim dator sum Beneficiorum, sed dispensator; ideò inter magis idoneos dispensare debeo. Siquidem Doctori eximio Beneficium illud venit, & Reprobatus Ecclesiasticus in iram versus minas intentare cœpit, & scripturum se ad Principem dixit, spretas fuisse eius litteras; sed hæc omnia inter auditores & spectatores in ludibrium abierunt. Non tamen insolentiæ suæ temerarius homo modum imposuit, nam post aliquot dies stanti in choro ad hemyciclum suum, Dominica quadam die, dum celebrarentur Diuina officia, sancto Præsuli non erubuit, sed nec dubitauit libellum famosum mille refertum conuiciis porrigere. Contempsit indignum ac horrendum facinus Mitissimus Antistes. Cum tamen Canonicorum vnus scriptum illud maledicum legisset, scelere ad Capitulum delato grauiter ex iustitia in reum procedebatur, & exibat breui damnatorium iudicium, nisi Episcopus ipse, qua erat Sanctitate, precibus etiam erga Capitulum suum vsus fuisset, vt concepta & scripta sententia oblitteraretur. Plus etiam fecit: eidem enim, non ita multò post, honorificentissimũ munus pro sua conditione apud Sereniſſimos Principes, sponte procurauit, & continuis deinceps fauoribus est prosequutus, vnde per vniuersam Sabaudiam inualuit prouerbium, offendendum esse Salesium, vt ab eo omnis generis beneficia haberentur, sed reuera in illa Christi imitatione de dilectione inimicorũ vir nunquam satis mirandus excellebat, neque enim vllus vllam vel minimam in eo vindictæ notam vnquam obseruauit. Marquemontius Sãctum pronunciauit, ac deinceps, vt talem coluit, nec eum quantumuis Archiepiscopus, Patris vocare nomine est dedignatus. Multa inter tam præclaros Pontifices pro Congrega-

Franciscus quàm iustitiæ obseruator.

Francisci patientia & mansuetudo.

Franciscus à Marquemontio Sanctus appellatur.

tionis Marianæ bono acta ſunt, inprimis autem concluſum obſeruandum eſſe à ſororibus omnibus clauſtrum, & apud Apoſtolicam Sedem ſupplicandum vti Congregationem illam in religioſum ordinem erigere dignaretur. Quibus omnibus ſic rectè conceptis, reditum Archipræſul adornauit: Sed ô lubricas hominum mentes! Penè Anicienſem ſitum cognouerat, cùm ſtatim ad Sereniſſimi Ducis aures delatum eſt, eum cum Saleſio verſari, & Dux quidem ſuſpicionem quam anteà prorſus repudiaſſe videbatur, reſumpſit, ſcripſitque ad Sigiſmundum Ateſtinum, Marchionem Lancæanum Sabaudiæ Gubernatorem, vt ſciret à Saleſio omnia quæcunque egerat Marquemontius Archiepiſcopus Lugdunenſis: & Marchio ſtatim paruit, tabellariúmque ad Saleſium miſit. Si miratus fuerit Saleſius ſuſpicionis vanitatē dicere ſuperfluum eſt, & tantum abeſt vt turbatus fuerit, quin potiùs vix à riſu abſtinere potuit: reſpondit tamen non mora Marchioni in hanc ſententiam. Deum & eius Angelos hac in occaſione reſpicio, vt nihil niſi cum ea quam debeo veritati reuerentia hîc dicam. Ab Aduentu Reuerendiſſimi Lugdunenſis Archiepiſcopi in ſuum munus, fauoris ille litteras ad me ſcripſerat, quibus obſecrabat vt ſanctæ ſecum amicitiæ fœdus inirem, ad veterum primitiuæ Eccleſiæ Antiſtitum imitationem, in quibus cor vnum erat, & anima vna; quique per reciprocam inſpirationum, quas è cœlo recipiebant, communicationem alter iuuabat alterum, & portabat onus; inprimis autem cum vicini erāt. Et quia quod ad Ordinem ipſo ſum antiquior, venturum ſe ad me ſcribebat, vt ex ea quam in noſtro munere habere poſſum experientia proficeret, hæcque & ſimilia alia ſtupendæ humilitatis & modeſtiæ verba ſubiiciebat. Ego huic honori præueniendum ratus, cùm Præſulum Francicorum primus ille ſit, ego verò poſtremus, ad eum inuiſendum Lugdunum profectus fueram, vt ſcis, & ille Viſitationis mutuum reddere ex ſua comitate voluit, occaſione capta eius quam per ſuam Diœceſim faciebat Lagnieuij, Sanctandreæ, Groleæ & aliis locis in quibus iam diem habebat vnum ex tribus, qui hinc Lugdunum vſque ſunt. Et Aduentum quidem eius niſi pridie ignoraueram, licèt enim iam à diebus ſex Iacobus Demedio ex hac Prouincia oriundus, ſed Lugduni in ſancti Nicetij æde Canonicus ſcripſiſſet, autumare ſe, Archiepiſcopum Viſitationem ſuam huc vſque extenſurum,

Franciſcus apud Ducē criminibus oneratus.

Franciſci ad Marchionem Lanceanū Epiſtola.

ſurum,nihilominus ambigebam valdè,quapropter ſeruum à pedibus me de omnibus certiorem redditurum miſeram , qui die Iouis tantùm redierat, & Archiepiſcopi aduentus die Veneris fuit.Non clam autem venit(vt ſolent qui de rebus odio obnoxiis agunt)ſed ad omnium ſcientiam & conſpectum,ſecúmque octo duxit homines Equites,inter quos alicuius notæ nullus erat prę-ter D. Ioannem Claudium Villanum Doctorem Theologum & Concionatorẽ percelebrem, Roſſillione non procul Sam-Ramberto oriundum & D. Remundũ Eleemoſynarios ſuos. Iſtic autem res nullas ſæculares,quæ niſi fallor nobis ambobus nauſeam pariunt, nec Eccleſiaſticas egimus,aut diximus, aſt purè & ſimpliciter de munerum noſtrorum officiis , de Eccleſiaſticis ritibus aliiſque huiuſmodi rebus merè ſpiritualibus loquuti ſumus. Excellentiſſimas duas habuit Conciones, vnam quidem in Eccleſia Cathedrali, alteram in Barnabitarum Collegio die Diuo Carolo feſto,pietate & zelo plenas. Variis in locis Miſſam quotidie celebrauit , & de nullis niſi vocationi noſtræ congruentibus negotiis vnquam tractatum eſt. Non parum me tibi deuincies, ſi Ducem hac de veritate certiorem reddas , honorem illi meum famámque oppignero , & Deo ſcienti conſcientiam meam & ſalutem. Et ſi permittis, dicam tibi in ſpiritu libertatis, natum me, educatum , inſtructum , & breui ſenem factum in ſolida erga Supremum Principem noſtrum fidelitate , cui me præterea mea conditio,& quæcunque tandem fieri poſſint humanæ conſiderationes arctiſſimè ligant.Ego & mei omnes eſſentialiter Sabaudi ſumus , nec quidquam aliud eſſe ſcirem. Itaque ignoro penitus quamobrem ſuſpicionem dare vnquam poſſum,præſertim cum ſic hactenus vixero. Ex tua mihi gratia polliceor Suæ Celſitudini ſatisfactum iri , nihílque amplius huius ſuſpicionis futurum, quæ bonum Archipræſulem afflictione cumularet, multò magis quàm me, qui cum tẽpore & occaſionibus fidelis ſemper agnoſcar. Planè fortem animum & nullis fractum aduerſitatibus ibi videre eſt.Perrexit cum Marquemontio de rebus Congregationis Marianarum Sororum conferre per litteras , & magnum aliquid ex eius conſilio moliri, ſed interea dum Diuino ſpiritu ambo agitantur , prodiit in lucem liber Angelicus , ac omnibus vel præſtantiſſimis excelſior Epithetis,de Amore Diuino.Qui enim amplitudinem operis,grauitatem materiei,& texturę artificium

Franciſci liber de amore diuino in lucẽ prodit.

volet perpendere, nunquam eius condignum valori pretium dabit: ibi tanquam in sacris tabulis, vir Dei, historiam natiuitatis, progressus, labis, operationum, proprietatum, prærogatiuarum, priuilegiorum, & excellentiarum Diuini amoris repræsentat tanta cum prestantia, vt scriptores omnes, quotquot extitere, procul dubio superet, & futuris omnem ad tantam attingendi perfectionem spem amputet, & auellat. Dici potest liber ille perfectissima Theologiæ summa, in qua voluntas cæteris purgata affectibus, in scientia sacri amoris currit, & discurrit; & vbi non vt in aliis summis Theologicis diuinæ pulchritudines & perfectiones vt ad intellectus nostri comprehensionem accommodari queant, restringuntur, sed voluntates & amantis animæ potentię ad diuini amoris amplitudines, & altitudines dilatãtur, & eleuantur. Nihil ita occultum & mysticum fit inter castos Sponsæ formosæ, & cœlestis Spõsi amplexus, quod non explicet, & declaret excellenti adeò & sancto modo, vt quamuis diuulgatus minimè tamen prophanetur. A natura tam congruas haurit similitudines, tam appositè eas applicat, vt eam solam ob rem videantur eæ res à Deo creatæ, Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt visibilia & materialia, adeò reddit intelligibilia, vt nihil ad perspicuitatẽ addi possit. E Theologię scholasticę spinis, & tribulis rosas carpit, quas absque spinis lectori exhibet. Materias scholasticas adeo pertractat mysticè, mysticas adeò amanter, amatorias adeo castè, vt nescias plúsne scientiam, an prudentiam, an sapientiam, an charitatem, an puritatem doctissimi, sapientissimi, amantissimi, & castissimi authoris mirari debeas. Eam habet styli elegantiam, vt accuratissimus in eo censor, vix, ac ne vix quidem mordere queat. In eo autem libro seipsum planè describit, nec qui ingenium eius, & animam abstractam volet agnoscere, ad alia recurrere debet quàm ad librum illum; fecit enim acuratissimè Salesius quod docuit, immò docuit quod fecit, veréque speculum fuit, quòd receptos diuini amoris radios per reflexionem transmisit. Cæterùm non omnibus datum est librum illum intelligere, nisi quibus à Patre luminum, & non omnes capiunt verbum illud. Aquilini oculi habendi sunt, est enim sol micantissimus, gustus purus, & à terrenis minimè cibis deprauatus, est enim manna absconditum, quod nemo cognoscit, nisi qui recipit, & nemo recipere potest, nisi mentem habeat benè erga numen

Franciscus seipsum in libro suo describsit.

men affectam, vacuámque vitiis, vel saltem ad Diuinorum charismatum receptionem benè dispositam. Generalem omnium applausum tulit & admirationem. Patres Societatis Iesu ad Sanctorum Patrum Ordinem eum retulerunt. Bruno Affringuius Carthusianus, qui viso Introductionis libro ad Salesium scripserat, vti nihil præterea deinceps scriberet; viso isto nouissimo rescripsit, vti ad maiorem Dei gloriam & animarum salutem scribere non desisteret. Habuerunt eum statim Theologi omnes, & à Doctoribus præsertim Sorbonicis Parisiensibus eam laudem tulit quam merebatur, vt scilicet, cum libris Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, cæterorúmque Doctorum Ecclesiæ pari passu procederet. Ac quod ad Francos Nobiles attinet, ob illustre hoc opus pro iis Renatus Grossus Saniorícianus Eques torquatus de viro Nobili nobile testimonium exhibuit, ludens ad Anagramma FRANCISCVS DE SALES. SAL ES, FRANCIS DECVS. Hos tuos argutos Sales (inquit) Salesi, qui Sal es amoris Dei, Franci non odio habebunt; quia Salem, amorem, & humanitatem præ cæteris habent; non odio habebunt seriò, bis seriò, bona fide, & veteri Gallico candore habe dictum, quia quidquid salsum aut salubre in oratione, id proprium Francorum est; Francorum inquam, qui non calliditate aut robore, sed pietate ac Religione omnes gentes nationésque superant: Non odio habebunt Salesium. Quin imò Francisce, vt flumina per se dulcia cùm in mare veniunt salescunt, Francicum salem huius operis purum nitidúmque Francis decus esse, & à Francis secus omnium amantium dulciter amari, in eo cum sit amari nihil, qui non vident, illis non solùm animum pro sale datum, sed sale consperfos ne putrescant, censete vos qui estis Sal terræ, vt sacra pagina docet, & qui, vt veterum opinio fuit, sacras facitis mensas Salinorum appositu. Iacobus quoque Magnæ Britanniæ Rex, qui tantoperè librum Introductionis laudauerat, lecto isto teneri se desiderio magno dixit authorem videndi & cum illo conferendi, nec fieri posse quin magnus esset, obiurgasséque dicitur suos Episcopos quod nullus eorum his de rebus cælum prorsus & Angelicam mentem sapientibus hucusque scripsisset, vel scribere auderet. Miram sanè in hæretico de Romana doctrina Sententiam! Salesius his auditis. Hei (inquit) Quis mihi det pennas sicut columbæ & volabo ad Regem illum, in Magnam Insulam illam

Francisci apud Nobiles Gallos fama.

Francisci in Angliã zelus.

illam denſa errorum caligine circumtectam, Inſulam inquam, quam olim Sanctorum Patriam Boni omnes appellabant. O viuat Deus. Si permittat Dux Sereniſſimus, ſurgam & ibo in Niniuem. Regem alloquar & dicam ei, etiam cum periculo vitæ meæ verbum Domini, verbum quod fecit ad mille generationes. Deflebat bonus Antiſtes tanti Regis & regni miſeriam, ſéque peculiari quadam propenſione in illius amorem & ſalutem ferri aiebat, nec vnquam de magnis illis ſiue Præſulibus Anſelmo, Thoma, ſiue Regibus Eduardo & aliis mentio erat, quin cum miſero hæreſis & ſchiſmatis ſtatu tempora illa conferendo inſiti mœroris verba proferret, & ſuſpiriis conuerſionis votum teſtaretur. Verùm dum laudatur ab extraneis, & vt vir ſanctus vbique prædicatur, à ſuis deſpicitur & conuiciis exagitatur. Conceperat odium in eum non ita pridem Vir quidam Nobilis ac potens in ſæculo, de cætero autem nequam & moribus deprauatiſſimis: hic nonnullas callens litteras, Satyras in Saleſium compoſuerat, & paſſim in eum peſtilentiſſimæ maledicentiæ virus vomebat cùm tamen id ageret perperàm, viderétque nihil moueri ſed nec turbari eum, continuis noctibus aliquot Hyeme cum altiſſimæ niues eſſent, ante Sancti Paſtoris ſui feneſtras canes conduxit quibus trahi à ſeruis & ganeonibus ex vrbe iubebat aures, vt luporum in morem vlularent, plura quoque: nam & venantium ad inſtar vociferabantur, & ſtlopos emittebant, ita vt non ipſe dumtaxat Præſul ſed vniuerſa ampliſſimi vici vicinia noctes ducere inſomnes cogeretur, & nemo erat qui inſolentiam hanc auderet reprimere, fruſtra quoque ob eius potentiam à Iuſtitia laboratum fuerat. Domeſtici Saleſij ſerui conficiebantur rabie, & egredi cum armis ad profligandos ganeones illos volebant: verùm nunquam permiſit, ſed ſinite, inquiebat, pluſquam nos patiuntur miſeri: nos enim hîc calidi & ſub tecto ſumus, illi in patenti auſteritatem hyemis excipiunt, & cum venerit manè ſomno obruti adhuc peius requieſcent. Cúmque in tanto tumultu dormire impoſſibile foret, ſurgebat è lecto, & ad Crucifixi pedes pro illis orabat, aiebátque ad Dominum imitatione Chriſti: Pater ignoſce eis, quia neſciunt quid faciunt. Proiiciebant aliquando lapides in feneſtrarum clauſtra vitrea, quæ frangebāt, & Saleſius Diui Stephani memor orabat: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Perrexerunt tamen & addentes ſceleri ſcelus, limen & oſtium

Franciſci patientia & manſuetudo.

ſtercore

ſtercore inquinarunt. Nec deſtiterunt ab his flagitiis quouſque inſanum eorum authorem in Colloquij exedra Monaſterij Viſitationis Vir Dei obuiàm habens, tanquam ſi nihil vnquam contra ſe egiſſet amiciſſimè ſalutauit & amplexatus eſt, additis etiam ex ea qua valebat manſuetudine & comitate, ſuauiſſimis beneuolentiæ verbis. Stupuit ſi quis vnquam ex hac verè Chriſtiana agendi methodo miſer ille, breuibúſque verbis quamuis non ita diſertis, neque enim ad id eum Saleſius impellebat, veniam implorauit, conteſtandóque poſtea plus ſe ex ea ſancti Epiſcopi actione quàm ex centum librorum lectione, vel centum Concionatorum auditu profeciſſe denunciauit. Ea tempeſtate inter eiuſdem Germanum fratrem virum dignatione Marchionem, qui & ipſi Saleſio odium vouiſſe videbatur, & præſtantem genere & opibus Dynaſtam infectum diſſidium exarſit, quod nouis in dies offenſionibus creſcebat & illud ferro non aliter dirimendum omnes cenſebant. Venerat is Anicium decertandi animo duodecim Equitibus ſtipatus, ſed trāſiens per Sanclarianū vicum ante Epiſcopi feneſtras viſus eſt ab eo, & ſalutatus, necnon velle ſibi loqui eum ex ſignificatione facta cognouit. Non mora dum deſcendit Epiſcopus è cubiculo, & ille ex equo, ſed ad prima ferè verba, ſcire eum animum ſuum cum Marchione pugnandi, quem nemini aperuerat, demiratus eſt. Saleſius pacem ſuaſit, ſéque Arbitrum futurum promiſit, & tandem ex ſuo in proximi ſalutem ſtudio, & labore inimiciſſimi viri couciliati ſunt. Acrior interea exorta eſt controuerſia inter Sereniſſimum Allobrogum Ducem & Mantuanum, occaſione iurium illius in Montferratenſem agrum, quem iſte poſſidebat. Armis quidem agendum erat, quandoquidem aliter haberi ratio non poterat: tremuit ad initia belli vniuerſa Italia, ſed & cæteræ finitimæ Prouinciæ conturbatæ ſunt, Mantuani cauſam tueri Rex Hiſpaniarum Mediolano ſuo timens conatus, & in Allobrogis iura Chriſtianiſſimus Monarcha exurrexit. Breui Gallicis & Hiſpanicis, Italicis & Germanicis ſiue in Sabaudorum, ſiúe in Mantuanorum auxilium militibus Subalpinæ planities circumfluxerunt. Saleſius tempora & mores deplorauit, ac quod ſuum erat in Principis ſui ſubſidium cōtribuit, ſolemnes per vniuerſam Diœceſim preces inſtituit, & auguſtiſſimum altaris Sacramentum pacis & communionis vinculum expoſuit, populúmque ſuum

Franciſcus Dynaſtas dúos conciliat.

ad pietatem tanto amplius quanto abundare videbatur iniquitas, adhortatus eſt. Quo facto dum furiosè illic pugnatur, non deſiſtebat in cœlum leuare manus, & frequentibus virtutum actibus Deum optimum Sabaudiæ reddere propitium. Pauperum inprimis curam habebat, fames enim belli ſocia erat. Nobilis quidam cauſarum Patronus filium habens Lutetiæ Pariſiorum Theologicis ſtudiis incumbentem, ſed præ inopia ferè ad extremitatem neceſſitatis redactum, recurrit ad Saleſium, ſuam detexit pauperiem, & permagnam nummorum ſummam dono ab eo obtinuit; imò cùm eam mittere Lutetiam ob itinerum metum non auderet, bonus Præſul nouo damno fortè futuro miſit, additis etiam litteris quibus candidatum ad ſtudioſitatem & pietatẽ animabat, vt omnes apud quos res ea peruenit nõ potuerint nõ valde ſancti viri charitatẽ ſuſpicere & mirari: & tamẽ is ille Cauſidicus erat, quo nullus ei ſub officioſæ viſitationis prętexta cauſa moleſtior eſſe debuerat: nã eũ ſæpiſſimè intolerabili cuiuis alteri imprudentia per quatuor & quinque horarum ſpatium de rebus nullius momenti occupabat. Perrexit ad Beneficentiæ opera magnus Epiſcopus. Ioannem Neyretum in Parœciali Thonnæenſi Eccleſia ad Geneuæ portas Curionem iampridem collocarat, is ad inopiam ex temporum & bellorum iniuriis redactus, quo ſe verteret ambigebat, Præſulem conueniendum ſtatuit, qui eius ſortis miſeratus, ac eo magis quod Eccleſiaſticus eſſet, & Hæreticorum ludibrio expoſitus, cùm Rollandum rebus domeſticis Præfectum non haberet in promptu, duo ei argentea candelabra ſui ſacelli magni ponderis in eleemoſynam dedit, & Curio ea Geneuæ vendidit, vnde haberet quod viueret, eáque redimi nũquam poſtea Saleſius paſſus eſt. Ægrorum etiam per hos dies viſitatione, & conſolatione, necnon & ſanatione fuit mirabilis. Iacebat ad mortem derelictus à Medicis Bernardus Paris Ciuis & Piſtor Anicienſis, is ipſus de quo antea mentio Huguettæ pater, Saleſius eum inuiſit ac interrogauit de conſcientiæ ſtatu tum cæcum & elinguem, mortémque habentem præ dentibus ſalutifero crucis ſigno muniuit, benedictionéque ſacra eſt impertitus, fletus & gemitus per totam domum audiebantur: ſed vna præ cæteris Maria coniux conficiebatur lachrymis & quæſtibus. At Saleſius ad eam conuerſus, Noli flere (inquit) Maria, orandus eſt Deus & Maritus viuet, hoc dicto do-

Franciſcus belli tempore manus leuat in cœlum.

Franciſci in proximum charitas.

Franciſci mira beneficentia.

Franciſcus de ægri ſalute promittit.

mo

mo egressus est & cum suis Canonicis qui multi comitabantur eum iuit ad Vesperas. Ex ea autem hora reuixit Paris, & breui restitutus est pristinæ sanitati, quam Salesij debere se precibus tota deinde vita professus est. Patri quoque Claudio Nicolao Ludouico Coësio Tallorienſis Cœnobij Priori pestilenti febre laboranti precibus, idcircò rogatus salutem impetrauit, vt & eidem postea omnimoda fides fuit. Sanabat corpora, sanabat & animas. Concionẽ habẽs in Diui Dominici æde aduertẽnsq; inter Concionandum adesse nobilem & insignem hæreticum, sic appositè ad rem transiuit ad controuersias, sic Catholicæ veritatis detexit pulchritudinem, vt formato statim hæreticus ille conuersionis animo, absoluta concione eum conuenerit, & orthodoxam fidem fuerit amplexatus. Consolatione fruebantur in suis miseriis Anicienses tanto freti Pontifice, & ad eius aspectum sumebant vires, cùm turbauit omnia subitus belli horror. Quippe Dux Nemorosius, qui non ita pridem excesserat, haud satis liquido in Sereniſſimum Ducem animo, dum sæua essent apud Subalpinos prælia, cum potenti exercitu superauit Rhodanum, intrauit in Sabaudiam, ac supremum in Gebennesio Dominatum armis sibi acquirere conatus est. Penè Ciuitas Anicienſis occupata, sed elusis hostium insidiis trium tantùm dierum obsidio fuit, quibus pendentibus solus Salesius spes fidelium Ciuium extitit, cúmque à peioribus multi trepidarent, propheticum ille spiritum suum ad reficiendos populos insumpsit. Euanescet inquiebat, hæc Clypeorum coactio, sic motum illum vocabat. Pergebant tamen non pauci eum admonere, periculum esse si vrbem expugnaret hostilis exercitus, in eo enim quamplures esse hæreticos, qui in eum potius quàm in cæteros irruerent: caueret idcircò sibi, viderétque an pretiosiorem saltem suppellectilem in securiorem locum deberet transmittere, & se etiam in tutum reducere. Audiebat hæc consilia tanquam ab amicis serenus, respondit verò. Non maiori me prosequũtur odio aduersarij quàm cæteros, adeóque si veniant feritatem eorum simul cum misero populo feram. Oneri incumbam meo, Deo iuuante: si detur Vesperarum signum, ibo, si expediendæ fuerint litteræ scribam: si impetu irrumpat in vrbem miles, & nocendi mihi intentionem habeat, ecce me in Diuinæ prouidentiæ manibus positum. Sed nihil horum erit, Confidite populi mei, Magni isti Principes

Franciscus hæreticum conuertit.

Franciſci prædictio.

Franciſci æquanimitas & constantia.

satis conuenient, & conformabitur sanguini sanguis. Adeò pacem possidebat profundissimam, quam de eo loquens Petrus Berullius aiebat esse imperturbabilem. Et reuera statim in consensionem reuocati sunt, postquam Victor Amedeus Subalpinorum Princeps cum valido etiam exercitu superauit Alpes, hostilem vim si qua esse debuisset repressurus. Anicium autem subsidio veniens Magnus Princeps rectà ad Salesij ædes descendit. Qui inter cætera quæ cum eo egit, hæc pro Religiosorum vtriusque sexus reformatione capita manu propriâ scripta porrexit. Religiosorum subter Abbates & Priores Pontificiâ fiduciâ impertitos summissio lites semper, rixas & iurgia non minimæ inter ipsos ruinæ generat. Fortè igitur par esset, Portionem Religiosorum Monasterij & Ecclesiæ ab Abbatis huiusmodi aut Prioris portione separare, ita vt nihil Religiosi cum Abbate agẽdum haberent, nec Abbas cum Religiosis, vt vtilissimè in Abbatiis Sancti Victoris & Sancti Germani Lutetiæ Parisiorum factum est. Et hoc modo omnimodam haberent authoritatem Superiores Claustrales ad Monasteria rectè reformanda Religiosorum portiones in commune reducendo, possent etiam tertio quouis anno Superiores per electionem mutari. Et vt reformatio faciliùs fieret, Ordinem istum prius Talloriis constitui oporteret, vbi iam validum est Reformationis initium: deinde Tallorienſi Monasterio cætera omnia Ordinis Diui Benedicti submittere, vt in iis eadem reformatio institueretur. At quod ad Monasteria Ordinis Cistercienſis, non video vllam in iis fieri reformationem posse, nisi Religiosos Fullienses immittendo, vt factum est Taurini ad Consolatam, Pinerolij, & Abundantiæ. Sunt præterea Monasteria Canonicorum Regularium Sancti Augustini, in quibus æquè reformatione opus est, & quæ nisi mutatione Ordinis difficilè fiet, & expedire videtur aliqua in vrbes reduci, vt Intermontanum Ordinis sancti Ruphi in oppidum Rupense ad augendum Canonicorum numerum, & insignem ibi Dei cultum cum Theologali & Pœnitentiario instituendum, ratione viciniæ & commercij Geneuatum. Alia in Congregationes Sacerdotum Oratorij conuerti possunt, vt Monasterium sancti Sepulchri, & alia Anicienſi vniri Gymnasio, vt Monasterium Pellionense. Iam quod de reducẽdis in vrbes Monasteriis ad augendum Canonicorum numerum dictum est, spectat ad Sabaudicæ

Francisci articuli pro religiosis reformandis.

dicæ Nobilitatis emolumentum, quæ cùm multa sit, non ita tamen diues est, & nullo modo filios Ecclesiasticæ professionis cupidos promouere potest, nisi ad Beneficia quæ in Prouincia distribuuntur, vt sunt Curionia & Canonicatus, qui quidem sanctè introduci possent, vt nisi per concursum Nobilibus aut Doctoribus distribuerentur. Itáque Sua Celsitudo suum instruere posset Oratorem, vt à Summo Pontifice commissionẽ ad Archiepiscopum Tarentasiensem, & Episcopos Maurianensem & Gebennensem ob res illas, ita nihilominus, vt si fortè vnũ ex iis abesse contingeret, duobus aliis integra facultas esset, obtineret. Procuratoribus suæ Celsitudinis, vbi opus foret, intendere iussis, & Senatui re ad omnes occasiones commendata. Quod ad Religiosas fœminas, reduci item in oppida tria Monasteria Ordinis Cistercienſis oporteret, vt earum paterent actiones, vt meliùs spiritualiter iuuarentur, & ne inimicorum fidei & status incursionibus, Grassatorum insolentiæ, & Cognatorum amicorúmque vanarum & periculosarum visitationum confusioni remanerent expositæ. Includere verò eas ruri procul ab auxiliis miseras captiuas reddere est, non Religiosas, vt in vrbibus per piarum adhortationum frequentiam intenditur. Et ita statuit Concilium Tridentinum. Igitur in hanc vrbem reduci possent sorores Diuę Catharinæ, Rumilliacum Sorores Boni loci, & Sanioannem Maurianæ, vel Montem-Melianum Sorores Bettonenses. Sorores autem Diuæ Claræ extra Camberium in ipsammet vrbem reducendæ essent. Itaque Sua Celsitudo Oratorem item suum posset instruere, vti duas ab Apostolica Sede iussiones obtineret; vnam Abbati Cistercienſi Ordinis Generali, vt expeditè Religiosas illas ad reductionem cogat, donec Monasteria construant: aliam Episcopis Maurianensi & Gebennensi, qui Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreta stabiliant, & Superiores eis constituant, ad quos cùm opus fuerit recursus facilè habeatur, cum iisdem ad Senatum & Procuratores præceptis. Placuerunt Religiosissimo Principi hæ rationes, & eas in tempore ad effectũ producendi sancto Præsuli promisit, qui pacatis rebus omnibus in Sabaudia, & reuerso ad Subalpinum bellum cum Sabaudicis copiis Principe, ad formandas Congregationis Marianæ Constitutiones animum & operam adhibuit. Cùm Marquemontius per litteras eum ad id incitare non desisteret, & si supplicandus sum.

Franciſcus Monialibus Viſitationis conſtitutiones dat.

mus Pontifex eſſet, vt in Religioſum Ordinem Congregationem illam erigeret, omnia ad amuſſim ordinata & compoſita, exhibenda forent. Implorata igitur ſancti Spiritus ope, & diuerſorum Ordinum variis Conſtitutionibus viſis, conſideratis, has Saleſius conſcripſit & conſtruxit. Multæ fœminæ diuinitus actæ ad vitam religioſam ſæpè adſpirant, quæ tamen vel ex naturali imbecillitate, vel ex ætate iam prouecta, vel denique ex impoſſibilitate quam in ſe ad auſteritates ſentiunt, Religioſas domos, in quibus ſeuera eſt exterioris pœnitentiæ obſeruatio, ingredi nequeunt. Ideóque medios inter ſæculi tumultus continuis expoſitæ peccandi occaſionibus, vel certè à pietatis feruore decidendi remanere coguntur. Magna profectò commiſeratione dignæ. Vt igitur eæ animæ deinceps ad perfectionem diuini amoris vacare queant, abſque eo quod nimia auſteritas debiles & infirmas auertat, hæc Congregatio erecta eſt. Quamobrem Viduæ æquè ac puellæ & Virgines recipi poterunt, dummodò filiis ſi quos habebunt legitimè exoneratæ ſint, & ſuis negotiis ſufficienter prouiderint, prout Patri Spirituali & hominibus conditionatis, quorum conſilio quieſci poſſit, expedire videbitur, vt mundanis omnis murmurationis aufferatur occaſio, & perturbatio auertatur, quam per inutilem & imprudentem de rebus quas in mundo reliquerunt ſollicitudinem, viduis inimicus cauſare ſolet. Secundò recipi poterunt illæ, quæ vel ex ætate, vel ex aliqua imbecillitate corporea ad alia Monaſteria accedere nequeunt, dummodò ſanæ ſint mentis, & benè diſpoſitæ ad viuendum in humilitate profunda, obedientia, ſimplicitate, manſuetudine, & abdicatione: exceptis tamen iis quæ alicui contagioſo morbo, vt lepræ, ſtrumis & his ſimilibus obnoxiæ eſſent, vel vrgentibus adeò laborarent infirmitatibus, vt omnimodam haberent ad Obſeruationem Regulę & ſolitorum Congregationis exercitiorum ineptitudinē. Tertiò, Robuſtæ & benè à natura diſpoſitę recipientur tanquam à Deo vocatæ ad auxilium & ſolatium infirmarum, & quemadmodum debiles fructu ſanitatis robuſtarum, ita robuſtæ reciprocè merito patientiæ debilium fruentur. Et vt tum illæ cùm iſtæ ſemper ad Congregationem poſſint accedere, Superior Mater ſedulò aduertet, vt nullæ auſteritates corporeæ ſiue directè ſiue indirectè, præter ſtatutas quæ obligent, vel morem faciant introducantur. Ità iuxta parabolam glorioſus Pater

Finis.

Recipiēda Primò.

Secundò.

Tertiò.

Diuus

Diuus Augustinus ingredi vult ad religiosum statum, tanquam ad nuptiale cœlestis sponsi Conuiuium, non sanos duntaxat & benè disposítos, sed etiam infirmos, cæcos, & claudos : ita vt domus plena sit inuitatorum & electorum. Sorores Congregationis trium ordinum erunt: aliæ Choristę, ideſt sacro chori Officio destinatæ: aliæ Associatæ, id est, quæ cùm vel recitare, vel canere officia nequeant, ad reliqua tamen Congregationis & religiosæ vitæ exercitia admittuntur: & aliæ Domesticæ. Quod attinet ad Associatas ad omnia Monasterij munera, præterquam ad Assistentiam erunt idoneæ, habebúntque vocem actiuam & passiuam quemadmodum Choristæ. Quòd si ex iis aliqua in Superiorem eligatur, aget omnia quæ ad munus illud spectant, nisi quod ad Chori officium, Assistenti enim relinquet, quæ cùm chori & sacrorum Officiorum curam habeat, nunquam poterit nisi ex Choristis esse. Sorores Domesticæ nec actiuam nec passiuam vocem habebunt. Nec Associatæ, nec domesticæ ad horas Canonicas obligabuntur, sed aliis orationibus supplebunt : Intererunt tamen Missæ, & diebus festis, omnibus officiis. Domesticæ in nulla re ab aliis differ ent, nisi quòd velum nigrum non accipient cum professionem emittent, sed tantùm crucem argenteam, qua à Nouitiis distinguantur. Sorores non nisi triginta tres esse poterunt, viginti vt minimùm Choristæ, nouem vt summùm Associatæ, & quatuor Domesticę, nisi ex legitima causa spirituali Patri, Superiori, Capitulo, & Episcopo aliter videretur. Claustrum omninò secundùm statuta Concilij Tridentini obseruabitur. Cùm necessarium erit Confessarium, Medicum, Pharmacopolam, Chirurgum, Fabrum, aut alium talem intrare à duobus tantùm Sororibus conducetur; Cæteræ in cubicula vel ad Officiorum locum recedent. Confessarius confessionem audiens, extremam vnctionem conferens, vel moribundæ adstans sic manebit, vt à Sororibus qui eum conduxerint aperta iauua videatur. Si tales appellari nocte continget, quatuor Sorores eos cum luminaribus conducent. Omnes Sorores Superiori absolutè obedient: Si non obedierint, corrigentur. Nullæ litteræ vel recipientur, vel mittentur, nisi prius per manus Superioris transierint: litteræ autem Patris spiritualis ad Sorores, vel Sororum ad eum nõ aperientur. In rebus minimis cùm id necessitas exiget, magna tamen cum prudentia Superior dispensabit: Grauiores, Patri spirituali

Ordines.

Numerus.

Exterorũ introitus.

Obediẽtia.

Ieiunium. tuali aut Episcopo reseruabuntur. Nemo Sororum absque Superioris licentia ieiunabit, aut similes corporeas austeritates exercebit: Robustis petentibus, vt expedire videbitur, permittetur. Si plures scuticam possunt ferre, diebus Veneris fiet. Superiorem ægram vel occupatam excusabit Assistens, ambas impeditas illa quam Superior commiserit. Improuiso autem casu Superuigilum antiquior. Castitas purissimè & absolutissimè seruabitur, & paupertas: ita vt omnia ad commune reducantur, nec quidquam in proprio, etiam ad vsum Sororum vlla possidere possit: adeóque nec cubicula, nec cubilia, nec vestes, nec lintea, nec pia numismata, nec cruces, nec rosaria, nec imagines, nec libri, nec huiusmodi propria sint: sed ad finem cuiusque anni cùm distribuentur Sanctorum nomina, mutabuntur. Excipitur tamen Superiorem quoad cubicula dispensare posse prout iudicabit, vel Medicus censebit ad salutem corporis, ipsáque Superior cõmodius sibi cubiculum eligere poterit. Ædificiis Monasteriorum absolutis terminabuntur reditus, vt nihil superfluum sit, & nihil ab intrantibus Sororibus recipietur, nisi quod conseruando Monasterio congruum erit. Nullum Monasterij vasarium argenteum esse poterit præter Cochlearia ratione munditiei. In Ecclesia verò & altari pretiosissima quæque esse poterunt, ad Maiorem Dei gloriam. Si Sororum aliqua pretiosa supellectilia afferat, statim post professionem vendentur, & pretium piis rebus applicabitur. A festo Resurrectionis Dominicæ vsque ad Diui Michaëlis Sorores surgent horâ quintâ matutinâ, mediâ conuenient ad chorum, adorabunt Sacramentum, meditabuntur, inuocabunt sancti Spiritus opem: deinde ad orationem mentalem pergent vsque ad horam sextam dimidiatam, tum cantabunt Officium Primæ, & recedent. Horâ octauâ cantatur Tertiæ, deinde Sextæ, sequitur Missa, & Missam Nonæ, ad finem cuius fit examen, reliquum temporis insumitur vt decet. Horâ decimâ sumitur prandium, & vsque ad meridiem durat animi recreatio. A meridie accipiuntur obedientiæ, & tunc Sorores recedũt in Silentium ad sua opera, quiescere possunt si volunt per semihoræ spatium, post, Semihoræ etiam lectio fit, si interim orandi mens venit, orari potest. Horâ tertiâ dicuntur preces Vespertinæ, post fit conuentus in quo Sorores exiis quę legerint sua opera faciendo occupantur vsque ad Completorium, quod dicitur horâ

Castitas. Paupertas.

Supellex.

Surrectio, & Officia diuina.

horâ quintâ. Sequuntur Litaniæ, & Litanias semihoræ mentalis oratio; deinde Sorores relaxare animum possunt exteriori aliquo exercitio, obseruando tamen silentium. Horâ sextâ sumitur cœna; sequitur cœnam recreatio, & hanc obedientiæ; horâ octauâ dimidiatâ pulsatur ad Officium Matutinum & Magnum Silentium incipit. Post quadrantem horę Matutinum & Laudes dicuntur. Sequitur Examen conscientię & lectionis punctorum ad meditandum. Recedunt Sorores vt horâ decimâ præcisè omnes cubent. Quouis tempore inter diem & noctem pulsabitur Salutatio Angelica, ac posteà vel in exedra colloquij remanere, vel aperire ianuam nisi in vrgenti necessitate, quæ differri nõ possit, minimè licitum erit. A festo Diui Michaëlis vsque ad Pascha surgent horâ quintâ dimidiatâ, & sic per dimidiatam procedetur vsque ad Vesperas, quę horâ consueta dicentur. In Quadragesimâ dicuntur Vesperæ horâ decimâ dimidiatâ. Lectio fit horâ tertiâ post meridiem, conuentus horâ quartâ. Completorium horâ cõsuetâ, pòst cantatur hymnus dolorum Virginis, & sequuntur Litaniæ. Post recreationem prandij omnes se præsentes superiori sistent, quæ præcipiet eis quid agẽdum habeant vsque ad Vesperum: idem fiet post recreationem cœnæ vsque ad prandium sequentis diei. Si nihil præcipiendum erit, mutuam saltẽ dilectionem cum pace Domini nostri Iesu Christi commendabit. Posteà Sorores quæ officia domestica habebunt, vt cum ea conferant remanebunt, cæterarum animo tranquillitati relicto. Primum silentium fit à primo pulsu Matutini vsque ad finem Primæ sequẽtis diei. Secundum, à quo pulsata est mensæ benedictio, vsque ad recreationem prãdij. Tertium, à recreatione vsque ad Vesperas. Quartum, à pulsu Completorij vsque ad recreationem cœnæ. Diebus ieiunij obseruabitur silentium à Tertia vsque ad recreationem prandij, & à recreatione vsque ad horam tertiam. Quouis tempore obseruatur silentium in choro, in Dormitorio, & in Triclinio, nisi ex necessitate. Superiori loqui semper licitum est, & Magistræ quod spectat ad Nouitias. Prima dicitur voce recta. Tertia cum inflexione cantus. Sexta & Nona voce recta. Diebus verò Dominicis & festis solemnibus cantatur Nona cum inflexione. Vesperæ ex more voce recta excepto Cantico Virginis, quod quouis tempore cantatur prętерquam Quadragesimali: sed diebus Dominicis & festis quæ ex præcepto sunt, integrę Vespe-

Cubatio.

Silentium.

Cantus Officij.

tæ cantantur. Completorium dicitur semper voce recta, excepta Virginis Antiphona, quæ ad finem cantatur, & Cantico Simeonis: festis solemnioribus Matutinum & Laudes voce recta. Festis cantatur Inuitatorium, Hymnus Diuorum Ambrosij & Augustini, & Canticum Zachariæ cum Antiphona. Hymni supplicationum cantabuntur cum inflexione solita: si sint Litaniæ variari
Conuentus. poterit cantus. Cõuenient Sorores ad Officium sacrum. Ad orationem mentalem, ad Capitulum, ad refectionem; ad recreationes; ad Occupationes ex lectionibus, & extraordinariè cum Superior id præcipiet; in Recreationibus seruabitur pax, mansuetudo, & simplicitas, cauebitúrque à verbis contemptus in materia Nationum, Prouinciarum, aut Natiuitatum. In aliis consuetudinibus aut conuersationibus conabuntur loqui vtiliter, sanctè & modestè. Nunquam ludent, nec habebunt domi vllam auem, nec aliquam aliam bestiam inutilem, vt caniculos, sciuros, & huiusmodi. Nihil pro vanitate operabuntur. Sorores nunquam solę quemquam extraneum alloquentur. Nec inutile quidquam dicent, agéntque breui, nisi in iis quæ ad bonum spirituale spectãt. Demittent velum coram viris nisi Superior dispenset: nec appropinquabunt clathrum loquendo. Inter prandendum & cœnandum legetur, & Sorores legent per hebdomadas. Superior bene-
Ieiunium peculiare. dicet mensam & gratiarum actionem faciet. Præter ieiunia quæ de præcepto sunt, ieiunabunt peruigiliis Trinitatis, Pentecostes; Ascensionis, festi Corporis Christi, festorum Beatæ Mariæ Virginis, sancti Augustini; singulis diebus Veneris à festo sancti Michaëlis vsque ad Pascha, nisi occurrat aliquis profestus tunc ieiunium differetur ad diem Sabbathi, & si adhuc festum occurreret non tenebuntur Reliquis diebus Veneris per annum
Habitus. fiet simplex abstinentia ad cœnam. Sorores vestientur nigro, togæ ad modum sacci erunt, amplæ nihilominus vt rugas faciant sub zona, manicæ longæ vsque ad extremitatem digitorum & amplæ, vt in ipsis possint plicari & tegi ambæ manus & brachia. Velum ex subtili cilicio nigro erit: pendebit à tergo vsque ad zonam: frontalis fascia nigra: supposita mento tela alba non amylo
Cubicula. incrustata & absque ruga. Cubiculum vnaquæque Soror habeat. Cubent solæ, lectuli sint ex matta lanea, ceruical plumeum esse poterit, misto xilino albo circumdentur, quod æstate licebit subducere ad hauriendum aërem. Iam quod ad sacrum Officium attinet

tinet Sanctus Præsul ex multis rationum momentis apud sanctam Sedem supplicauit vti Sorores ad recitationem precum horariarum Canonicarum, quod magnum Officium appellatur, minimè tenerentur, sed Officium paruum Beatissimæ Virginis Mariæ in choro seriò, grauiter, lentè, deuotè ac religiosè quotidie vt anteà solebant recitando, ab alia officij recitandi obligatione liberæ & exemptæ remanerent, quod posteà Summus Pontifex benignè indulsit, & rationum præcipuæ fuerunt istæ. Quia cùm Mulieres vt plurimum Latinum eloquium ignorent, maximè verò in Gallicis Regionibus parum interest quod ad earum ædificationem & consolationem spiritalem attinet, siue vnum siue aliud Officium recitent, dummodo ritè ac deuotè recitent. Vt autem ritè & deuotè Officium recitent, multum interest vt semper idem Officium recitẽt: clariùs enim, distinctiùs & certiùs illud pronunciant, quod tam sæpè pronunciare consueuerunt, neque totam suam attentionem in recta lectione & pronunciatione ponunt; vt facere illis necesse est quando quotidie noua ac inusitata legenda sunt. Hoc autem maximè locum habet in Gallicis regionibus in quibus non solùm ineptissimam, sed ridiculam planè habẽt Latini sermonis pronunciationem, ita vt plerunque qui in aliis Monasteriis Officia audiunt, vix ac ne vix quidem risum tenere possint, nisi potius rubore perfundantur. Quare quãdo idem Officium quotidie recitabunt, faciliùs & accuratiùs id præstabunt, & ad cantum poterunt deuotionem & attentionem interiorem in Deum attollere. Ac quidem Sorores Visitationis, tam deuotè, punctuatim & grauiter horas illas Beatissimæ Virginis quantumuis breues pronuntiant & cantant, vt non minoris spatium temporis illis recitandis impendant, quàm soleant Moniales aliæ in Officio magno cantando. Et quemadmodum. (Inquiebat Magnus Prę́sul ad summum Pontificem) Ecclesia vnum diem singulis ferè hebdomadis destinauit cultui Beatissimæ Virginis, ita nihil indecorum, nihil insuaue fecerit tua Sanctitas, si vnum Ordinem maximè mulierũ quotidianis illius Christi Domini, ac totius Christianismi Matris laudibus publicè cantandis destinauerit: imò potius rem & Christo & Matri & omnibus eorum deuotis, gratissimam prę́stiterit. Denique plerę́que Virgines & etiam viduæ prouectioris ætatis vix officium magnũ vnquam exactè addiscunt, quæ propterea ab ingressu religionum vt plu-

De Officio paruo B. Mariæ.

rimum arcentur, quibus etiam commodum accidet, si Religio Visitationis Beatissimæ Virginis Ordinis sancti Augustini deinceps non teneatur ad aliud Officium quam ad paruum ritè recitandum: sic enim fiet vt possint omnes pariter senes cum iunioribus laudare nomen Domini. Neque verò recitatio magni Officij à statu Religioso inseparabilis est: nam vt de præclara ac præstantissima Societate Iesu nihil dicatur, neque de militaribus Ordinibus, sunt in Gallia Monasteria Mulierum, vt Pontosiæ, in quibus non tenentur nisi ad Officium paruum Beatæ Virginis in choro recitandum. His rationibus adductus fuit Salesius ad peculiarem illum libellum supplicem Apostolicæ Sedi porrigẽdum. Sed pergit ad Constitutiones. Confessarius à Patre spirituali & Superiore, collatione prius cum Consiliariis habitâ, eligetur: debebit autem esse doctus, prudens, irreprehensibilis vitæ, honestus, stabilis & pius. Si deponẽdus fuerit, Episcopus vel eius Vicarius conuenietur. Quater in anno Superior petet ab Episcopo, aut Patre spirituali Confessariũ extraordinariũ. Tres quotidie Sorores alternis vicibus communicabunt. Præterea omnes festis & Dominicis diebus, item quauis feriâ quintâ nisi die Mercurij, aut die Veneris festum esset. Ad ægras quouis octauo die sanctissima Communio deferetur. Christianam humilitatem Sorores promptissimè & profundissimè exercebunt, gestus omnes mundanos & sęculares fugient. Quouis mense semel cor suum Superiori ingenuè aperient. Quauis prima Communione mensis professionem suam renouabunt, & Constitutiones relegent. Quouis die Sabbathi omnes ad Capitulum conuenient. Pater spiritualis, doctus, conditionatus & omnimodæ vir virtutis esto. Monasterij Officia hæ habeant. Mater Superior, Sorores Adiutrices, Soror Assistens, Soror directrix, Sorores superuigiles, Soror Auxiliaria, Soror Oeconoma, Soror Ianitrix, Soror Sacrario Præposita, Soror Infirmaria. Minima verò Domestica officia hæ. Soror Togaria, Soror lintearia, Soror Architriclina, Sorores versatilis tympani custodes, & huiusmodi. Nulla puella poterit recipi quæ non decimum sextum ætatis suæ annum attigerit, nouerítque legere si ad chorum prætendat. Die sancto Michaëli festo, Superior Sorores omnes quæ iam professionem emiserint admonebit vt ad renouanda vota parent se ad diem Præsentationis Beatissimæ Virginis. Hæ sunt Constitutiones præcipuè Compendio relatę, quas

Confessarius.

Cõmunio.

Pater spiritualis.

Officia Monasterij.

Beatus

Beatus Antistes Filiabus suis in Christo charissimis dedit, reliquas vulgare vt incongruũ ita superfluum essent. Agitur enim in iis de modis rẽ domesticã gubernandi, electiones faciẽdi, Nouitias dirigẽdi, Prætẽdentes cognoscẽdi, Pœnitẽtias imponẽdi, errãtes corrigẽdi, ac deniq; Sorores sepeliendi. Quę omnia Cõgregationi peculiariter propria sunt. Vt autẽ quidquã sanctiùs, prudentiùs, rectiùs & dulciùs cõstituatur, vix ac ne vix quidem fieri potest. Cęterùm Superiores Monasteriorum à Summo Pontifice sunt locorum Ordinarij, seu Episcopi & eorũ Generales Vicarij, quod prudentissimè Sanctus institutor voluit. Ita enim fiet vt minimè omninò labatur hæc Religio, quandoquidem si vnus Episcopus lãguidâ agat manu, succedet qui releuet, & si in illa Diœcesi non ita benè erit, melius habebit in alia. Denique ex multis rationibus stabit semper oliua illa fructifera in domo Domini, & erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur. At dum tam sancta statuit Religiosissimus Patriarcha, non cessarunt ab impiis persequutiones. Nobilis quidam ipsi Salesio affinis dum se læsum temerè iudicat, venit in eius palatium cum canibus tanquam ad venationem, necnon buccinis & classicis clangíque ad arma insolenti clamore & tumultu iussit: tum ipse in Episcopi cubiculum minas intentans ascendit, cui quidquid indigni esse potest & probrosi facinoris dixit, nullo conuiciorum genere omisso. Audiuit mansuetus furentem Salesius, nec quidquam præter nõnulla comitatis verba respondit ei: quamobrem maiori percitus ira recessit demens ille, cognitóque postmodum errore grauissimo, flens quasi rediit ad Præsulem & veniam implorauit: sed cùm primùm recederet, Coësius Tallorienſis Prior insolentiæ factæ testis interrogauit in hæc verba Salesium, Reuerẽdissime Domine, quomodo facis in his occasionibus vt non prorumpas in iram, videtur enim debuisse te acriter in vesanum increpare, & asperrimis verbis eius insolentiam reprimere, & charitatis potius opus fuisset. Cui Salesius, vide (inquit) Pater mi, pactum inij cum lingua mea, vt cum molesti aliquid aduersum me proferetur quod ad iram vertere possit, nihil dicat. Et verò non oportebat virum illum asperioribus verbis temeritatis arguere, sapiet aliquando, & facti pœnitebit illum. Quod sanè sta-

Moniales à quo dependeant.

Franciſci patientia & mansuetudo.

Franciſcus vt ſe gereret in occaſionibus ira.

tim verum fuit. Non minus indigna Cauſidici cuiuſdam actio, & ille quidem idem fuit quem Saleſius in vico publico obuiam habens amiciſſimè ſalutauerat, dixerátque ſe eum benignè reſpecturum quamuis alterum oculum perfodiſſet. Is igitur Cauſidicus in Monitoriales litteras ad Eccleſiarum valuas affixas lutum & ſtercus proiecerat, & aliquando in ſancti Præſulis feneſtras ſtlopum emiſerat. Poſtremò quod reſtabat ad ſcelus in Philibertum Rogem Doctorem Theologum Cathedralis Eccleſiæ Canonicum & ſancti Præſulis Officialem, violentas manus iniecit. Territa eſt facinore vniuerſa Ciuitas, & à Senatu Camberienſi ſtatim venêre cum lictoribus litteræ, quibus reus in obſcurum carcerem deturbatus eſt. Peribat miſer & capitali crimine damnatus mortem expectabat, niſi Saleſius tantum apud Senatum, & quod ſummum, apud Principem egiſſet, vt vitæ relinqueretur. Sanè ab eodem Cauſidico Saleſius aliquando veniam petierat, quandoquidem nolebat eam ab ipſo ille petere, cuius rei certior facta eſt vniuerſa etiam Ciuitas; ſed idem ille poſtmodum iuſto fortè Dei iudicio miſerrimè periit: & hæc ſunt Saleſianæ patientiæ, manſuetudinis, humilitatis, & charitatis teſtimonia. En aliud in diſſimili genere, non tam diſſimile. Propugnabantur in Aula Chapuiſiani Gymnaſij Clericorum Regularium ſancti Pauli propoſitiones Philoſophicæ, & Saleſius in candidatum argumentabatur. Poſt aliquot iacta ſyllogiſmorum tela, temerarius quidam Theologus ex Religioſo & eo celebri ordine auſus eſt loquentem interrumpere, & eius aſſumere argumentum. Quid hæc mereretur inſolentia ſat ſciunt Philoſophi & Theologi, & reuera nullus totâ aulâ erat, qui non indignatione marceſſeret, & niſi demiſſis oculis tacuiſſet bonus Antiſtes, erant qui ad amentem virgis abigendum exclamaſſent, Cathedralis Eccleſiæ Canonici inprimis & ipſi diſputationis Præſides Barnabitæ frendebant, at Sanctus expectauit quidnam tandem ageret planus ille, qui reduci ſe ad Aſinorum Pontem paſſus, non ſolùm imprudentię ſed etiam ſtoliditatis & ignorantiæ ſibi notam acquiſiuit, tunc Saleſius argumentum tam reſumpſit appoſitè, tam prudenter alterius occultare conatus eſt ignominiam, vt hæſerint ſpectatores dubitauerintque pluſne Pontificis mirari humilitatem deberent an prudentiam, pluſne patientiam an in proximum charitatem. Sic in minimis Maximus erat Saleſius.

Franciſci benignitas, & patientia.

Franciſci mirus humilitatis & patientia actus.

DE

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER NONVS.

IAM instabat tempus Aduentus Dominici, quo coram celeberrimo Delphinatus Senatu ex tot purpuratorum Patrum postulatis concionaturus erat. Venerunt idcircò capturi eum Senatores duo, quorum vnus Saltarellius fuit Vir Sancto chariſſimus. Igitur Gratianopoli in templo Diui Andreæ Gebennenſis Epiſcopus ſuo more, id eſt, piiſſimè & eruditiſſimè cõciones habuit, quas ad Quadragintadiale ieiuniũ anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſeptimi continuauit: primam autem Quadrageſimalem Concionẽ, feria quarta cinerum ſic exorſus eſt. Ecce me in Cathedra veritatis poſitum. Omnino dicturus ſum eam, nec quidquam in mundo erit impedimento mihi quin eam dixero. Si verò eam nollem dicere, Deum oro vt adhæreat lingua mea faucibus meis, & medio ſub palato exſiccetur, fiámque mutus. Quæ verba tam potenter & piè pronunciauit, vt Auditores ſuos maximè mouerit, & aiebat hæc; quia præcipuè de rebus Controuerſis acturus erat, quandoquidem pertinaciſſimis quampluribus Hęreticis Caluinianis ſcatebat per ea tẽpora Gratianopolis. Primus fuit qui in Eccleſiæ Romanæ caulas reuerſus eſt Claudius Boucardus Virdunenſis, quem de ſui relapſus miſeria, & de reſurrectionis cauſis cum lachrymis differentem audire, & ſancto Præſuli & omnibus pia etiam lachrymarum cauſa fuit. Ego (inquiebat) in Lotharingia ex honeſtis parentibus natus, & in Eccleſia Catholica baptizatus & educatus, nũc verò agens annum

Franciſcus Gratianopoli concionatur.

Boucardus denuò à Franciſco ab hereſi abductus, eius abiuratio.

annum ætatis meæ quinquageſimum ingenuè fateer me adoleſcentiæ tempore Societatem Ieſu ingreſſum fuiſſe, atque in ea vota ſimplicia emiſiſſe, non autem profeſſionem ſolemnem, & abſolutis ſtudiis Theologicis integram Philoſophiam per triennium docuiſſe Pariſiis, tum ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus initiatum, ac Theologiam Scholaſticam publicè per annum in Academia Muſſipontana profeſſum eſſe; poſtea verò ad Caluinianorum partes tranſiſſe (cuius rei coram Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſancta eius Eccleſia admodum me pœnitet) non quod de fide Catholica vllatenus dubitarem, ſed tantùm vt libertatis, quæ eſt ſecundum mundum & carnem, potiundæ mihi copia fieret ac facultas. Idcircò autem ad Caluiniſtas acceſſi, quia illi primi ſeſe obtulerunt quos compellarem, non autem quod ſectam illorum doctrinámve ſectæ ac dogmatibus Lutheranorum aut aliorum quorumcunque Sectariorum præferrem, adeò vt cùm rem diligenter perpẽdo, ſchiſmaticus potius quàm hæreticus ex animo fuerim, neque enim religione ductus id feci, vel quod hæreſi ex animo adhærerem, ſed temporariæ cuiuſdam commoditatis cauſa. Porrò apud Caluiniſtas nec Miniſtri munus obiui, nec publicè concionatus ſum vnquam, nec ſcriptum vllum in lucem emiſi aduerſus Eccleſiam Catholicam: ſed tantùm Profeſſor Philoſophię & liberalium artium Lauſanæ extiti. Quam profeſſionem cùm per octo circiter annos ſuſtinuiſſem, parum de animæ meæ ſalute ſollicitus, placuit tandem Deo Patri miſericordiarum me reſpicere, & ad cor meum pulſare. Nimirum ſterilitatem ſectæ illius Caluiniſticæ exiguúmque amoris Dei & vniuerſæ pietatis ſenſum qui in illa conſpicitur, mirari cœpi: contra verò in memoriam reuocare pietatem eximiam, quam in Eccleſia Romana cùm in aliis videram; tum in me ipſo ſenſeram, ſicque cœpit in me reuiuiſcere patriæ ſpiritalis reuiſendæ deſiderium, cum per me non rarò dicerem tacitus. Quot Mercenarij in domo Patris mei abundant panibus? ego autem hîc fame pereo. Subinde incidi in lectionem Centuriarum Illyrici, Reuerendiſſime Domine, (Saleſium hęc dicens alloquebatur) quas quidem diligenter peruolui, maximéque ex ea lectione in propoſito confirmatus ſum: nam inde perſpexi eamdem nunc eſſe fidem Eccleſiæ Romanæ, quæ fuit omnibus præcedentibus ſæculis aſcendendo vſque ad Apoſtolo

ſtolorum ætatem : & eo maximè nomine omnes omnium ſæculorum Doctores à Centuriatoribus reprehendi capite quarto ſingularum Centuriarum, quòd eam doctrinam in ſuis ſcriptis tradiderint, quæ nunc ab Eccleſia Romana retinetur. Vidi ſummam vnionem omnium Eccleſiarum cum eadem Eccleſia Romana. Itaque factum eſt, vt quos libros Matthias ille Illyricus, eiúſque aſſeclæ in animarum perniciem compoſuerunt, mirabili Dei prouidentiâ mihi in ſalutem ceſſerint. Quod quidem beneficium magis magíſque confirmaui aſſidua lectione librorum Cardinalis Bellarmini de Eccleſia & de Romano Pontifice, Nicolai Sanderi de viſibili Monarchia Eccleſiæ, & aliorum Doctorum Catholicorum. Hoc igitur modo atque his mediis Spiritus ſanctus firmum in me deſiderium excitauit redeundi ad ſanctam Romanam Eccleſiam. Et licèt culpæ meæ grauitatem animo reputarem, conſolabar tamen ipſe me: & in ſpem obtinendæ veniæ erigebam, conſideratione benignitatis ſanctæ Eccleſiæ, quam ex veterum monimentis adnotaram redeuntibus ab hæreſi & pœnitentibus impertitam fuiſſe. Quapropter egi tecum per litteras, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine, téque rogaui, vt mihi veniam, pacem & vnionem Eccleſiæ conciliares, & apud te tandem Tononi Allobrogum hæreſim omnem verè & ex animo abiuraui anno milleſimo ſexcenteſimo octauo, & tu idem Præſul optime, authoritate à ſanctiſſimo Domino noſtro Paulo Papa quinto tibi peculiariter ad id delegata, abſoluiſti me ab omni excommunicatione, & quibuſcunque cenſuris ac pœnis propter hæreſim incurſis, in vtroque foro, nec non à quibuſcunque votis, legibus, & vinculis quibus Societati Ieſu adſtrictus aliàs fueram, aut tunc eſſem, & laureæ ſacræ Theologiæ Doctoratus quâ ante defectionẽ inſignitus eram reſtituiſti, ac demùm impoſitâ ſæculari pœnitentiâ communioni Eccleſiæ Catholicæ me reddidiſti. Sed heu! me miſerum! non diu in ea perſtiti, nam duorum annorum ſpatio grauiſſimâ tentatione & acerbo animi dolore continuò ſum agitatus, ex aſſidua recordatione & commiſeratione liberorum meorum, quos paruulos reliqueram, nec ad eos mihi licebat accedere : vrgebat me quoque erga vxorem dilectio & charitas. Qui ſanè affectus adeò me vexarunt, vt iterum ad hæreticos redire me compulerint, neque vlla alia fuit reuerſionis meæ cauſa. Verùm nec adhuc me dereliquit Domi-

nus, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, eodémque ferè quo prius modo me ad saniorem mentem reuocauit. Tantisper demissis oculis conticescentem Salesius interrogauit vlterius de nouis aliquibus eius conuersionis causis, quas ille sic edisserere perrexit. Primùm (inquit) fastidire cœpi eos montes Gelboë, in quibus aberrabam, & super quos nec ros nec pluuia cœlestis consolationis descendit. Consideraui vanitatem & confusionem turris illius quam contra Christi Ecclesiam Lutherus ædificare conatus est, vt scilicet in sectas innumeras dissecta sit, quarum nulla aliarum linguam intelligit, sed singulæ singulis hæreticæ sunt, & peculiaria, sibíque inuicem repugnantia amplectuntur dogmata. Excitauit in me Spiritus sanctus ingens secundò & seriò ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem reuertendi desiderium, eius nimirum quæ cùm toto terrarum orbe diffusa sit, communicat cum Episcopo Romano tanquam Christi Vicario, & verè Diui Petri successore, visibilíque in terris omnium fidelium capite: quia manifestè cognoui, & firmiter credidi Ecclesiam hanc & Catholicam veram esse, & Christi sponsam, extra quam ad salutem æternam nulli aditus pateat. Ego igitur de Dei misericordia & Ecclesię lenitate confisus, rursus opem tuam imploraui per litteras, Reuerendissime & piissime Domine, vt si qua tandem ratione fieri posset absolutionem & Ecclesiæ communionem mihi impetrare dignareris, & tu significasti singulari sanctissimi Domini nostri Pauli Pontificis maximi clementiâ mihi Ecclesiæ finum aperiri: tunc nihil cunctandum ratus sum, quo minus ex pestilenti illa lacuna emergerem, & oblatum tantum beneficium auidè complecterer. Hac igitur de causa, non obstantibus multis grauibúsque quæ me circumstabant difficultatibus, sponte huc veni ad te Reuerendissime Domine, cùm scirem conciones sacras habere, & tibi etiam nunc cum omni humilitate & animi summissione me præsentem sisto, culpam & apostasiam meam agnoscens & accusans, atque admodum supplex oro & postulo, in communionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex integro restitui, & impositâ salutari pœnitentiâ perfectè in vtroque foro absolui. Ego verò omnem omninò hæresim fidei sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ contrariam ex animo abiuro, præsertim autem Caluinianam, & promitto me in eadem Ecclesia Roma-

na

na vsque ad mortem constanter perseuerare velle, eique fidelem obedientiam præstare, & me omnium hæresum expugnatorem, & Cathedræ sancti Petri omniúmque successorum eius in Ecclesia Romana acerrimum defensorem diuinâ gratiâ futurum. His dictis Boucardus lachrymas retinere non potuit, & ei Salesius absolutionem in vtroque foro est impertitus, adstantibus Proceribus & Ciuibus quamplurimis, qui postea per vniuersam Gratianopolitanam Ciuitatem famam dispergentes aliis atque aliis hæreticis vt ad Salesium irent authores fuerunt. Miraculum erat qua ratione & concionibus quotidianis, & audiendis confessionibus,& visitationibus excipiendis, & disputationibus accerrimis poterat satisfacere; siquidē pręter hæc omnia sæpissimè ad Monasteria accedebat Monialium Montis floridi, & Sepium, cum illis de reformatione acturus,& concionabatur. At in vrbe tantum eius fama valebat. Viri quamplures auidè quidquid diceret scriptis mandabant, inter quos Dominicanus Religiosus vnus, & Franciscanns alter, necnon & Faurus Senatoria vir dignitate præfulgens, neque sanè fastidiebant illi laborem suum, cùm noua in dies doctrinæ miracula Salesius operaretur, vnde Dominica quadam die cùm exiret è concione populus, stupens & plaudens stetit in platea sancti Andreæ, vir Doctissimus in omni scientiarium genere, sed in omni Theologia præcipuè, linguarúmque Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritia excellens Riguetta Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, & quis est hic exclamauit, qui sic de Theologia tractat vt res difficillimas, & altissimas mulieribus ipsis idiotis & humillimis homuncionibus reddat intelligibiles? siquidem ea præstabat Magnus Episcopus vt cùm doceret nihil intactum relinqueret, & nihil proferret quod nō mirâ facilitate adductis similitudinibus & parabolis explicaret: ita vt non semel & Gratianopoli & alibi dixerint Theologi, atque inprimis Sorbonici, verum eum esse Theologum, qui sanctitatem cum doctrina misceret; & inquiebat eorum aliquis, non mirum est si quod docemus perperàm est, & nullius vtilitatis: dicimus enim quod plerunque non intelligimus, & concionamur absque pietate. At Salesius dicit & intelligit, docet & facit. Hinc post auditam à tot viris grauissimis eius virtutem, tandem eum audiendi Franciscus Bonna Dux Diguierianus Delphinatus Prorex Caluinianæ sectæ hæreticus desiderium ha-

Francisci labores Gratianopoli.

Stupor magni Theologi de Francisco.

Bonna Diguierianus Francisci auidus.

buit, creditúrque in his Concionibus ſuæ conuerſionis ad Romanam fidem iecisse fundamẽta, neque enim multò pòſt ſuam hæreſim abiurauit. Siquidem cum Saleſio multus aliquando erat, & die quadam de religionis rebus agens cum eo quatuor horarum ſpatio remanſit incluſus: cùm autem exeundo precaretur Saleſius, vti ſi quid moleſtum fortè dixiſſet condonaret, reſpondit, nihil, niſi bene dictum, ſéque velle omnia attentiùs conſiderare. Deinceps Saleſium magnis extollebat encomiis, & virum esse omnium amore dignum, inquiebat, quibus ex dictis Caluiniani Miniſtri cœperunt malè coniicere, ſcilicet Diguierianum motum à Saleſio ad Romanam religionem inclinare, neque profectò decipiebantur. Ex his vnus, & quidem magni nominis, prudentior & ſapientior fuit, auditis enim Saleſij rationibus hæreſi nuntium miſit. Barberio huic nomen erat, qui poſtea contra Caluiniſticam luem egregius ſcriptor extitit. Duobus item nobilibus ſanctus Antiſtes in ſæculi vanitatibus occupatis inter concionandum recedendi à mundi ſtrepitu animum dedit, cum inductione oſtenderet nullum animal esse homine infœlicius, vbi non is ad Deum attenderet, illúdque Eccleſiaſtis inculcaret, Vanitatem vanitatum & omnia vanitatem. Non poterat in his actionibus fieri, quin ſanctus exiſtimaretur: quamobrem quamplures ad eum accedebant vt ſanarentur à languoribus ſuis, & alij eum aduocabant. Vir erat in Ciuitate magni nominis filiam habens à Cacodæmone poſſeſſam, & multum iam temporis fluxerat à quo miſerè puella vexabatur. Rogatus fuit Saleſius vt eam dignaretur inuiſere; Promiſit, & diem dixit: verumtamen cùm expectarent omnes, puella à nemine admonita exclamauit, volebatis huc ad me venire Gebennenſem Epiſcopum, minimè veniet, & iterauit, minimè veniet, quod verum fuit: nam Saleſius aliis ex neceſſitate diſtractus negotiis promiſſum adimplere non potuit, qua de re certiores facti puellæ parentes & conſanguinei, eam verè esse poſſeſſam cognouerunt. Die tamen poſtera aduenit Præſul, puellam eſt alloquutus, priuatim (ſibi videntibus tamen procul domeſticis) adhibuit, interrogauit de vita & miſeria, tetigit ad guttur, benedictionem ei ſuam ſacram eſt impertitus, & recedens Patri dixit. Nihil hoc erit. Sana eſt puella, at nemini dicendum, matrimonio enim proxima eſt. Altero aut tertio die penitus

Franciſcus Miniſtrum conuertit.

Franciſcus poſſeſſam à dæmone puellam liberat.

puella

puella liberata, & posthæc breui virum suæ conditionis Nobilem inuenit. Per hos dies litteras accepit Salesius à Roberto Cardinale Bellarmino responsorias ad eas, quas circa Congregationem Marianarum Sororum scripserat, antequam eas aperiret multa in tanti Cardinalis laudem effudit: inter cætera autem, Magnus hic Cardinalis, inquit, adeò bonus est, vt mali libri quos ad hæreticorum confutationem legit, nullo modo suis inhærere cogitationibus potuerint, nihil ita ignorat ac malitiam, & nihil minus cognoscit quàm quod scripsit. Miror autem, subiungebat, magni huius Doctoris obedientiam, qui nullas vitæ delitias se nosse verè potest dicere: quos enim labores non sustulit in reuoluendis hæresum sordibus? Et sanè reuoluit montes librorum vt murium partum reperiret. His afficiebatur erga Sanctum Sanctus, qui alias cum Cardinalis eiusdem librum recepisset de columbæ gemitu: hei inquit, columba innocens gemis in hoc sæculo, sed in cœlo & in foraminibus petræ & cauerna maceriæ laboribus tuis finem dabis, & vocem tuam in auribus cœlestis sponsi sonare facies, & faciem tuam ostendes: vox enim tua dulcis, & animæ tuæ facies perquam decora. Profectò eadem de Salesio Magnus Bellarminus sentiebat, aiebátque aliquando, Miraculo eum Sabaudię datum ac natum, & miraculo factum Episcopum. Ciconiis comparabat, quę venerunt antequam visæ sint. Innocentiam inprimis eius commendabat, & Adamum in eo peccasse non videri ad omnem occasionem inquiebat. Sed exeunte Quadragesimâ redire etiam in suam Diœcesim cupiebat Salesius, non prius tamen quàm in fraternitatis sacri Ordinis Minimorum cinguli catalogo inscriptus foret, quod glorioſum Franciscum à Paula mirificâ pietate coleret, & eius filios impensissimè amaret: cinctus est igitur in Monasterio Diui Andreæ ab Antonio Billiaco Superiore, & in fratrum numerum relatus est, quo etiam tempore pallium ei Diui Francisci à Paula ostensum, quodque sic ille veneratus est, vt irruente quamuis in eum præ deuotionis impetu turba ne minimum quidem impatientiæ genuflexus & coarctatus signum ediderit. Deinceps cùm ex minimis aliquos inter eundum offenderet, cingulum illud trahens è perula. Videte (inquiebat) num ego frater vester sim, atqui reuera non solo nomine sum Minimus. Denique tot patratis Gratianopoli miraculis, quot ferè actibus ipsa

Franciscus quid de Bellarmino.

Bellarminus quid de Salesio.

Franciscus Minimorũ Frater.

etiam tertia à Dominica reſurrectionis die profectionem ad reditum inſtituit, adeò vt mirati fuerint Anicienſes eum tam citò rediiſſe, vnde eorum nonnulli, inter quos fortè Franciſcus Viallo Peſſanus vir Conſularis & Iuriſconſultus erat, cum ſtupore ab eo petierint, quamobrem tam feſtinus fuiſſet; quibus reſpondit in hæc verba. Videte, Ego ſum velut ſtatua, cùm extra ſuum ſcaphium eſt, impedimento eſt omnibus. Significabat ſe ſuum amare Anicium, velut forulum proprium, & ſanè cubiculum in illa ciuitate ſuum & muſæolum ſic incolebat & colebat, vt & cæteras vrbes & Procerum palatia quantum ad ſe parui faceret, vnde opimiores Epiſcopatus ſemper conſtantiſſimè recuſauit. Anicium igitur redux cum omnia in Subalpinis belli terroribus tabeſcerent, ipſe continuis precibus Deum Chriſtianis rebus reddebat propitium, ac pro Principum concordia exorabat. Interim dum venêre Mediolano ſibi litteræ à Hieronymo Boërio Congregationis Clericorum Regularium ſancti Pauli Generali Præpoſito, quibus Miſſarum, diuinorum Officiorum, orationum, ieiuniorum, vigiliarum, aliorúmque omnium pœnitentiæ & pietatis operum, quæ in tota Congregatione perpetuò præſtarentur, ad æternam ſalutem promerendam particeps efficiebatur. Gauiſus eſt quamplurimùm eo beneficio, Patribúſque Barnabitis Anicienſibus gaudium ſuum multis gratiarum actionibus teſtatus eſt; ſed interrupit illud triſte nuntium obitus Bernardi Baronis Saleſij Torentini fratris chariſſimi: eo enim recepto graui manu percuſſit ſuum femur, & multas emiſit lachrymas, non tamen ſub doloris ictu ſuccubuit, quin imò ſtatim iunctis & eleuatis in cœlum manibus & oculis, hæc tranquillè verba protulit inter ſuſpiria: ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te; & ſubdidit eadem quibus in obitu Matris vſus fuerat: Obmutui, & nõ aperui os meum, quoniam tu feciſti. Sit nomen Domini benedictum in ſæcula. Diuinæ prouidentiæ ſecreta, incomprehenſibilia iudicia, & inueſtigabiles adoro vias. Duabus ab hinc horis in Monaſterium Viſitationis ſe contulit, & Fremiottæ Chantaliæ Baroni, necnon Mariæ Amatæ Rabutiniæ defuncti Baronis Coniugi conſolationem quam ipſe ceperat dedit, quæ & ambæ doloris impetum tulerunt fortiter & conſtanter. Hoc autem de obitu ſic ad ſororem Gaſparam Saleſiam Cornillionij & Merenti Dominam ſcripſit magnus Præſul.

Franciſci humilitas.

Franciſcus Barnabita.

Franciſcus vt in obitu fratris ſe gerat.

Præsul. Laboro propter te, Soror charissima, cùm obitum fratris nostri Torentini intelliges: erat enim ille nobis omnibus charissimus. At non est remedium, Voluntati Dei conformandæ sunt nostræ, illa enim rectè pensatis omnibus multum functo fauit tollendo eum è sæculi huius medio, & è vocatione quæ tantoperè secum fert damnationis periculum. Ego sanè hac in occasione non semel fleui, diligebam enim fratrem illum tenerrimè, & dolores à natura mihi causatos impedire non potui. Consolationem tamen accepi cùm intellexi eum Christianissimè suum clausisse diem, in manibus Patris Iusti Guerini, & sociorum eius nostrorum Barnabitarum, necnon Equitis nostri; post generalem peccatorum Confessionem, post tertiam reconciliationem, post receptum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, post extremam Vnctionem. Quid animæ melius esse potest? Corporis verò subsidio nihil defuit; Et licèt pestilenti morbo decumberet, visitari tamen eum curarunt Sereniſſimi Principes, inprimis Cardinalis, & Infantes eius Sorores, necnon & aulicæ Dominæ innumera quæ comedere posset miserũt munera. Defunctum ipse Cardinalis Sereniſſimus magnis honoribus est prosequutus, & ad eius funeralia instruenda duodecim faces cum gentilitiis suæ Celsitudinis tesseris dedit. Nemo hominum tantos luctus ab omnibus tulit ac charissimus ille frater noster. Hæc Sanctus ad Sororem suam, & hæc ad Amatum Chiuronium Villetæ Baronem auunculum suum: ferè somnium est vigilantium hominum, inquit, hunc scire hominem mortuum penè antequam in Prouinciam illam aduentatum, vt nec suum Principem videre potuerit, cui vitam suam & animum consecratum ibat. Quid dicam amplius? Poterat in eo conditionis genere miserabiliùs mori. Benedictus sit Deus, qui abstulit eum à duellis, à seditionibus, à desperationibus, innumerisque aliis malis, quibus in hoc ærumnoso sæculo obnoxium est hoc vacationis genus: hæc porrò ad Religiosam quandam Visitationis scribebat. Vix dici potest quàm perfectus esset frater ille, quàm omnibus sese amabilem effecerat, quàm se ad sui Principis oculos præteriti anni occasione insignem reddiderat, & inter hæc en eum raptum: sed in omnibus diuinæ sit bonitati honor, gloria & benedictio. Hactenus Franciscus; sepultus autem fuit ille in Æde patrum Barnabitarum Augustæ Taurinorum sub hoc Epitaphio. Intuere Mortalis huma

Bernardi Baronis Salesij obitus.

Bernardi Baronis Salesij Epitaphium.

humanarum rerum viciſſitudinẽ Cataſtrophem, fallaciam. Bernardus Baro Saleſius & Torentinus Sabaudus Franciſci Saleſij Epiſcopi & Principis Gebennenſis frater, ſtrenuiſſimus Allobrogicæ legionis præfectus ipſo ætatis flore fœliciſſimis magnorum honorum auſpiciis, incredibili de ſua bellica virtute, induſtria, & victoriis, apud Sereniſſimos Sabaudiæ Principes & amicos ſpe concitata, dum duodecim militum Centurias ad ſui Ducis caſtra è Sabaudia fideliter & fortiter cogit, importuno, infœlici, lethali morbo corripitur, quem ſentiens Diuinis myſteriis religioſiſſimè ſuſceptis, & à Clericis Regularibus ſancti Pauli, quos in vita ſummoperè dilexit, etiam in morte diuidi minimè paſſus, electo in hac Eccleſia ſepulchro ad cœleſtes acies magno ſui relicto deſiderio euolauit. Vixit annos triginta quatuor, mortuus anno Domini milleſimo ſexcenteſimos decimo ſeptimo, decimo Calendas Iunij. Eodem temporum tractu Franciſcus Saleſius quamplura patrauit Miracula. Circa feſtum Pentecoſtes Ioannem Claudium Canalium à mania & dira rabie ſubitò liberauit. Is Canalius Sacerdos Rumilliacenſis in ardentiſſimam inciderat febrim, qua veſanus & amens agebatur. Conſanguinei eius & afines, ne fortè huc & illuc ad perniciem diuagaretur, ligatis eum pedibus & manibus incluſerant: verùm ille poſt tres hebdomadas ruptis catenis euaſit, & effrænis equi in morem per nemora & montes, campóſque curritabat. Secundò captus eſt & ſecundò ac tertiò poſt quartum menſem rupit ſua vincula amentior, & furiis miſerandum in modum agitatus venit Anicium, cúmque ſanitatis ſpes nõ eſſet, Sanctus Antiſtes eum quauis tandem ratione capi iuſſit, vt quartò captus eſt & in carcerem Epiſcopalis palatij deturbatus; frendebat illic rugiebátque, feræ in morem, & niſi vinctus fuiſſet ſeipſum dilaniaſſet. Elapſis diebus aliquot cùm rediret è ſacri celebratione Epiſcopus ad feneſtram carceris acceſſit, vocauítque amentem, qui mãſuetus appropinquauit: tum Saleſius manu per cancellos ferreos intromiſſa, cùm ille ad interrogationem de ſanitate nihil reſpondiſſet, blandè ad genas tetigit, impendentéſque fronti capillos traxit, & ait. Num decet Sacerdotem (vt tu es) ſtultum agere, & vbique ac coram omnibus inſanire. Sed age gratias Deo, per eius enim gratiam ſanus es. Non mora, ſeruis præcepit vt carcerem aperirent, & aderant oculati teſtes illi Michaël Faber, Georgius Rollandus

Franciſcus Sacerdotẽ à mania liberat.

Rollandus Sacerdotes, & Franciscus Faber cubicularius, cúmque vnus ex eis periculum esse diceret si libertas daretur misero. Nequaquam, ait Salesius, reserate illi portam, deinceps erit Sapiens, Confidite. Reuoluta igitur ianua procubuit ad Sancti pedes venerabundus Canalius, egítque gratias & Deo & illi, qui statim eum, vt agnum mitissimum secum duxit ad prandium. Si stupuerit ad miraculum tota familia, ac protinus vniuersa Ciuitas frustra diceretur. Nusquam deinceps relapsus est ille, sed benè semper habuit, abeunti benedictionem sacram Pontifex dedit, & narrauit posteà ipse Canalius sæpissimè putasse se piceam calanticam suo è capite extrahi, cùm Salesius capillos sibi traheret. Continuò Stephanus Friandus Tonensis venit, vxorem suam Stephanam Bochetam ducens à milite quodam sortilego ad stomachum tactam, & dæmonum traditam potestati. Salesium autem salutans, inquit: Duco ad te Reuerendissime Domine, coniugem hanc meam, quę à tribus hebdomādis neque bibit, neque manducat, neque dormit, & prætereà furibunda est, & insana. Author fuit mihi Curio noster Critanus, fertur enim te morbos istos pessimos optimè nosse, iisque afferre remedium. His dictis fusè de omnibus Salesius interrogauit, mulierem duxit in Sacellum suum quod est ad aulæ angulum, Confessionem eius audiuit, Confirmationis Sacramentum ei contulit, quo facto statim illa ante altare ad Præsulis pedes animi deliquio concidit, fuítque mortuæ similis spatio quo recitari Angelica salutatio posset, at vbi à seruis releuata est, Consolatione se dixit pleniſſimam, & ex Dei gratia restitutam sanitati. Sacer Pontifex nihil egit prætereà, sed dixit tantummodò. Vade in pace Mulier, time Deum, eum ora & quiesce, breui sanaberis; at illa ex ea horâ Tonum sana prorsus cum marito recessit. Continenter propemodum Sanclarianam Bargianam fœminam Nobilem ex Aruernia profectam in Ecclesia Diui Iacobi Patrum Capucinorum à dira Dęmonum vexatione Salesius liberauit: sed solemnis omninò fuit hac etiam tempestate Paralytici ab eo sanatio. Hora erat nona matutina, & sacrum celebraturus Præsul iam ante altare præparationis, vt vocant, preces genuflexus recitabat, cùm ecce, homines Maurianenses aliquot adolescentem à Natiuitate pessima neruorum resolutione affectum, equo vtcunque impositum adduxerunt, depoſuerúntq; in Episcopali Cauœdio suppoſito modico fœno.

Franciscus fœminam à mania liberat.

Franciscus possessam à dæmone liberat.

Franciscus paralyticum natum sanat.

Senſit murmur Germanus Pilliodus cubicularius deſcendítque in aream,vt ſciret quidnam eſſet. Quem vt viderunt miſeri, expoſita adoleſcentis ægritudine, rogauerunt enixè vt Reuerendiſſimum Patrem,ſic Saleſium vocabant, alloqui poſſent, fecit officium Pilliodus,ſurgentíque à præparatione ſua Domino, inquit, ſunt inferiùs Domine, miſeri quidam homines ex partibus Maurianæ,qui impotentem adoleſcentem adduxerunt,cupiúntque valde vt eum videas ſi placet. Saleſius eleuatis præ miſeratione armis,hei dixit.Boni homines arbitrantur fortè me patrare miracula,& nihil poſſum pro eis quàm orare Deũ,ſed iube vt veniant;Cubicularius accerſiuit eos,qui paralyticum exportarunt. Epiſcopus,deponite eum,inquit,ſuper credentia & recedite tantiſper, tum depoſiti miſeri confeſſionem Sacramentalem audiit, deinde celebrauit. Abſoluto ſacro,reportate dixit, eum cras ad horam ſimilem ; & tu, ad miſerum conuerſus, ſis paratus vt ſacram communionem accipias,celebrabo enim iterum,& orabo Deum pro te. Paruerunt ad omnia illi, & poſt celebratam tertiam miſſam benedictione Pontificis acceptâ Paralyticus omninò ſanatus eſt ; nec mora liberè ad multorum conſpectum per aulam ambulauit, receſſitque potens, & Eques tibiis hinc inde poſitis. Quod autem verè paralyticus eſſet ex Medicorum & chirurgorum ſententia inprimis Ioannis Grandis Tallorienſis cui exhiberi parentes curarant Medici expertiſſimi omninò cõprobatum eſt:ſed ex Epiſcopi Chriſtiana humilitate,qui rem obſcuram haberi voluit factum eſt,vt citò diſcedente illo, nomen & patriæ locus ignorentur. Æſtate verò hæc fiebant, qua ferè tota ad reformationem Monaſterij Monialium Diuæ Catharinæ prope Anicium ordinis Ciſtercienſis incubuit;verùm cùm ex arte diaboli mille obices ſuis quotidie conſiliis ponerentur, illud dumtaxat efficere potuit, vt quinque Virgines Reformationis auidas ex eo Monaſterio traxerit, collocaritque Rumilliaci, ac poſteà Rupi & Seſſelli, vbi ſub religioſiſſimis quas præſcripſit Conſtitutionibus religioſiſſimam etiam vitam agunt, cum ſpe procedendi vlterius,ita vt eum ſacrarum illarum Chriſti ancillarum ſi non Inſtitutorem ſaltem Reformatorem, Reſtauratorem ac Directorem ſancta Sedes Apoſtolica cognouerit, & declarauerit.Dum hæc proſperè aguntur in Sabaudia de annumerando cœlitibus Iuuenale Ancina Sallutienſi Epiſcopo Romæ negotium

Franciſcus Bernardiana reformationis author.

tium erat, quare de tanto Præsule quæsitum est Salesij testimonium, quippe qui Sanctus de Sancto optimè testari poterat, & præclaram sanè sententiam referre fuerit operæ pretium. Gratissimum verò mihi (inquit) & iucundissimum est, quod audio de vita & viuendi ratione Perillustris & Reuerendissimi Patris & Domini Iuuenalis Ancinę propediem in lucem emittenda: cùm enim, vt magnus Nazianzenorum Pontifex Gregorius dixit, Episcopi sint pictores virtutis rei præclarissimæ, rémque tam excellentem verbis ac operibus concinnè, & quoad fieri potest accuratè pingere debeant, non dubito quin in nostri clarissimi & spectatissimi Iuuenalis vita, Iustitiæ Christianæ, hoc est omnium virtutum omnibus numeris absolutam imaginem conspecturi simus. Et quidem cùm Romæ quatuor illis vel quinque mensibus, quibus piissimi ac ornatissimi Prædecessoris mei Claudij Granierij iussu huius diœcesis aliquot rebus tractandis operam dedi, plurimos sanè vidi eximiâ sanctitate & doctrinâ viros, qui vrbem & in vrbe orbem suis laboribus exornarent: sed inter eos omnes istius seorsim virtus mentis meæ oculos vehementer occupauit. Mirabar etenim in tanta viri eruditione ac variarum rerum scientia tantam sui ipsius despicientiam, in tanta oris, verborum ac morum grauitate tantum leporem, tantámque modestiam in tanta pietatis sollicitudine, tantam vrbanitatem ac suauitatem, cùm nec fastum, quod plerísque contingit, alio fastu, sed verâ humilitate calcaret, nec inflante scientia charitatem ostentaret, sed charitate ædificante scientiam instrueret; dilectus planè Deo & hominibus qui Deum & homines puríssimâ dilectione prosequeretur: puríssimam autem appello eam dilectionem, in qua vix quidquam amoris proprij siue philautiæ reperire licebat; rara & exquisita dilectio ista, quæ etiam inter pietatis cultores rarò viget, vnde procul, & de vltimis finibus pretium eius. Obseruabam verò hominem hunc cùm sese daret occasio, tam luculenter, tam syncerè, tam amanter solitum laudare variorum Religiosorum & Ecclesiasticorum, imò etiam laïcorum instituta, mores, doctrinam, Deóque inseruiendi methodum, ac si ipse eorum congregationibus aut cœtibus addictus esset, cúmque suam sibíque dilectissimam clarissimi Oratorij Congregationem dulcissimo & planè filiali corde complecteretur, non tamen propterea alios conuentus cœtúsve Deo seruientium frigidiùs, vt

Francisci de Iuuenale Ancinæ sententia.

plerúnque accidit, molliùs aut languidiùs amabat, æſtimabat, extollebat. Quamobrem eos qui tacti amore cœleſti intrinſecus purioris vitæ rationem ſequi cupiebant, conſiliúmque eius expetebant, ſolâ Dei maiore gloriâ inſpectâ, in ſocietatem quam illis magis congruam putabat, manu ac opera amantiſſimè deducebat; homo videlicet, qui nec Pauli, nec Cephæ, nec Apollo, ſed Ieſu Chriſti erat, quique meum & tuum frigida illa verba, nec in temporalibus, nec in ſpiritualibus audiebat: ſed omnia in Chriſto ac propter Chriſtum ſyncerè expendebat. Cuius quidem tam perfectæ charitatis in hoc Apoſtolico viro exemplum nunc ad manum habeo. Obiit nuperrimè in Collegio huius Ciuitatis Anicienſis Clericorum Regularium Sancti Pauli, vir Religioſiſſimus Gulielmus Cramoëſius Pariſienſis, cum quo vt fit, dum verba miſcerem, incidi in mentionem de Reuerendiſſimo Iuuenali noſtro Ancina; at ille ſubito gaudio perfuſus, quàm grata, inquit, huius viri, quàm chara mihi eſſe debet recordatio, quippè qui me iterum in Chriſto quodammodo genuit, cúmque vidiſſet me deſiderium concepiſſe rem totam paulò fuſius audiendi, ita narrare perrexit. Annos natus viginti quatuor (inquit) cùm iam multis inſpirationibus Diuinâ Prouidentiâ me ad vitam religioſam incitaſſet, ita tamen pro mea imbecillitate contrariis tentationibus exagitatum me ſentiebam, vt deſpondens prorſus animum de matrimonio ineundo ſeriò cogitarem, réſque iam apud amicos ita proceſſerat, vt propemodum acta videretur; verùm quæ Dei eſt benignitas! cùm Oratorium Valliſcellæ ingreſſus eſſem, ecce audio Patrem Iuuenalem Ancinam de humani primùm ingenij inconſtantia & infirmitate, deinde de ea magnanimitate quâ inſtinctus diuini exequutioni mandandi ſunt ad populum verba facientem, tanta ſermonis & ſententiarum peritia, vt cordis mei miſerándam pigritiam quaſi manu iectâ excutere videretur: ita vt tandem quaſi tuba exaltans vocẽ ſuam me ad deditionem cogeret, quapropter ſtatim finito ſermone ad eum in Oratorij quodam angulo preces pro ſermonis ſui vt reor fœlici ſucceſſu fundẽtem, hæſitans & anxius accedo, & quid animo voluerem expono. Ille verò res (inquit) hæc paulò accuratiùs tractanda eſt, neque nunc nobis tempus ſuppeteret adueſperaſcente iã die. Itaque cras ſi ad me veneris opportuniùs de re tota

agemus

agemus. Tu interim quod caput est, lumen cœleste precibus aduoca. Veni ergo postridie, & quidquid in vtramqeu partem circa vocationem meam agitarem syncerè aperui, seorsim verò me ob id potissimùm religiosam vitam formidare, quòd corpus debile ac delicatæ temperaturæ nactus essem, quibus attentè auditis & expensis. Et propterea (inquit) seruus ille Dei, Diuinâ Prouidentiâ factum est vt in Ecclesia varij sint ordines Religiosorum, vt scilicet qui austeris & pœnitentiæ exteriori addictis non possit vitam addicere, mitiores ingrediatur. Et ecce tibi Congregatio Clericorũ Regularium sancti Pauli, in qua disciplina perfectionis religiosæ summoperè viget, & nullo tamen tanto corporis labore premitur, quin à quouis propemodum homine eius mores ac constitutiones facillimè Deo propitio obseruari possint; accede ad eorum Collegium, & vide tu ipse num ita res habeat, neque deinceps cessauit vir Dei quousque me huic colendissimæ Congregationi adscriptum videret & insertum. Et hæc quidem narrabat Gulielmus. Ex quibus facile est coniicere quãta fuerit magni Iuuenalis Ancinæ in dicendo efficacia, in consulendo sagacitas, & in iuuandis proximis constans & perfecta charitas; quod enim nunc exempli gratia à me recitatum est, idipsum cũ plerisque aliis actum cognouimus, & quidem quod ad me attinet, ingenuè fateor, plerisq; quas pro sua in me propensione ab eo accepi literis vehementer ad amorem virtutis Christianæ incitatum fuisse. Iam autem postquam à præclaro Congregationis Oratorij viuendi modo ad sacrosanctum Episcopale munus translatus est, tum verò maximè eius virtus splendidiùs micare, ac clariùs, vt par erat, splendescere cœpit, vt lucerna nimirum ardens & lucens, quæ super candelabrum posita omnibus lucet qui in domo sunt. Et quidem cum Carmaniolæ, quod oppidũ est Salutiensis Diœcesis, vbi Visitationis Pastoralis officio tunc incumbebat, anno millesimo sexcentesimo tertio eius salutandi gratia, relicto tantisper itinere veniissem, sensi ego tunc quantam dilectione mixtam venerationem eius pietas & virtutum copia in populis illis excitaret: nam vbi me appuliisse cognouerunt, dici satis non potest quo ardore mentis amica quadam vi ex hospitio publico in domum cuiusdam nobilis Ciuis inuexerunt, quandoquidem, inquiebant, hominem qui honoris gratia ad suum dilectissimum Pastorem diuerteret, vellent si mo-

dò possent in medio pectorum recondere, neque vnquam sibi satisfaciebant in lætitia, quam ob tanti Pontificis præsentiam conceperant, verbis ac vultu iucundè exprimenda, cùm ille nobilissima quadam affabilitate, ac suauissima erga omnes beneuolentia, omnium pariter oculos animósque in se conuerteret, ac tanquam Pastor egregius & beneficus, oues suas nominatim ad virentia pascua euocaret, manibúsque sale sapientiæ plenis vt post se venirent alliceret, imò & traheret, vno tandem dicã verbo, cui absit inuidia. Non memini me vidisse hominem, qui dotibus quas Apostolus Apostolicis viris tantoperè cupiebat, cumulatiùs ac splendidiùs ornatus esset. Plurimùm valuit hoc Salesij iudicium ad existimationis de Ancina ab omnibus conceptæ incrementum, & ex stylo satis cognitum est, Sanctum pro Sancto laborasse. Labentis Autumni hæc erant opera, qua tempestate iterum à Gratianopolitano Senatu ad Conciones Aduentus Dominici & Quadragesimæ inuitatus est; sed ne quid inconsulto Duce fieret, scripsit idcircò. Gratianopolitani Diguierianum Ducem quamuis adhuc Hæreticum rogauere vt ad habendum Salesium apud Sereniſſimum Allobrogum Ducem intercessor pro eis esse dignaretur. Bonna adhuc etiam Salesij auidus sic egit, vt licere Gratianopolim Salesio repetere Dux Sereniſſimus rescripserit. Exeunte igitur Nouembri Vir Apostolicus mira paturaturus profectus est: verumtamen non ad Ministrorum gaudium, qui non nisi eum in suam venire perniciem sciebant. Accedebant autem sæpissimè ad eius Conciones, vt Pharisæorum & Scribarum ad instar eum in sermone capere possent, cùm in vita ne minimum quidem imperfectionis atomum animaduerterent, nec valerent eum arguere de peccato. Aiebant initio. Audiamus quid tandem noui dicturus sit! Quî fieri poterit vt ea quę superiori anno dixit non aliquando repetat? At Salesius alium se ab eis esse ostẽdit, qui semper ad finẽ deficiũt, doctiùs & potentiùs quam vnquam concionatus est, quæ res tantam in eum à peruersis & Satanæ organis attraxit inuidiam, vt cùm non amplius hæresis posset rationum momentis resistere, imperitam & stolidam suam plebem armauerit conuiciis & scommatibus ad sanctum Præsulem impugnandum, qui sanè hos canum in lunam latratus contemnendo frustra rabie miseros confici etiam videbat, & interim multam in Ecclesiæ horrea messem immittebat.

Diguieria. nus Ducẽ roga: pro habendo Salesio.

Ministro. rum Gratianopoli tanorum stupor de Francisco.

bat. Superatis ſolemnibus feſtis fluente Ianuario anni milleſimi ſexcenteſimi decimi octaui Anicium reuerſus eſt, vbi filiationis & participationis litteras omnium bonorum operum Ordinis fratrum Capucinorum anno iam ſuperiori Lugduni à Generali Paulo Cæſenenſi datas recepit, adeò omnes Religioſos Ordines Præſul Religioſiſſimus amabat, vt amabatur ab omnibus: ſiquidem pro omnibus ſemper impensè ſtuduit & Monaſteria ab diſciplinæ regularis obſeruantia alienata ad meliorem normam reducere conatus eſt, vt hoc etiam menſe erga Sixienſes Religioſos teſtimonium exhibuit. Variis illi à Sancto Præſule litteris admoniti fuerant vt in communi viuerent, clauſtralique Priori obedirent, quòd tandem fecerunt, & Saleſius promiſſi authoritate viſa ſic eam ratam habuit. Deſiderauimus diu (inquit) omnes Diœceſis noſtræ Religioſos ad primæuam ſui inſtituti regulam ac normam redire, ſed præcipuè id fieri & cupiuimus, & adhortationibus curauimus in Monaſteriis quæ curæ noſtræ ac ſollicitudini & Iuriſdictioni ordinariæ relicta ſunt. Quare hanc promiſſi authoritatem Piorum Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini Monaſterij Sixenſis non ſolùm approbamus & ratam habemus, ſed laudamus & amamus quàm poſſumus enixè in Chriſti viſceribus, atque vt deinceps adamuſſim ſeruetur, pro noſtra in id Monaſterium & eius regulares Canonicos ordinaria poteſtate ac authoritate in Domino præcipimus ac mandamus necnon omnibus paupertatem illam, quæ ab his qui in communi viuunt obſeruatur, colentibus paternè benedicimus: decimo Calendas Februarij, quo die graui afficiebatur mœſtitia ob extremam valetudinem qua Vir ſibi intimus quippe apud quem animum etiam pro Pœnitentiæ Sacramento effundere ſolitus erat, Philippus Coëſius Sancatharinianus Tallorienſis Cathedralis Eccleſiæ Canonicus decumbebat. Calidè Pontifex piiſſimus pro piiſſimo Sacerdote Deum orauit, cùm eum ſciret eſſe ſeruum fidelem & prudentem ſuper familiam ſuam, etenim in Cathedrali Eccleſia Pœnitentiarium magnum ille agebat, ſed interorandum accepit à Domino morti proximũ eſſe. Quamobrem adoratâ Diuinâ voluntate in illius domum viſitationis officio perrexit, interrogauit de ſtatu animæ, ad tranſitum animauit, ad. futurúmque ſe ſi neceſſarius eſſet ſemper promiſit, tum recedens adueſperaſcebat enim ægríque fratrem Claudium Ludouicum,

Franciſcus Capucinus ſeu ordinis filius.

Franciſcus Sixienſes laudat.

Franciſcus reuelatio-nem habet.

uicum, Nicolaum Coëſium Talloriēſem Priorem flentem amariſſimè videns, priuatim ſeſe illi adhibuit, dixítque. Calidè oraui Deum pro ſanitate optimi fratris noſtri, (ſic eum vocabat) ſed reuelauit mihi velle ſe eum. Dominus eſt, vide ne verbum proferas, quos patitur nunc dolores ii ſunt quos in purgatorio pati debuiſſet. Quibus verbis leuari ſe ſenſit mœſtus frater. Domum vt reuerſus eſt, Ludouicum Saleſium Baronem Torentinum de Medicorum ſuper ægro iudicio interrogauit, qui dixit affulgere adhuc ſpem ſalutis aliquam ex eorum coniecturis; at Præſul. Bene (inquit) Morietur: ego enim aliquid ſcio. Prior Coëſius ſtatim ab Epiſcopi diſceſſu ad moribundi fratris ceruical acceſſit, ab eo vocatus, qui cùm pergeret amarè flere. Noli (inquit) frater mi ex obitu meo affligi, parce lachrymis. Dominus enim Epiſcopus promiſit mihi ſe tui curam habiturum. Caue autem. O caue ne quidquam inconſulto illo aggrediaris. Et ecce quod iſtinc abituţus dico, neque enim debeo rem tanti momenti in alium mundum deferre. Reuerendiſſimus Dominus magnus Sanctus eſt, habe eum vt Diuum Ioannem Baptiſtā, quod ad Virginitatem, & vt Diuum Carolum Borromæum quod ad humilitatem & paupertatem ſpiritus. Planè magni ſunt ponderis hæc viri piiſſimi morientis verba. Nox iam erat cum deficere viſus eſt æger. Miſſum eſt illicò ad Antiſtitem, ægri enim domeſticos rogauerat, vt cùm morti viderent proximum, eum vocarent. Interrupit cœnam bonus Præſul, venítque ad ſuum Coëſium cui agenti animam, animo dixit, Mi frater, moriemur, ſed moriemur benè, prope eſt æternitas, & videbis Dominum Deum noſtrum in terra viuentium, dum autem hęc diceret, moribundus leuabat oculos ſuos in montes illos coagulatos, montes pingues, in quibus beneplacitum eſt Deo habitare, verùm dum elinguis iam eſſet, extremóſque emitteret ſingultus, Saleſius adſtantibus omnibus genuflectere iuſſis Litanias recitauit & animam illius Deo commendauit, abeunti ſuam ſacram impertitus eſt benedictionem, & functi oculos clauſit, tum nonnullas emiſit lachrymas. Et quia vt ſeruum Dei ſemper coluerat, optiméque de eius æterna ſalute credebat, eius roſarium & zonam habere voluit. Dici ſatis non poteſt qtantos luctus Reuerendi illius Canonici obitus in Ciuitate excitauerit, amabatur enim ab omnibus, quod Eccleſiaſticus eſſet numeris omnibus abſolutus, & qui ſynceram ac religioſam

Sancathariny de Franciſco verba.

Sancathariny obitus, eius elegium.

gioſam pietatem exercebat. Porrò quæ moriens in Saleſij commendationem effuderat ſtatim in vulgi notitiam peruenerunt. At Saleſius humilitate conceptam de ſe opinionem conabatur auertere. Eodem ferè tempore decumbebat ad mortem vir longè ab illo alius, quippe de ſua æterna ſalute ob peccatorum multitudinem deſperans, fruſtrà ad eum in ſpem reuocandum multi Confeſſarij laborauerant. Saleſius blandè cum eo egit, ſicque de Dei bonitate & miſericordia per optimam fidem certiorem reddidit, vt eleuatus miſer per Confeſſionem contritione pleniſſimam veniam petierit à Deo, & fœliciter clauſerit diem. A quibus Chriſtianæ charitatis actibus Sanctus Epiſcopus Gratianopolim ad Quadrageſimales Conciones rediit, quas ſuo more perfecit incredibili cum animarum fructu, & abſoluit Diguieriano Romanæ Religionis & fidei amplectendæ deſiderium immittere. In Diœceſim redux vndecimo Calendas Auguſti viſitauit Prioratum Sanioricianum ad lacum Anicienſem vnitum Prioratui Tallorienſi Ordinis Diui Benedicti, & Sancti Ioricij oſſa eiuſdem ordinis Religioſi ex primis qui Tallorienſe Monaſterium inſtaurarunt in honorificentiorem locum reportauit, eadémque die viſitauit paroecialem eiuſdem pagi Eccleſiam Diuo Nicolao ſacrã. Eſt & alius in Falcinij Prouincia pagus à ſancto Ioricio ſeu (vt alij putant) à ſancto Georgio nomẽ habẽs illac, cùm fortè per hos menſes Saleſius pertranſiret premeretúrque ſiti peſſima ob ingentes æſtatis calores, ſed præter illum ſerui tabeſcerent, viſum eſt in pago ſiſtendum, donec adſpiraret dies & inclinarentur vmbræ. Hoſpes erat vnicus Ludouicus Danto, à quo cùm ſanctus Antiſtes vinum petiiſſet, intellexit nullum eſſe præter corruptum, ex quo ſigninum conficere paratus erat. Quinimò, aiebat hoſpes, aquam potius ſuaderem bibendam quàm vinum iſtud, poſſes enim ex hauſtu decumbere. At Sanctus: Nihil refert (inquit) Videamus vinum illud, & iterauit petitionem, tum hoſpes modicum corruptiſſimi vini in ſcypho porrexit, quo Saleſius deguſtato, reliquum reddens, Cape (inquit) optimum enim vinum eſt, nec time famulis noſtris bibendum dare. Stupuit Danto, & poſt Sanctum ex eodem ſcypho deguſtauit, inuenítque nullum vinum potentius. Statim areſcentibus ſeruis quantum ad pellendam ſitim petierunt dedit, qui etiam ne deinceps melius reperirent metuentes, lagenas impleuerunt, quas ſecum adſpor-

Franciſcus deſperantem reuocat.

Franciſcus ſubitò vinum corruptum optimũ reddit.

Vrceũ vini miraculũ.

tauere, ipseq; hospes Episcopo profecto intra duos deinde dies, quidquid supererat illius vini totum ad mensuram poculi sexdecim assium pretio (adeò potens erat) vendidit. Miraculum fuisse euidentissimum omnibus extitit. Sed hac de re Præsul, vt solebat de cæteris, omninò tacuit, perrexitque ad suos Sixenses Canonicos eorum reformationi finem & terminum impositurus. Appulit pridie Idus Septembris, qui dies Martis erat, & mansit vsque ad decimum sextum Calendas Octobris, quo temporis spatio pro religiosæ disciplinæ restitutione egit prorsus præclarissima. Quandoquidem (inquit in Actis) Monasterium venerabilis Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini pagi Sixensis, Curæ ac & Iurisdictioni Prędecessorum nostrorum ac nostræ secundùm primæui iuris Ecclesiastici sacras regulas relictum sit, nos sanè ipsius & Canonicorum in eo Deo seruientium vtilitatibus quàm impensissimè facere possumus incumbere, ac animum intendere debemus & volumus. Quapropter cùm Deo inspirante ipsos Venerabiles Canonicos de pristina regulari obseruantia, quæ temporum iniuria inter eos collapsa propemodum & extincta iacebat, erigere, & in integrum restituere velle, necnon Illustres & Reuerendos admodum Dominos Iacobum Mouxiacum Abbatem licèt Commendatarium, & Humbertum Mouxiacum eiusdem Adiutorem & Monasterij Electum, non solum huiusmodi pia consilia ac vota probare, sed etiam adiuuare ex animo statuisse cognosceremus: nos quoq; vt authoritatem nostram ordinariam ac opem huic tam laudabili & desideratissimo operi impendere facilius possemus, huc venientes, omnibus inspectis & consideratis, ita demùm decernendum ac constituendum censuimus. Et primùm quidquid in vltima nostra visitatione sancitum est, tanquam iuri & rationi consonum iterum districtiùs præcipimus & decernimus faciendum. Quia nullus inter Canonicos nunc superstites inuenitur, qui disertam emiserit professionem sacri Concilij Tridentini menti ac verbis inhærendo, declaramus & decernimus eos omnes Canonicos ad professionem explicitam teneri, & idcircò iis omnibus qui nunc habitum gestant, annum præfigimus, qui quasi annus probationis habeatur, quo elapso statim vel eam professionem emittant, vel causas si quas habeant cur nolint emittere nobis exponant. Deinceps verò statum elapso probationis anno, vt idem

Franciscus vltimam manum reformationi Sixensi adhibet.

Concilium

Concilium statuit, vel ad professionem Nouitius admittatur, si reperiatur idoneus, vel à Monasterio repellatur. Si verò post probationis annum adhuc idoneus ad profitendum non existimetur, & nihilominus spes probabilis existat, si amplius, imò etiam secundo integro anno in Monasterio retineatur, eum fieri posse idoneum. Licitum esse, Congregatio Cardinalium Concilij respondit, quandoquidem de idoneis Concilium, non de aliis decreuit. Nouitij porrò in hoc à Professis quoad habitum distinguantur. Quòd Professi Epomidem in omnibus Diuinis officiis deferre soleant: Nouitij verò solo supparo vtantur. Cùm hæc Abbatia commendata sit, præcipimus, vt deinceps omnibus Canonicis vnus eiusdem Ordinis disertè professus, qui Prior nominetur, & gregi præire ac præesse possit iuxta Tridentinum Conciliũ capite vigesimo primo, sessione vigesima quinta, præficiatur & constituatur. Is verò vt capite sexto cautum est, per secreta vota eligatur à Capitulo, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, & in quem maior pars Capituli per ea secreta vota inclinauerit, electus omninò censeatur, qui etiam vsque ad obitum in eo Prioratus officio, dummodo rectè se gesserit, perseueret. Cæterùm idem quoque de Subpriore fiat. Omnes illi Priori obediant tanquam Patri, vt Diui Augustini regula præcipit, & eo absente Subpriori. Si quid autem maioris momenti faciendum sit, aut præcipiendum, nec sit periculum in mora, Prior nihil moueat aut decernat, quin prius ea de re cum Capitulo suo contulerit. In omnibus verò grauioribus difficultatibus, quæ per Priorem aut Capitulum solui nequibunt ad Episcopum, siue eo absente, Generalem Vicarium accedatur, qui ex ordinaria potestate constituet quid agendum sit; quemadmodum hactenus obseruatum est. Prior diebus singulis Sabbathi tabellam in Ecclesia ponet, in qua notata erunt eorum nomina, qui Altaris officia & chori per totam hebdomadam obire debebunt. Quæ omnia secundùm ritus & ceremonias Cathedralis Ecclesiæ vt fieri poterit persoluentur. Nullus liber habebitur in Monasterio nisi de licentia Prioris aut Subprioris, qui videat ne libri ab Ecclesia prohibiti, aut curiosarum siue inutilium scientiarum afferantur: & vt sit in Monasterio piorum librorum, casuum, vt vocant, conscientiæ, & Theologicorum copia & supellex, quæ possit omnibus Canonicis sufficere, vt singulis die-

bus ſecundùm Regulam certa hora queant incumbere. Hora autem legẽdi erit ante Veſperas preces, inter Veſperas & Completorium, & inter Completorium & cœnam. Prioris aut Subprioris curâ fieri debet, vt vnuſquiſque in Nouitiatu Catechiſmum ſacroſancti Tridentini Concilij Latinè vel Gallicè legat, & de huiuſmodi lectione rationem reddat. Singulis porrò diebus Canonicorũ aliquis magis idoneus iudicatus nouitios alióſque ſi opus fuerit de cantu & cantandi ratione inſtruat. Quamprimùm fieri poterit menſa ita componatur, vt ex vna tantùm parte Canonici ſedeant, illíſque portio ſigillatim detur: Benedictio autem menſæ & gratiarum actio poſt refectionem ab Hebdomadario fiat, niſi feſtis ſolemnibus, quibus huiuſmodi officium Priori aut Subpriori incumbet, ac durante refectione ſemper legatur voce clarâ & intelligibili, cúmque debitis interpuncta interſtitiis. Singulis diebus Sabbathi Prior, vel eo abſente Subprior conuocet Capitulum, vt vocant, & in eo ſi quid in officiis, vel in actibus, aut in moribus Canonicorum contra regulam obrepſerit, corrigat, etiam pœnitentias iniungendo, prout expedire videbitur; ſi autem nihil ſit corrigendum, legetur articulus vnus regulæ, & poſt orationem omnes in pace recedent. Omnia iura clamant quod in vltima noſtra viſitatione decreuimus, Mulieres ſcilicet ne quidem ad breue tempus intra ſepta & muros exteriores Monaſterij habitare, aut commorari debere. Propterea nos omnibus & ſingulis ad quos ſpectat, diſtrictiùs in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis maioris præcipimus, vt omnes omninò mulieres à Monaſterio arceant, eiiciant, & expellant, ſi quæ in eo reperiantur, néve eas aliáſve vnquam admittant, aut intra Monaſterij ſepta conſiſtere patiantur. Sub pœna eiuſdem excommunicationis mandamus, vt intra menſem ab hac die decima quinta Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi decimi octaui computandum, omnes & ſinguli qui inſtrumenta ſiue titulos Monaſterij habent, ea in archiuiis reponant. Dominus Abbas Canonicorum Communitati quotannis duodecim præbendas perſoluere tenebitur, eo modo quo in prima noſtra viſitatione notatũ eſt, & communitas duodecim idoneos, reſidentes, vel de iure pro reſidentibus habendos alet, hoc eſt victum eis, veſtitum, & alia ad vitam neceſſaria dabit. Ædificia totius Monaſterij Abbatis ſumptibus ad debitam

ac

ac regulari obseruantiæ congruam formam restituenda & conseruanda erunt. De cęteris verò Canonicorum petitionibus, quia inter eos & Adiutorem amicè conuentum est, nihil prætereà decernendum existimauimus. Hæc Sanctus Legislator. Iam quo tempore moram in eo Monasterio traxit miraculum visum fuit quod in eius gratiam innumeri pisces capti sint: ita vt nusquam Amnis Giffria tot & tantos præbuerit, vt statim Incolæ omnes locorum illorum obseruarunt: quæ res non parum pauperes religiosos leuauit, sed aliud longè excellentissimum patratum est miraculum. Venerant ad Antistitem sacrum ex Falcinienſi, Gexenſi & Caballiano agris variorum negotiorum ergò viri quamplurimi non infimæ conditionis, tum Ecclesiastici cùm laïci, qui omnes pauciſſimis exceptis in Monasterio & Cõmunitatis sumptibus vixerunt, ita vt alicuius dignationis hominibus ducenti facti fuerint pastus, minoris verò notæ vtpote seruis quadraginta, duos in ducentis computando quos ipse sumpsit, reliquos enim noluit Communitatis expensis. Quamobrem assiduè lamentabatur quam Canonicis causabat incommoditatem, & extranei quidem supputatione ab Oeconomo facta præter solitum & ordinarium familiæ, tantum biberunt vini quantum ferre possent duo equi, & tantum manducauere panis quantum ex duobus Sabaudicis modiis, si modium ad centum & octoginta libras, & libram ad octodecim vncias ponderes, confici potest. Post discessum autem Pontificis reperta est ea sola panis & vini diminutio, nec adhuc tanta quanta fuisset, si ad solitum & ordinarium stetisset Communitas, ita vt ducenti illi & quadraginta pastus neque panem, neque vinum minuerint, imò & plus panis & vini superfuit quàm si nullis extraneis onerata fuisset Communitas: siquidem à sex diebus ante aduentum Episcopi aperuerant vas vini, & panem ad ordinariam mensuram coxerant, neque ex alio vino bibitum, & alio pane manducatum est; superfuit verò panis ad aliquot deinde dies, & qui huius rei fuere testes Episcopo iam Anicium reuerso, Miraculum exclamarunt, Ioannes Moccandus Prior, Bernardus Passierius, Franciscus Biordus, Nicolaus Desfayetus, Bernardus Rannaudus, Claudius Moccandus, & Ioannes Passierius. Canonici Regulares, crediderúntque id sancti Præsulis factum precibus, qui de tot eorum sumptibus sui occasione dolebat, quique

Captura piſciũ pro Franciſco.

Stupendũ miraculũ de multiplicatione panis & vini.

ſe Deum rogaturum dixerat, vt de rore cœli & de pinguedine terræ eſſet eorum benedictio. Vacare non poterat vir ad munus Apoſtolicum à Deo datus. Rogauerant eum Superioribus iam annis Æditui Parœcialis Eccleſiæ ſancti Andreæ Pariſienſis vrbis, vt eos ſuis decorare concionibus ad Quadrageſimam & Aduentum Dominicum dignaretur, & conſenſerat. Grauis etiam in eam rem acceſſit occaſio, quippe Sereniſſimus Princeps Mauritius Cardinalis à Sabaudia ad Regem ibat, de nuptiis Sereniſſimi ſui fratris Victoris Amedei Subalpinorum Principis, cum virgine Regia Chriſtina Francica Henrici filia & Ludouici Sorore acturus. Quamobrem iuſſionem accepit à Sereniſſimo Duce Saleſius, vt Paranymphum Cardinalem in Galliam comitaretur. Ineunte igitur hyeme profectus eſt, appulitque opportunè ampliſſimam illam ciuitatem, hoſpitio exceptus in ædibus Anchoritanis, aſcendit ſtatim in Cathedram Parœcialis Eccleſiæ ſancti Andreæ, vbi tanto cum applauſu populi, & tanta fama Conciones habuit, vt non mora ad eum audiendum, Cardinales, Epiſcopi, Principes Regij ſanguinis, & Senatores vndique accurrerint. Per vicos tranſeuntem quærebant omnes tangere, quia virtus de illo exibat, & quia cum eo erant à Sereniſſimo Duce Legati, Gerardus Scallia Comes Verrucanus, & Antonius Faber Sabaudiæ Præſes, palam dicebatur in aula, Sabaudiæ Ducem non potuiſſe ſuum meliùs oſtendere ingenium, quàm in trium horum Virorum illuſtrium electione, qui diuerſæ licèt conditionis, nihilominus eius in negotio concordes forent. Dici ſatis non poteſt, quot & quantis culti fuerint honoribus, & ſanè merebantur quidquid vnquam prudentiſſimi Oratores meruerint. Saleſius autem ex omnium ſententia potentioribus ictibus fœdus illud percuſſit, quo precioſiſſima Europæ gemma (vt aiebat) Sabaudia decorata eſt, locupletata eſt, & aſſerebat hunc ei honorem Alexander Vindocinus Franciæ magnus Prior, qui non ſemel Sereniſſimæ Principi illi concham eſſe Saleſium dixit, quæ Diuinitatis vnionem in ſe haberet. Stupebant prorſus omnes dum tantæ pietatis Præſulem, tanta etiam rerum agendarum peritia ornatum conſiderabant, & pluſquam hominem eſſe Aulici ipſi, qui rarò pietatem laudant, fatebantur. Doctor Sorbonicus Vincentius Eccleſiæ Diui Nicolai, quam de Chardonereto vocant Curio, Neſcio inquiebat, Ieſu Chriſti in terris agentis conſuetudinem expreſſiori

Franciſcus Lutetiam proficiſcitur.

Concionatur.

Mirè laudatur ab omnibus.

preſſiori mihi repræſentare imagine, quàm cùm Saleſium Gebennenſem Epiſcopum cum ea manſuetudine, prudentia, humilitate, & virtutibus omnibus cõſidero; & dicebat hoc eum Quadrageſimales Conciones continuantem audiens, quibus Vir Apoſtolicus etiam Hæreticos quamplures ad Chriſti & eius Eccleſiæ Romanæ reuocare caulas continuabat. Inſignis fuit Viri Nobiliſſimi Gubernatoris Pheræ in Francico Belgio, tunc fortè Lutetiæ ex morbo decumbentis conuerſio. Hæreticus erat obſtinatiſſimus, alioquin ob militarem diſciplinam benemeritus. Nobiles quatuor eius amici, ſed Catholici, timentes animę, ne in eo miſero hæreſis ſtatu abiret in gehennam, fusè apud eum Saleſium laudauerant, vt Præſul eſſet doctiſſimus & mitiſſimus, vt verè virtutem cum nobilitate coniunxiſſet, vt à nemine auerſus eſſet: tum ſubdiderant; Viſne vt eum ad te huc ducamus? & ille: facite quod voletis. Venerunt igitur ad Saleſium, rogauerúntque dignaretur ægrum hæreticum inuiſere, ſi fortè conuerſioni locus eſſe poſſet. Iuit confeſtim Saleſius, quem cùm intrantem videret æger exclamauit: Hei, Domine, ad quid venis? Vt me ad tuam religionem conuertas? ſi id præſtas plus facies quàm fecerit vnquam Diuus Petrus. Subriſit comiter & blandè, vir Dei, reſponditque: Domine, neſcis quid tibi ſeruet Deus; tum cœpit multis ſermonibus cum eo agere. Quibus auditis æger: præclara dicis, inquit, mi Domine, neque is ego ſum qui ad hæc omnia reſpondere queam, verumtamen da mihi octo dies, conferam de omnibus cum Petro Molinæo Charantonio Miniſtro, vt ſi placet conueniatis, & coram me hæc cauſa agitetur. Placuit oblata collatio Saleſio, qui ait, Ita ſit planè, elige diem & horam, & ſi monitus fuero adero procul dubio. His ita ſtatutis curauit æger accerſiri Molinęum, cui omnia recenſuit; at vecors Miniſter nolle ſe dixit diſceptare cum Saleſio, quamuis intra dierum illorum ſpatium ter & quater poſteà prouocatus, conteſtato inquiente Gubernatore eum de ſua anima in die iudicij reſponſurum. Elapſis diebus octo reuerſi ſunt ad Saleſium quatuor Nobiles, eum ex indicto iterum ad ægrum ducturi. Et quidem lecto proximus. Bene (inquit) Domine, quid per hos dies circa res noſtras egiſti? An venit Molinæus? Ad hæc infirmus atrociſſimis querelis fusè de Miniſtris lamentatus eſt, quòd eum ſic quinquaginta annorũ ſpatio decepiſſent, & exclamans ah, inquit, ego Molinæum potenter

Inſignis conuerſio hæretici Satrapæ à Franciſco.

Molinæi ſocordia.

potenter sum alloquutus, sed quandoquidem disputare renuit, bonam profectò non iudicat suam causam: sed perge Domine, obsecro, de religione Catholica me instruere, paratus sum enim Caluinianam abiurare. Salesius tunc iunctis manibus & eleuatis in cœlum oculis, æternum & optimum numen breuiter ad orauit, docuítque ægrum suum Catechismum, ac animæ salute tradita etiam corpori sanitatem dedit, Molinæo cæteriſque Ministris frendentibus, & confusione opertis. Et Gubernator ille post ingentes actas gratias in patriam suam redux non solùm constantissimè in fide Catholica perseuerauit, sed etiam vniuersam familiam conuertit. Celebris profectò fuit hoc lucro Salesius, sed non minus hoc alio. Rogatus fuerat à Montigniaca Matrona Nobili, vt Dynastam quendam sibi consanguineum vel affinem à multis iam annis hæreticâ prauitate affectum alloqui dignaretur. Promisit Officium, & cum matronis in aula donec veniret ille præstolatus est. Non longiori semihoræ morâ intrauit solus hæreticus, nam & sic conuenerat, atque vbi datâ sede propior fuit. Conuersus ad Montigniacam Salesius: si scirem, inquit, ô Domina, hunc esse cuius causa loquuti sumus, rogarem eum, dubitationes & difficultates circa fidem nostram suas proponeret; tum ille reuerentia iterum facta, Ego sum, inquit: & vt breuiter faciamus, si probas mihi Purgatorium subitò Catholicus fiam. Et Salesius Rogo te ergo Domine vt patienter me audire velis, spero enim tibi iuuante Deo hac in re optimè satisfactum iri, exhiberi sibi sacra Biblia iussit, quæ in sacculo semper ad occasiones Pilliodus deferebat, & longa fuit disputatio. Tandem tamen se conuictum hæreticus confessus non distulit hæresim deponere, & ingenti cumulatus cõsolatione recessit. Fuit & alius, qui ad curiositatem tantùm cum Salesio disputandi desiderium habuit, vt sciret num ea polleret doctrina, qua famosus erat. Venit & disputauit, sed in sua curiositate captus est & conuersus. Denique Virum prouectæ iam ætatis, & magnæ dignationis in sæculo ab atheismò reduxit; interrogatus ab eo quidnam & quinam esset Deus ille de quo tam sæpè sermonem habebat: tanta iecit ex rerum naturis fundamenta, tot ex iis rationum momenta eruit, (aliter enim non conuertuntur impij) tam solidè philosophatus est, indéque ad fidei necessitatem deuenit, vt miserille cognitâ erroris sui densâ caligine, amarè fleuerit, ac fidem professus, impietatem

Quàm efficax conuersio.

Franciscus virum nobilem conuertit.

Et aliũ ab atheismo.

pietatem protinus abiecerit, & peccatorum, quæ secum omnia illa trahit, egerit pœnitentiam. Detinebatur circa hæc tempora Sacerdos quidam in carcere, atque is Curio Monchauuetinus Diœcesis Carnutensis, reus actus multorum criminum, cum grauissimo sui honoris dispendio, & vitæ periculum in sententia erat: quapropter desperatione prorsus impia, & quæ animæ damnationem dicebat imprudens ferebatur. Salesius eum inuisit, multis sermonibus est alloquutus, consolatus, ac tandem in spem reduxit, & ad mortem constanter perferendam animauit. Magna erant hæc omnia & tanta, vt omnes in admirationem raperent: neque dici potest quantos fructus toto illo Quadragesimæ tempore Seruus Dei tulerit, siue in publicum verba faciendo, siue confessiones pœnitentium audiendo, siue priuatim colloquendo, sua etiam eximia specie & sancta Maiestate cœlicum hominem spirante virtutis amorem cordibus ingerebat, in quorum beneficiorum gratitudinem pretiosum vasarium argēteum ei Procuratores Ecclesiæ Sancti Andreæ obtulerūt, verùm quod ipse vt Diuioni & Gratianopoli recusauit. Æstate non propterea vacauit à concionibus, quin imò bis, ter & quater aliquando in die, modò hîc, modò illic sermonem habebat, vnde posteà notatum est eum tot habuisse Conciones quot dies annus habet dū Lutetiæ fuit. In monasteriis autem præcipuè Virginum multus erat, vt eas vel in obseruatione religiosæ disciplinæ confirmaret, vel si fortè lapsæ essent ad obseruationem reuocaret, præclaris relictis statutis, vt in Sabaudia sanctissimè fecerat. Inter alia in Monasterium se contulit portus Regij Monialium Ordinis sancti Bernardi, ac in Monasterium Vallis vmbrosæ Monialium Ordinis sancti Benedicti, quod duabus leucis Lutetia distat. Necnō in Monasterium Maubuissonense, Monialium etiam ordinis Cisterciensis ad septem circiter Lutetiā leucas, vbi multorum dierum spatio in stabilienda & confirmanda reformatione tum adhortationibus & colloquiis, cùm scriptis impensè laborauit, neque sanè perperàm. Refectionem verò capiebat suam in Parthenōnis exedra ad colloquia, ac postquam vel prādisset vel cœnasset, eius vesci reliquiis & vti cultello, orbibus, scutellis, cæterisque huiusmodi mensarij vsus vasis, Abbatissa volebat, quòd eum Sanctum existimaret: siquidem & præter hoc testimonium & linteamina, & tapetes, & sedilia, ipsummet cubile, & cætera qui-

Sacerdotē in spē reducit.

Franciscus recusat vasarium argenteū.

Franciscus Maubuissoni.

bus vir Dei vſus fuit, ſtatim vt venerandas reliquias conſeruari in eo ſtatu iuſſit. Quod idem fiebat Lutetiæ, nam præterquam quòd multi ad eum tangendum accurrebant, multi etiam Ioanni Franciſco fratri, & Cubiculariis ſeruis ſtrophiola & lintea dabant, rogabántque vt dignarentur ea in Sancti Præſulis perulam dum cubaret immittere, vnde poſteà ex illorum linteorum appoſitione plurimis ægris reddita eſt ſalus. Crines quoque multi à Franciſco Fabro qui eius coronam & barbam aptabat, velut reliquias poſtulabant. Interea tamen quæ Sanctorum eſt probatio, indignas ſæpiſſimè ab hæreticis aut petulantibus aliis contumelias tolerabat. Philippus Iacobus Palatinatus Rheni nuper Miniſter, ſeuero vultu & arroganti ſpecie ad eum acceſſit, in Anchoritanis ædibus habitantem, poſtulauitque ſibi dari colloquium, conceſſit benignè Præſul, datæque ſunt in cubiculo ſedes, & aderat Ioannes Franciſcus Saleſius: tum ille ſic exorſus eſt atrociter. Et quid hîc agis Domine? Reſpondit leniter Sanctus. Ego huc veni magni boni pacis cauſa. Oues verò tuæ, dixit Miniſter, quomodo nunc ſe habent cùm abes? Ego, reſpondit Saleſius, antequam diſcederem commiſi eas viris idoneis, imò doctioribus me, qui earum curam habeant, & paſcant donec reuertar. Perrexit Miniſter: & Epiſcopi moderni, interrogauit, ſúntne æquè Epiſcopi, ac Epiſcopi primitiuæ Eccleſiæ? Etiam, reſpondit Saleſius, eamdem enim nunc habent authoritatem & dignitatem. Et Epiſcoporum reſidentia, inquit Philippus, éſtne de iure diuino an de humano? Ego, reſpondit Saleſius, eam generaliter loquendo iuris eſſe diuini exiſtimo. Et Moderni Epiſcopi, ſubiecit ille, poſſúntne patrare miracula æquè ac Diuus Petrus? Quamuis Epiſcopi, reſpondit Saleſius, non niſi Diui Petri vmbrę eſſent, sẽper Diui Petri vmbra miracula faceret. Duarum poſteà horarum ſpatio diſputatũ eſt, quo elapſo, ſatisfactũ ſibi inquiens Germanus, & gratias agens; Ego, addidit, nõ ita pridem Romanã fidem & Religionẽ amplexatus ſum: reſtabant tamen hęc dubia, & amauit me Deus vt inuenirẽ te, Domine, cum ea mãſuetiſſima & benigna agẽdi ratione, qui tenebras meas optimè fugaſti, & ſoluiſti laqueos quibus intricabar, aliter enim cras Charantonium proficiſcebar Religionem poſiturus. Sed iam de ſua ad Allobroges ſuos & Subalpinos profectione Sereniſſima Princeps Chriſtina Francica, cuius nuptiæ cum Auguſto Principe Victore Amedeo

Cultus vt Sanctus ab omnibus.

Inſolenter tentatus à Miniſtro.

Franciſci manſuetudo & modeſtia.

Eum Miniſtrum conuertit prorſus.

Amedeo iam à Februario menſe celebratę fuerant, cogitabat, quamobrem ſuam ſibi conſtituere familiam cœpit, Saleſium autem Gebennẽſem Epiſcopum Eleemoſynarium magnum creauit, quod munus ſicut cum honore ille acceptauit, ita nihil vlterius præter dignitatem habere voluit, nam quidquid honorariæ mercedis ſolitum erat dari, honeſtiſſimè recuſauit. Dedit & illi Princeps optima pretioſiſſimum adamantem valoris quingentorum nummorum æſtimatum. Lætatus eſt ſanè hoc accepto, ſtatímque & hoc munus, inquit, pro pauperibus noſtris Anicienſibus bonum erit. Circa hæc tempora natus erat Henrico Sabaudo Nemoroſij Duci ex Anna Lotharinga Aumalia filius primogenitus. Sacer Antiſtes ſacro illum lauacro tinxit in Sacello Nemoroſiani palatij, & Franciſcum appellauit. Octauo Calendas Septembris Diuo Ludouico Francorum Regi feſto: rogatus à Patribus Societatis Ieſu Domus Profeſſionis Concionem habere, tantam inuenit populorum multitudinem & turbam vndequaque redundantem, vt nequaquam per oſtium intrare potuerit, ſed cum ſcalis per Chori Eccleſiæ feneſtras aſcendere in cathedram fuerit coactus, adeò celebris erat, & adeò ad eius Conciones currebatur. Ferè continuò Auguſtiniani eum Patres ad Poſitionum Philoſophicarum propugnationem, vt ſpectatorem Auditorem inuitauerant, & ipſe iturum ſe promiſerat. Ante Monaſterium plurimi pauperes, vt fit, eleemoſynam ab eo petebant, neque tamen propterea velle ſe erogare ſignificabat, quia putabat carere pecuniâ, nihilominus vſque ad medium ferè clauſtri proſequutum ſe ab inopi fœmina importunè ſanè videns, manum miſit in perulam, & pecuniam inuenit, quam mulieri porrexit: illicò ad Marcum Franciſcum Malarmæum Lauraium Abbatem Gollienſem qui eum comitabatur conuerſus; Oportet, inquit, valde ea pecunia fœminam illam indiguiſſe, quandoquidem miſit eam ad me Deus vt illi darem. Totus erat in bonorum operum pro animarum ſalute, & ad maiorem Dei gloriam exercitio, Pij omnes ad eum tanquam ad oraculum veniebant, & Epiſcopi vt Patrem venerabantur, primáſque ei ſemper ſedes dabant. Theologi ſuarum difficultatum ſolutionem inueniebant apud eum. Denique ex tot & tantis laboribus, quos inter hæc exercitia neceſſariò tolerauit, excidit in grauem morbum, ex quo per multos dies decubuit, & in eo per varia munera

Franciſcus Sabaudia magnus Eleemoſynarius.

Vt concionatur apud Ieſuitas.

Pecuniam accipit à Deo ad eleemoſynam.

Infirmatur.

& visitationum officia quantum à Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Senatoribus, Aulicis, & Parisiensibus omnibus coleretur & amaretur cognouit. Sanitati restitutus non propterea pepercit sibi, quin imò ad solitos etiam labores rediit: fortè in Æde Sororum suarum Visitationis, quas recens introduxerat, magno labore & virtute magna concionaturus erat, & quamuis ab Hospitio suo multùm distaret, iuit tamen pedes. Vt redeundum fuit, præstò erant Dynastæ cuiusdam famuli cum rheda, vt eum reducerent, at ipse oblati officij gratias egit, & recusauit. Pluebat tunc densis imbribus, & multum lutum erat. Quamobrem impatientia subitò distractus Sacerdos qui eum sequebatur quidam abstinere non potuit quin hæc eundo verba proferret quasi indignatus. Siquidem! congruit nos hoc tempore pluuio vt Magistros in artibus cœno fœdari, & Procuratorum in morem circumcursare! Audiuit mussationem Salesius, & sereno vultu ad proximum quemdam versus. Vide inquit, Dominus hic adhuc parum vanitatis habet. Quo audito conticuit & pœnituit Sacerdos. Vacauit id temporis per obitum Abbatia sanctæ Genouefę valoris quatuor millium nummorum, & petenda dumtaxat erat si habere voluisset, nemo non eum ad id impellebat, & amici omnes potentissimis eum rationibus vrgebant, vt ad sustinendum suæ dignitatis honorem Abbatiam illam à Rege proculdubio impertituro postularet: Verùm ille constantissimè recusauit, suis licèt indignantibus, sed & rem fecit maioris virtutis. Sequutus fuerat Regem ad fontem Bellaqueum, & dum fortè spatiaretur in horto Cardinalis eum Retensis Parisiensis Archiepiscopus priuatim sibi adhibuit, rogauítque imò obsecrauit vt Adiutoris sui munus cum futura successione, & interim opima pensione annua, omnimodáque potestate vastissimam illam Parisiensem Diœcesim gubernandi acceptare dignaretur. Et faciam inquiebat, vt Gebennensis Episcopatus pro fratre tuo Ioanne Francisco sit, nec quidquam omittam quod necessarium videri possit apud Christianissimum Regem, & Serenissimum Ducem Sabaudiæ, imò pro litteris Apostolicis quidquid oportuerit expendam, & cedet hoc profectò in maiorem Dei gloriam: neque enim ignorare potes quàm ameris à populo illo, & quàm vtilis sis futurus, vt es iam maximè. Porrò erit quo me tibi summoperè deuincias. His auditis Salesius tantæ beneuolentiæ gratias

Eius bonum militans.

Quàm spernat diuitias, & honores.

quas

quas potuit maximas egit; sed Cardinali expositum, vt alibi à tot iam annis addictus esset, vt Gebennensi etiam oneri impar, vt vergeret in senium variisque deinceps morbis esset obnoxius, denique recusauit humillimè, stupentémq; ob tantam virtutem Cardinalē reliquit. Luce posterâ cum Fabro Præside de propositionibus illis omnibus differens. Quā gratā mihi rē fecit heri anima mea (inquit) cū eas nō solùm non respexit, sed etiam spreuit, & non pluris fecit quàm si in puncto mortis fuissem, cùm totus mūdus nihil aliud quàm fumus videtur. Verūtamē dicebatur ei, maiora inde bona præstare posses. At videte, respondebat ille. Ego equè me diuitem existimo ac quiuis alius Episcopus in Gallia esse possit: facultates enim meæ licèt aliis videantur exiguæ, sufficiunt tamen ad necessitates meas. Qui plus habent, etiam plus expendunt, & ad anni circulum tātum habeo residui quantum illi; dicamus verò cum Apostolo: Sed quæ nobis fuerunt lucra arbitrari debemus propter Christum detrimenta, & propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi. Cæterùm fastidiebat aulam summoperè elapso iam anno, vnde sic ad Religiosam quamdam Visitationis scripsit. Cùm mundanas amplitudines video, contemptum illarum pluris facio, & ampliores mihi videntur Christianæ virtutes. Quanta ac qualis est differentia inter Conuentum hunc diuersorum prætendentium (hoc enim est aula & nihil aliud) & Conuentum animarum religiosarum, quæ nullam nisi in cœlum prætensionem habent? O! si sciremus in quo consistit verum bonum! Ne credas, Mater, me ab vllo aulico fauore capi posse. O Deus! desiderabilius est abiectum esse in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis & palatiis Regum. Annum hîc Aulici Nouitiatus ago, sed iuuante Deo nunquam professionem emittam. Vigilia Natalis Domini in æde Capucinarum concionatus sum coram Regina, vbi Communionem accepit, sed neque meliùs neque amantiùs coram tot Principibus viris & fœminis verba feci, quàm in ædicula nostra Visitationis Aniciensis. Hæc ille. Sed tandem ineunte anno millesimo sexcentesimo vigesimo, cum Sereniſſima Principe rediit magnis honoribus apud Bituriges exceptus, non tamen eam Taurinum vsque comitatus est, sed recedendi in Diœcesim suā, à qua plus anno aberat licentiam obtinuit. Lugduni autem cùm ageret, Ecce nunciatur ei se à Nobili quodam viro ad Confessio-

Recusat Episcopatum Parisiensem.

Franciscus quàm mūdum spernat & aulam.

nem peti, tunc fortè magnis diſtinebatur negotiis, quamobrem reſpondit ſe tantiſper impeditum, ſtatim tamen prę̃ſtò futurum. Vrgebat ille rogabátque indici ſibi horam & locum, & addebat eum de anima ſua reſponſurum in die iudicij, ſi inauditum dimitteret, neque propterea videri volebat quouſque confeſſionis tempus eſſet, aiebat tantùm eam ſolam ob rem à centum & viginti leucis veniſſe, vt eum inueniret, vbicunque tandem eſſet, actúmque ſe eo deſiderio ex lectione libri Introductionis ad vitam deuotam. Sacer Antiſtes his auditis, quid agendum haberet cum ſuis deliberauit, timebant illi ne fortè proditor aliquis foret aut hæreticus in eius mortem deſtinatus, illiúſque agendi rationem non probabant. Viſum eſt locum optimè aſſignari poſſe exedram ad Colloquia Monaſterij Viſitationis. Ad horam igitur ſalutauit Epiſcopum ille, in exedrámque intrantem ſequutus ianuam clauſit vt aperiri minimè poſſet, tractíſque è theca forficibus cordulam campanulæ ſcidit, ne quis fortè ſuperueniens turbaret eum, tum rogauit vt ſederet, móxque genibus flexis generalem peccatorum confeſſionem fecit per ſpatium horarum quatuor, quo elapſo gratias egit, ſtatímque equum aſcendit & nunquam poſtea viſus, neque cognitus eſt: tantum dixit Saleſius eum eſſe Generalem vnius Religioſi Ordinis. Anicium redux ſummâ omnium lætitiâ ſanctus Paſtor, quia tam diu ab Eccleſia ſua abfuerat, neque propterea reditibus caruerat, dedit ei ac Canonicorum & Sacrarij vſum lampadarium & ſex magna candelabra argentea, necnon & multis viris nobilibus ſuis Clientibus, qui variis eum conuiciis affecerant, eo quod ad iurium Epiſcopatus tuitionem eos rebelles ad Curiam Supremam Sabaudiæ trahi iuſſiſſet, poſtquam damnati fuerunt expenſas ſuis licèt renuentibus Adminiſtris remiſit, & eorum ſibi conciliare amicitiam conatus eſt. At dum hæc ſanctè agit in Sabaudia, Lutetiæ matrimonij cuiuſdam occaſione de eius fama peſſimè detrahitur. Ipſe tamen calumniæ ventos conſtantiſſimè ſuſtinuit, ſicque de re tota ad amicum ſcripſit. Intelligo per litteras Lutetiæ ad ipſam cutem abradi mihi barbam, ſed renaſcetur copioſior quàm vnquam, authore Deo, cùm id ſua prouidentia iudicabit expedire. Scripſit etiam ad eum qui grauioribus queſtibus lamentabatur, in hunc modum. Permitte Domine, vt de tuis conquerendo queſtibus, quibus reuerâ crucior & ſtupore cõficior,

Mœrus ex ipſdam pœnitentiæ actus.

Franciſci in Eccleſiã ſuam bene. ficentia.

Criminationibus oneratur Lutetia. Eius conſtantia.

animæ

animæ meæ ſolatium aliquod tribuam. Occaſionem horum omnium me tibi dediſſe non arbitror. De meritis quidem & egregiis conditionibus necnon & Religione viri illius nobilis, ſemel & iterum teſtimonium reddidi. Præterea verò, ad fœdus illud nullam operam adhibui, niſi fortè Deo commendauerim ſi ad maiorem eius gloriam futurum eſſet. Quidquid poſtea dicitur non niſi exaggeratio eſt. Siquidem cum me abſente affectu & promiſſis ſeſe partes obligaſſent, interfui poſtquam redij promiſſorum illorum quæ coram me renouare voluerant, repetitioni; ſed ſimplici adeò præſentiâ vt non niſi cum multis aliis auſcultauerim tacitus. Hæcne officia illis denegare poteram? Vel apud te ea de re non agere, qui ſanè non adeò te auerſum oſtenderas, vt graue illud quo te affici fertur tædium coniicere poſſem. Scribit item ad alium. Tecum autem Domine, ad ſolatium meum animum explicaui, non quod valde calumniis & conuiciis tangar, quibus ob id afficior: ſcio enim me coram Deo inſontem eſſe, ſed moleſtè ferò tot erga me turbulentos animorum motus ob negotium ad quod tam parum operatus ſum excitari. Qui me cognoſcunt probè ſciunt me nihil ferè abſolutè, & violenter velle, & non niſi ex ignorantia pecco: vellem tamen virorum illorum mihi conciliare gratiam in fauorem Miniſterij mei: ſi nequeo, non propterea in illo ambulare deſinam per infamiam, & bonam famam, vt ſeductor & verax, neque vitam, neque exiſtimationem volo, niſi quantam volet me habere Deus, & nimiam ſemper habebo ſecundùm merita mea. Et ſic denique ad Fremiotam ſcripſit. Ventos iſtos contrarios omnes Altiſſimi prouidentiæ commiſi, flent aut deſinant vt ei placebit; tempeſtas & malicia indifferentes ſunt mihi. Nuper cùm in ſacrificio Diuum Ioſephum nominarem, recordatus ſum ſupremæ illius moderationis, qua vſus eſt cùm ſponſam ſuam grauidam vidit, quam virginem crediderat, vt reuera erat. Quamobrem mentem & linguam Dominorum illorum ei commendaui, vt & illis modicum ſuæ manſuetudinis & benignitatis impetraret; & ſtatim recogitaui mecum ipſe, in tanta anxietate Virginem ne verbum quidem dixiſſe, minimè turbatam fuiſſe, & Diuina eam prouidentia liberauit. Commiſi ergo totum hoc negotium ei, & vti curam haberet deprecatus ſum, ſi quis enim ſe opponat fluctibus, quod lucrum præter ſpumam reportabit? O! rogo ne ſis adeò mei cauſâ

Franciſcæ humilitas

sâ tenera, volendum eſt, vti reprehendamur. Si non mereor vno modo, mereor alio. Mater illius qui æternam merebatur adorationem, ne minimum quidem verbum protulit cùm opprobriis & ignominiis operiebatur. Patientibus & mitibus cœlum & terra dantur. Nimis delicata es in iis quæ ad me ſpectant. In hoc ergo mundo ab impugnationibus ero ſolus immunis? Mane in pace, & Deus pacis manebit in te. Numquid multum eſt philautiæ velle amari ab omnibus, & omnia cedere nobis in gloriam. Profectò nihil adeò hac in re me affecit, ac affectam te cernere? O ſit in æternum honor noſter, gloria noſtra, amor noſter Ieſus Chriſtus. Sic ferebat opprobria Saleſius, & ſic Chriſtum imitabatur, paſcendo interim gregi ſuo, ſolito Diuini verbi melle, intentiſſimus. Venerat circa hæc tempora Eremiticæ vitæ multùm auidus Antonius Rigaudus Salyus Foroiulienſis qui multas terras peragrauerat, fuerátque aliquando ſub Comite Fuenteſio Mediolanenſi Prorege Militum præfectus, poſtmodúmque eiuſdem à Secretis, vir profundiſſimæ doctrinæ & longa experientia maturus, multarum linguarum, Latinæ autem, Galliæ, Italicæ, Hiſpanicæ, & Germanicæ peritiâ celebris. Is ex Ioannis Vernaij Sacerdotis & Heremitæ Vorionenſis enarratione, quanta eſſet glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ in Vorionis mõte apud Caballianos & Falcinates dignatio, quantáque loci ad ſolltariam vitam commoditas & aptitudo, acceperat: quamobrem acceſſit ad Saleſium Gebennenſem Epiſcopum viuẽdíque in ea eremo facultatem poſtulauit. Et conſenſit Saleſius; verumtamen quia nullis hucuſque peculiaris inſtituti conſtitutionibus Eremitæ qui Vorionem coluerant addicti fuerant, neceſſarium viſum eſt Sancto Præſuli eos ſub vna regula dirigere, vt non amplius vagarentur ad libitum, & vt cultus in eo monte Deiparæ Virgini à populis exhiberi ſolitus ex eorum religioſa & exemplari vita augeretur; capto igitur conſilio in eam rem animum adiecit. Vorion mons eſt altiſſimus, qui Caballianos à Falcinatibus diuidit, ad Orientalem Geneuæ aſpectum, & Occidentalem Lauſannæ, ex ea parte quæ Septemtrionem videt, ſubditos habet ſibi amœniſſimos tractus; Magnum Lacum Lemanum, remotos ad proportionatam diſtantiam Sequanorum & Heluetiorum montes cœruleis vmbris diſtinctos, vrbes & agros Geneuæ, Gexi, Verſutij, Cuppeti, Niuiduni, Rotuli, Albonæ, Morgarum, Lauſannæ, Ripalliæ, Tononi,

Antonius Rigaudus Eremita Vorionenſis.

Vorionis montis deſcriptio.

Tononi, Allingiorum, Hermantiæ, & innumeros pagos, templa, castra, fluuios, stagna, nemora, prata, vineas, colles, vias, & huiusmodi cætera tanta támq; oculis grata varietate, vt nihil orbe toto pulchrius. Ex parte verò quæ meridiem aspicit, subditos etiam habet sibi Falcinij montes, horrore subito, ad Campum munitum æternâ glacie & niue concretos, vnde vertentis sese modò in hanc, modò in illam partem oculus mirè recreatur, populi montem istum pulchrum & sanctum vocant, nihil habet quod oculum lædat; diffusum est ad eius pedes Bonnæ oppidum, necnon & pagi Cranuesiensis, Salesiensis, Lucingiensis, Sanciricianus, Machillia censis, Greziacensis, Langinensis, Brentinus, Sandesiderianus, Bontinus, Sassellensis, Burdignensis, Villarensis, & & Boëgiensis. Vineta radices eius tegunt; veniunt secundo ordine castaneæ, prata innumera & villæ, in quibus æstate multi Pastores multum pecus pascunt, multáque conficiunt lacticinia medium tenent, vastissimo demum prægrandium abietum, & fagorum labyrintho vtilissimè coronatur. Fertur vnanimi omnium voce, Idolum quoddam in eo fuisse mõte, magnâ ab Ethnicis superstitione adoratũ tandémque destructum & effractum ab Episcopis Gebẽnensibus, Gundesili Burgundionũ Regis tempore, cùm Allobroges Christianã omninò fidem sunt amplexati, restauisse tamẽ in cacumine dæmonem, qui sub figura terribilis apri sæuiebat in eos qui montẽ ascendebant, quamobrem ascendere deinceps audebat nemo, nisi fortè veneficus esset, aut iniisset cum Diabolo pactum. Castrum habebat ad medium ferè montis Dynasta Langinius, cuius etiamnum hodie prælta turris & maceriæ restant. Is aliquando venationis causa increpatis aliis de pusillanimitate, non dubitauit paucis secum tractis ascendere, verùm cum in vertice ferè esset, ecce fera terribilis in eum irruit, & frustra venabula omnia fuêre miseris, adornauerunt celerrimè fugam socij, & solus restauit inter apri dentes Langinus adeò laniatus, vt parum abfuerit quin efflauerit animam, reliquit tamen eum fera. Tunc temeritatem suam damnans Deiparæ Virginis implorauit auxilium, addito voto, vt si conualesceret, occidíque vel fugari fera posset, sacellum in eius honorem eodem loco construeret. Et adfuit statim Virgo penè exanimi, adeò vt in suum Castrum redire potuerit. Sed dum cogitat de voto reddendo & extruendo sacello, non modica difficultas

Religionis in Vorione historia & antiquitas.

fuit, neminem enim inueniebat qui vellet opus aggredi, adeò iuſtus omnes terror tenebat; tandem acceſſit ad Gebennenſem Epiſcopum ſi poſſet exorciſmis abigi Diabolus, nam naturalis aper minimè eſſe credebatur. Epiſcopus piiſſimum Sacerdotem & expertum Exorciſtam miſit, qui perluſtrato monte ad tertium vſque diem, & peractis ſacris ceremoniis retulit nihil timendum eſſe. Itaque Langinius adhibuit ſtatim operi manum, ſacellúmque conſtruxit; ſed & plus fecit, nam mundum faſtidiens, & omnia præter Deum vana eſſe videns, ſacello cellulam adiunxit, adhibitóque ſecum ſocio ibi ſub Antiſtitis authoritate Eremiticam vitam profeſſus eſt, multa reliquit ſacræ Virgini condito teſtamento, quibus Bontinum Curionem ad multa ſacrificia, cùm ex tempeſtate liceret, obligauit: ac tandem ſanctimoniâ clarus migrauit in cœlum, magno ſuarum virtutum odore relicto. Eo vitâ functo non tamen manſit inculta Eremus, nam ſuſcitauit pios homines Deus, qui Diuæ Virgini iugiter famulati ſunt magno fidelium gaudio, qui votorum reddendorum ergò illuc multi peregrinabantur: ſiquidem glorioſa Dei mater Vorionenſis inuocata multa deinceps edidit miracula, & creuit religio quouſque hæreſum peſte infecti Bernates Caballium occuparunt, per ea enim tempora deſtructum eſt penitus Sacellum & deturbati lapides, ita vt modicæ tantùm reſtarent maceriæ, diſſipati huc & illuc Eremitæ, ſacra omnia in prophanos vſus verſa, & perditæ fundationum & poſſeſſionum chartæ. Sed miraculo ſacra Deiparæ ſtatua lignea conſeruata eſt. Ioannes Burgnardus Brentinus, Hæreticorum Bernatum qui Vorionis ſacellum deſtruxerunt ductor impius ſtatuam primus abſtulerat, ligatámque huc & illuc, ignominiosè pertrahebat deſcendens, addebátque hæc verba ſacrilega: O fuſca ſi tantum poteſtatis habes quantum fertur, cur te ſinis ſic trahi? Oſtende nunc poteſtatem tuam, & ecce ſteterit ſtatua quam ponè raptabat. Vertit ille caput vt videret quidnam impediret, & ſtatim ſic inflexo remanſit capite, necnon armo & brachio mutilus prorſus, adeò vt ſtatuam liquerit, verumtamen cùm non pœniteret miſer, ſic captus non multò pòſt ad multorum conſpectum, inprimis autem Michaëlis Nouelli & Claudij Hyppoliti Cortagerij Bontinorum qui miraculi conſcij erant in hæreſi miſerrimè clauſit diem, iuſto ſanè Dei iudicio, ſtatuam verò repperit paulò poſt Pius Sacerdos & Ordi-

Miraculũ Deiparæ Virginis.

nis

nis Diui Augustini Eremita Franciscus Monodius, qui Diuinâ inspiratione ductus, obtentâ ab Episcopo facultate, & ab Alexandro Monuaguardio Boëgij Dynasta, in cuius ditione partim Vorion est, sacellum vtcunque ex maceriis & lignis restruxit, Eremúmque incoluit, Hæreticis licèt frendentibus, qui Religionem impedire conabantur, sed frustra: nam Falcinates Catholici diebus solemnibus cum armis in montem ascendebant & Eremitam seu Curiones sacra facientes impauidè tuebantur. Vitâ functo Monodio succedere Ioānes Vernayus Sacerdos, & Ioannes Grillietus, & Vernayus quidem Romam petiit, retulítque ab Apostolica Sede Indulgentias pro Christi fidelibus sacellum certis diebus visitaturis. Quo tempore in Antonium Rigaudum incidit. Is igitur Rigaudus annuentibus imò & secum iunctis Vernayo & Grillieto dari sibi Regulam & Constitutiones ab Antistite Salesio auidissimè petiit. Quamobrem in Diœcesana Synodo Anicij anno millesimo sexcentesimo vigesimo habita comparere iussus, has à sancto Præsule Constitutiones accepit. Quoniam sancta, celebris & antiqua montis Vorionis Eremus, sub vocabulo Visitationis Beatissimæ Mariæ Virginis fundata est, Anachoretæ qui in ea deinceps viuent, vt Patronos specialiter inuocabunt ab Redemptore nostro Iesu Christo, Magni Consilij Angelo, ac Mediatore Dei & hominum, Sanctos qui in mysterio Visitationis reperiuntur, scilicet ipsam glorioſissimam Virginem Mariam Matrem Dei, Diuũ Ioſephum, Diuum Ioannem Baptistam Eremitarum Patriarcham, Diuum Zachariam, & Diuam Elizabetham. Deinde Beatos omnes Angelos, & specialiter chorum Principatuum, denique Diuum Paulum primum Eremitam, Diuum Antonium, & Diuum Hilarionem. Anachoretæ vestientur oblongâ togâ ex panno albo, pallio in modo suppari super togam, & epomide super pallium cum rotundo cucullo, poterunt vti linteis ob munditiam nisi in lecto super quem vestiti cubabunt togâ depositâ, nisi fortè madefacti vel ægri essent, tunc enim exuti quiescere poterunt, & quia rigidissima hyems est, ascensúsque & descensus difficillimi, idcircò Anachoretæ erunt calceati. Ieiunium obseruabunt præter dies ab Ecclesia statutos omnibus & singulis Patronorum vigiliis, toto Dominici Aduentus tempore, & à die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis excluſiuè, ad diem Natiuitatis eius, etiam exclu-

Franciſcus Anachoretis Vorionenſibus Conſtitutiones dat.

siuè.Prætereà singulis diebus Veneris per annum in memoriam Passionis Dominicæ, & abstinebūt à carne singulis diebus Mercurij. Anachoretæ singulis diebus Veneris post orationem matutinam donec recitabitur pœnitentiæ Dauidicæ psalmus, qui quinquagesimus est,scuticam excipiēt,nisi cilicinum thoracem diebus in hebdomada tribus deferre,aut ieiunium diebus Veneris & Sabbathi obseruare malint. Anachoretæ prandium & cœnam semper in communi triclinio sument, culpámque suam dicent: si in re graui deliquerint, scuticam coram fratribus excipient.Qui verò pridie vel eo die montem ascenderint,aut è messibus, & vindemiis venerint, aut etiam hyemis tempore à lege hac eximuntur,& quiescere poterunt. Anachoretæ Sacerdotes, vel qui scient legere, & sermonem Latinum intelligere, magnum officium Romani Breuiarij recitabunt. Laici verò fratres, & qui nescient legere, recitabunt rosarium ad Vrsulinarum imitationem,addentes nouem Orationes Dominicas, & nouem salutationes Angelicas in honorem nouem chororum Angelicorum. Porrò Anachoretæ in persoluendo Diuino Officio hunc ordinem obseruabunt. Ædituus quouis tempore horâ quartâ matutinâ dabit campanæ signum, quo dato expergefaciet fratres,& elapsâ semihorâ dabit secundum, & vltimum signum ad Officium,fratres laici intererunt matutinis precibus genibus flexis vsque ad finem primi psalmi,deinde egredi poterunt si lubebit ad recitandum rosarium, aut orationes alias, minimè autem colloquentur:sed postquam ædituus ad lectionem Martyrologij dederit alterum campanæ signum, redibunt omnes in chorum ad Orationem mentalem, quæ semihoræ spatio durabit, nisi adesset aliqua vrgens causa, & inchoabitur à Litaniis Sanctorum. Absolutâ oratione hyemali tempore fratres accedent ad ignem, & calefient,semihoræ item spatio,tum ad sua negotia recedent. Primum sacrum celebrabitur horâ sextâ continuando vsque ad Meridiem,cùm multi Sacerdotes erunt:cùm autem non nisi tres aut quatuor, celebrabitur primum horâ septimâ; secundum horâ octauâ, tertium horâ nonâ, & quartum horâ decimâ. Ministrabunt fratres alternis vicibus,si fieri potest. Æstate & magnarum solemnitatum peruigiliis cùm populus luce posterâ abundare solet,& propterea audiendis confessionibus vacandum est. Sacerdotes ab hora octaua serotina ad nonam matutinarum

precum

precum pensum persoluent, manè deinde preces horariæ continuò recitabuntur. Cùm tamen nihil vrgebit recitabuntur horâ nonâ tertianæ & sextanæ preces. Nonæ verò ad meridiem. Vesperæ horâ tertiâ, & Completorium sextâ. Ad Canticum Simeonis ædituus dabit campanæ signum, & conuenient vt manè ad Orationem mentalem fratres laïci. Incipietur autem ab Litaniis Beatissimæ Mariæ Virginis. Singulis diebus Sabbathi Anachoretæ post cœnam cantabunt in choro ante Virginis imaginem gaudiorum eius hymnum: deinde in suas cellulas recedent, vel accedent ad ignem si hyems est. Quod si aliquando non sufficerent ad cantandum, tunc si qui remansit Sacerdos est, recitabit altâ voce Litanias Sanctorum. Si Frater Laïcus recitabit Litanias Beatæ Virginis, quæ vt minimùm nunquam omittentur, & quas omnes probè scire tenebuntur. Diebus ferialibus, & quibus licebit operari, Anachoretæ post gratiarum actionem prandij ibunt in chorum recitatum Litanias Sancti Michaëlis & Sanctorum Angelorum, cum commemoratione Sancti Pauli, Sancti Antonij, sancti Hilarionis, sanctæ triumphantis Ecclesiæ, & addent pro militante Orationem Diui Augustini, quæ eius meditationum capite quadragesimo reperitur. Anachoretæ sua peccata cõfitebuntur singulis diebus Dominicis, & festis solemnibus, sumétque Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Sacerdotes diebus singulis celebrare conabuntur. Anachoretæ obseruabunt omninò silentium, nisi ex necessitate aut vrbanitate, & tunc aduertent ne quid nimis proferant: hospitalitatem maximè cordi habebunt, & specialem peregrinorum omnium curam, necessaria omnia eis comiter ministrando, sub æquis tamen Oeconomicæ præceptis. Anachoretæ non egredientur è cellulis suis nisi pro diuinorum officiorum celebratione, ad campanę sonum, aut cùm ex necessitate, & causa aliqua vocabuntur, vel cum Reuerendus Pater Superior deambulandi facultatem faciet. Anachoretæ extra Eremum negotiis addicti vitabunt omninò quidquid scandali vel minimam speciem parere potest, & quantum erit possibile ordini in Eremo obseruari solito sese conformabunt: cúmque reuersi fuerint, quidquid receperint, adhibito Sacramento se non plus recepisse deponent. Ad recipiendum aliquem Anachoretam, elapso probationis tempore, necessarius erit omnium Fratrum consensus. Domi-

ni Superuigilis ſententia & iudicium, vel iuſſus Epiſcopi, nec vllus pariter abſque huiuſmodi cautionibus eiicietur. Quiſquis ſolitariæ omnimodæ vitæ addici voluerit, ſufficientémque ſiue penſionem, ſiue quemuis alium reditum Communitati remiſerit, à collectione ſtipis eximetur, & ſi aliquando ſufficienter ditata poſſet eſſe Communitas, Anachoretæ prorſus meditationi & peregrinorum exceptioni vacarent. Parebunt vni Superiori qui ſit Anachoreta, ab Epiſcopo ſpecialiter conſtitutus; habebit autem is eamdem poteſtatem & authoritatem, quam in Religioſis ordinibus probè inſtitutis Superiores omnes habere ſolēt. Quòd ſi aliquando iniquus fratribus foret, tunc de omnibus abſque ſtrepitu & figura iudicij, iudex erit Epiſcopus, cui Anachoretæ omnes, non ſecus ac Curiones, obedientiam debent & reuerentiam, idcircò tenebuntur Diœceſanis Synodis quotannis intereſſe, nihilque quod alicuius poſſit eſſe momenti abſque Superuigilis ſententia & Epiſcopi approbatione decernent: & Epiſcopo Conſtitutionibus addendi, detrahendi, corrigendi, immutandi, & explicandi omnimoda poteſtas reſeruata eſto. Curauit porrò Sanctus Legiſlator has Conſtitutiones in Synodo auſcultantibus omnibus legi, & ab eruditiſſimis Theologis Petro Franciſco Iayo Canonico Pœnitentiario, & Eccleſiaſte Cathedralis Eccleſiæ Gebennenſis, & Petro Magnino Canonico & Sacrarij Præfecto Collegialis Eccleſiæ Anicienſis approbari, tādémque Anachoretarum omnium profeſſionem ſimplicem, vt aiunt, ab Antiſtite conſtitutus Superuigil. Ioannes Ludouicus Queſtanus Cathedralis item Eccleſiæ Canonicus & Doctor Theologus recepit. Per hæc tempora, quæ Paſchalia erant, diebus Dominicis Magnus Antiſtes Anicienſi populo ſuo præcepta Decalogi explicabat è pulpito in ſua Cathedrali Eccleſia, & aliquando cùm de primo præcepto mirabiliter diſſeruiſſet, tandem Concionem claudens, & ad Deum Patrem verba ſua conuertens, viſus eſt ab vniuerſo populo tota radiare facie, tantóque ſplendore vndique circumfuſus, vt vix præ nimio lumine videri diſtinctè poſſet. Eximij autem eius rei teſtes ſunt quotquot tunc aderant, & inprimis Petrus Franciſcus Iayus Canonicus Theologalis, Ioannes Ludouicus Queſtanus Canonicus item & Theologus, Petrus Pagetus Curio Siuriacenſis, Franciſcus Nyeuræus Curio Metetenſis, & Sergius Sagetus Ciuis & in Gebenneſiani Conſilij Curia

Franciſcus ore toto radians.

ria Libellio. Perrexit etiam Christiana erga pauperes & afflictos liberalitate insignem sese reddere: pauperi puellæ Marci Vicani Bibliopolæ Tononensis, quem olim Geneua traxerat filiæ, Franciscæ ei nomen erat, postquam eam diu tum Anicij cum Salesij aluisset, tandem nubili quingentos florenos pro dote dedit. Captiuum esse apud Turcas Equitem Melitensem ex familia Nobili Ceresieria cùm intellexisset, eius fratri quò facilius redimi à Barbaris illis posset, omnem suam argenteam supellectilē promptè & sponte obtulit, largitúsque proculdubio fuisset, nisi statim eumdem vitam cum morte commutasse accepisset. Posthæc ob vrgentia nonnulla negotia Tononum perrexit, & Dominicâ Pentecostes celebrato Vespertinarum precum Officio quingentis & amplius hominibus Confirmationis cōtulit Sacramentum, non mora cùm omnia vt decebat composuisset, Anicium rediit, ac in ædibus Premerianis Renati Fabri Valbonij Præsidis Gebennesiani tantisper immoratus, solemne patrauit miraculum. A multis iam diebus agitabatur tantâ támque dirâ rabie Franciscus Bouuardus Petri filius, Pringiacensis Claudij Baronis Montouij seruus, vt per agros & nemora huc & illuc cum horrendis clamoribus & vlulatibus cursitaret, nec die, nec nocte quiescere poterat, arbores quoque & muros capite tundebat, miserabili prorsus omnium intuitu. Aliquandō tandem in Domini sui domum reuersus, intelligénsque sacrum Antistitem Premeriaci agere, desiderio captus est eum videndi, quamobrem Iacobum Priereum Camberiensem Montouij Curialem enixè rogauit, vti ad eum ducere vellet. Priereus fecit officium, & Amentem vt potuit Premeriacum conduxit, ac surgenti è prandio Præsuli præsentauit. Sacer Antistes deliniuit eum blanditiis, secúmque per aulam deambulare iussit, postmodúmque capillos eius arripiens fortiter traxit, quo momento abigi à se furorem sensit miser, & continuò sanatus est præsentibus ipso Præside Valbonio, Ioanne Iolyo Rupensi Aleriaco Sabaudiensis Senatus Equite, & quamplurimis aliis qui laudauerunt Deum cœli & terræ, ob manifestum miraculum. Salesius verò benedictione sacrâ miserum impertitus, vade, inquit, time Deum, & benè labora, tum ad Priereum conuersus. Cura, ait, vt occupetur, & sanus est. Abierunt igitur Priereus & ille qui ipsa eadem die domesticis rebus, vt solebat, sedulam nauare operam cœpit. Anicij cum esset bo-

Franciſci charitas in pauperes.

Franciſcus miraculo furibundē ſanat.

nus

Franciſcus reuelatio nē habet.

nus Præſul menſe Iulio, narratum eſt Matronam Nobilem Iacobinam Achardiam Berbæi Dominam apud Falcinates agere animam, ille quia multum eam ex affinitate & egregiis virtutibus colebat, Deum oraturus acceſſit ad altare, tum rediens, Ludouico Gebenenſi Sacerdoti, & Carolo Ballo Caſtellano ſuo Viuenſi; Minimè ait, morietur Domina Berbæa, ego eam petij à Domino; & notatum eſt poſteà eadem horâ conualuiſſe, quâ hæc verba Anicij Saleſius proferebat: quas etiam circa tempeſtates ductus ab vltimis Tarentaſiæ partibus Ruſticus quidam, & apud Huguoniam Fonteuiuanam Catharini Goddeti Ciuis Anicienſis Coniugem hoſpitio exceptus, à dira rabie & mania, tactus, & benedictione donatus illicò liberatus eſt. Quinque iam annorum ſpatio Claudium Boucardum Virdunenſem Antiſtes piiſſimus ſuis ſumptibus quippe data quotannis trecentorum & quinquaginta florenorum penſione aluerat, cuius beneficij Boucardus ipſe cùm gratias quas poterat habere vellet, tractatum ſuum peripateticum de anima rationali ad veritatem theologicam accommodatum, opus ſanè præclarum tertio Nonas Auguſti dedicauit, miratus cum omnibus virtutum omnium in tanto Præſule ſplendorem eximium, cum ſibi videre licuerit, inquit, ex frequenti conſuetudine ſingularem eius animi lenitatem, placidiſſimam morum æquabilitatem, ſuauiſſimam affabilitatem, generoſam & verè Chriſtianam animi ſubmiſſionem, in rebus gerendis eximiam prudentiam, laborem aſſiduum, incredibilem diligentiam, ſingulis diebus rem ſacram facere, Dominicis & feſtis pœnitentium Confeſſiones audire, Conciones ſacras tùm publicè ad vniuerſum populum, tum priuatim in ædibus ſacrarum Virginum frequentiſſimè habere, popularium Nobilium, ignobilium, & omnium ſine diſcrimine lites componere, diſſenſiones ſedare, iniurias mitigare: ad hæc, eos qui ab Eccleſia Catholica alieni erant, ad rectum ſalutis tramitem ingrediendum inuitare, venientes benignè ſuſcipere, & omni diligētia inſtruere: pupillorum, viduarum, aduenarum inopiam largis eleemoſynis ſubleuare, ægrotos viſitare, ad multam noctem litteras dictare ac ſcribere, & ampliſſimæ Diœceſis neceſſitatibus proſpicere. Hæc eruditiſſimus Boucardus. Saleſius verò exeunte Septembri dum nonnullas luſtrat Eccleſias, Dynaſtam Scriuieuium Baronis Rupifortij filium inuiſit. Cúmque aliquando cum eius

Amentem ſubitò ſanat.

Franciſci laudes à Boucardo.

Coniuge

Coniuge sermonibus variis, vt fit, occuparetur, ærumnosam illa querelam contexuit, quod tandiu careret liberis: rogauítque vt Deum idcircò orare dignaretur. Pontifex lubens annuit eadémque horâ ad offerendum Deo sacrificium perrexit, & intellexit Diuinam Maiestatem fore piæ mulieris votis propitiam: quare exacto sacro, Dominam illam sibi priuatim adhibens, Age gratias Deo (inquit) filia, exaudiuit preces tuas, & antequam exeat annus, paries filium. Quod omninò fœliciter euenit. Vix reuersus Anicium erat, cum à Sixensibus magnis precibus vocatus est: ineunte igitur Nouembri Michaële Bouardo, & Petro Spinano Iurisconsultis grauissimis sociatus viam iniit, ac vbi appulit, vidit quàm ad Religiosorum illorum consolationem necessarius esset, quidam enim qui præclarè in tuendis Communitatis iuribus aduersus Abbatem egerant, opus habebant animo, & quidam qui pusillanimiter defecerant reducendi erant: ipse autem omnia mirè operatus est. Nam lites omnes & controuersias quæ grauissimæ exarserant extinxit, & omnium animos cõciliauit. Duos vel tres Religiosos ad Communionem reduxit, ab aliis promisso obtinuit vt nunquam de desertione sermo futurus esset. Iacobum Mouxiacum Abbatem adeò sibi deuinxit, vt non mora in hæc ille verba proruperit quæ posteà sæpissimè repetiit. Domine, animam meam & bona omnia mea in manus tuas proiicio. plus à Sancto Præsule factum est: nam eumdem Abbatem senem valde ad generalem peccatorum confessionem dispposuit, quam variis adhibitis interuallis audiuit, necnon eius obitum Humberto Mouxiaco Abbati electo prædixit, non superabit patruus tuus, inquiens, tempus sequentis Lunæ, & dies erat decimus octauus calendas Decembris. Postremò magna cum reuerentia sepulchrum Beati Pontij Abbatis primi Sixensis aperuit ianuis clausis, dúmque vnum ex eius ossibus teneret tantisper eleuans, ecce inquit, os Magni viri, qui multum pro Domino nostro Iesu Christo & eius Ecclesia laborauit, quod sanè effatum prophetico spiritui tributum est. Quotus enim ille Abbas esset hactenus ignorabatur, & primum fuisse statim repertum est, neque fieri potuit quin multos labores in fundando eo Monasterio, & ad religiosæ disciplinæ normam erigendo, vt principia omnia difficillima sunt, in loco præsertim tam scabro & aspero tolerarit, & virum fuisse magnæ virtutis oportuit, qui ex Abba-

Franciscus Nobili fœmina filiũ à Deo obtinet.

Franciscus omnia Sixij pacat.

Sepulchrũ B. Pontij aperit. Eius notitia.

tia Abundantiana, in qua diu religiosissimè vixerat, trãnatus, dignus visus est qui nouo Religiosorum examini præesset, tantóque maior quantò ad baiulandam crucem Domini mundum & ampliſſimos honores contempserat, cum Ardutij Gebennensis Episcopi & Principis Patruus & Aymonis Falcinij Baronis frater esset. Præterea Salesius digitum tanti Abbatis reportauit, & lamentatus est quod huc vsque nullus eius vitam & miracula scripto reliquisset, eam esse temporum illorum miseriam inquiens, adeò vt nisi ex antiquis aliquot chartis in rerum domesticarum authoritatem, vt fit, exaratis, nihil certi constare possit. Ad aperturam autem sepulchri Vir quidam ab anno iam magnis detentus febribus qui fortè aderat, imploratâ Beati Abbatis apud Deũ interceſſione subitò sanatus est. Cònsolatione receſſit plenus sacer Pontifex quòd optimè suos Sixenses composuisset. Verumtamen vt rediit, grauis eum ob cuiusdam viri Ecclesiastici & Nobilis quem diu beneficiis omnibus fuerat prosequutus, lapsum in hæresim & in Angliam receſſum, dolor inceſſit. Vnde ad fratrem suum Ioannem Franciscum Taurinum scribens: O Deus, inquit, quot dolores animæ meæ! planè nõ memini me vnquam tantâ cum moleſtia attonitum fuisse! Ac tandem post multa in Anglicanam hæresim & schisma argumenta quibus perturbationem animi sui satis supérque indicabat, subiungit. Peculiarem habeo in amplam illam insulam & eius Regem propensionem, & non desino pro eius conuersione diuinam exorare Maiestatem, cum ea quoque fidentia vt aliquando meas & tot bonorum preces Deus sit exauditurus: iam maiori cum ardore in animæ illius consideration orabo. O frater chariſſime: beati veri sacrosanctæ Ecclesiæ filij, in qua filij Dei omnes obierunt: palpitat assiduè & præter morem cor meum huius lapsus causa, & nouum habeo animum meliùs deinceps Ecclesiæ viuentis Dei, & Ecclesiæ viuenti Deo inseruiendi. Interea festinus venit Sixo tabellarius nuntians morti proximum esse Abbatem, & suum iterum videre Episcopum, cum eóque de animæ suæ salute conferre auidiſſimè peroptare. Agebatur iam December, & hyems rigidiſſimè sæuiebat, nec locus quisquam ab altiſſimis niuibus & glacie immunis erat; Nihilominus Salesius statim duorum dierum iter quo Abbati illi subueniret confecit, peccata confitentem audiuit, salutare purgato porrexit Viaticum, & morientis vti prædixerat

Franciscus quàm ob lapsum cuiusdam in hæresim conflictatus.

Franciscus Abbatem Sixiensem moribundũ iuuat.

rat animam Deo commendauit quinto idus Decembris: tum reuersus est. Anno quoque ineunte suprà millesimum sexcentesimo vigesimo primo multa Anicij patrauit miracula. Cum aliquã. do Visitationis æde in qua sacrum fecerat egrederetur, ecce accurrit ad eum fœmina quæ malè à cacodæmone torquebatur, eiusque opem implorauit, ipse eam tetigit, subleuauit ac compressit necnon benedictione est impertitus, & subitò liberata est, immundo spiritu non sine omnium horrore egresso, & volauit ab oculatis miraculi testibus per vniuersam fama Ciuitatem. Possessam item Ludouicam Ripanam Crusilliacensem, quæ horrenda prorsus patrabat per manus super caput impositionem subitò liberauit, necnon peccata sua plangentem audiuit, & tranquillam dimisit. Ægrum à Medicis derelictum cùm inuisisset, salutaribúsque de rebus diuinis alloquiis occupasset, tum demum discedentis æger implorauit auxilium & preces, necnon eius orã suppari deosculatus est, & sanitatem recuperauit. His pendentibus venit Ioannes Franciscus Salesius, sancti sui fratris cum futura successione Adiutor, & Episcopus Calcedonensis, qui ex Sereniſſimorum Principum votis decimo sexto Calendas Februarij Diuo Antonio Abbati festo Augustæ Taurinorum Cõsecrationis munus susceperat, Sanctus Gebennensis Antistes, nox quamuis atra iam ingruisset obuiàm processit ei ad vrbis vsque portam Lapicidinanam, & sequentibus tribus diebus dexteram & prærogatiuam concessit, populum suum exemplo docens honorem qui sacris debetur præsulibus: eum deinceps de omnibus quæ ad munus pastorale spectabant seriò & sedulò instruxit, ac coram se voluit vt sacros Ordines celebraret, consecraret altaria, & huiusmodi alia, quo deinceps posset ipse maiori cum tranquillitate librorum vacare compositioni. Circiter hos dies sex hebdomadarum spatio Philippum Iacobum eumdem hominem Germanum, qui tam insolentibus eum verbis Lutetię in Anchoritanis ædibus fuerat aggressus, cum eius vxore ad extremam redactum paupertatem redeuntem ex Italia in hospitio publico aluit, nullo beneficiorum genere omisso, & discedenti amplam præterea stipem erogauit, adeò misericors, mansuetus & Sanctus erat æstate à Claudio Ludouico Nicolao Coësio Priore Tallorienſi & Religiosis rogatus, cum Adiutore suo Calcedonenſi Antistite, Tallorias, ac in Diui Germani Eremum se con-

Possessam à Dæmone liberat.

Ægrum desperatũ sanat.

Adiutorem suum instruit.

tulit, Coëſio iampridem author fuerat vt ad reponendas ſancti Reliquias, quæ in medio ædis ſacræ iacebãt, altare maius in eam rem aptum erigeret, & paruerat Coëſius, igitur vt ad ſacellum deuentum eſt ſacrorum rituum ſolemnitatem Adiutori Sanctus Pontifex ceſſit, ipſéque interim immotus fixis in capulum oculis, rapto in Ecſtaſim ſimilis hærebat, quouſque exactis cœremoniis ſandapilam ipſe aperuit, populo Sanctas reliquias oſtendit, roſaria ad eas tangendas omnium accepit, tum oſſa omnia & cineres in nouam ciſtam in eam rem ornatam immiſit, & compoſuit, necnon impoſito humeris ſuis vnà cum fratre, ſacro illo onere; ad ſolemnem circum Eccleſiam & domum ſupplicationẽ lachrymis terram illam aſſiduè rigans proceſſit, demúmque feruentiſſimam ad populum adhortationem habuit. Denſiſſimæ & atræ nubes cœlum tunc tegebant, & ab omnibus etiam loci incolis, qui ex obſeruationibus minimè ſe falli poſſe putant, ingentes pluuiæ expectabantur. Verùm ille leuatis oculis, minimè, inquit, pluet, & ferè ſtatim magna ſerenitas illuxit. Mirabatur Eremi illius pulchritudinem, Coëſióque eam laudans abſtinere non potuit quin animum ſuum aperiret. Statutum eſt, inquit, quandoquidem Adiutorem habeo, ſi ex Sereniſſimorum noſtrorum Principum voluntate fieri poterit, huc veniam: hęc requies mea, hîc habitabo quoniam elegi eam, ſtatim feneſtram illam quæ ſeptentrionem videt, aperiens, Lacúmque & Anicienſem tractum reſpiciens. O Deus, inquit, quàm bonum eſt & quàm iucundum nos hîc eſſe, prorſus relinquendum eſt Adiutori noſtro pondus diei & æſtus, interim dum nos hîc roſario noſtro & calamo Deo & eius Eccleſiæ ſeruiemus, Et ſcis? Pater Prior (ait ad Coëſium iterum conuerſus) caderent in nos conceptus non ſecus ac hyemẽ denſæ cadunt niues. A prandio deſcendit de monte pedes, quamuis equus adeſſet, nec mora vt in oppidum ac Monaſteriũ appulit, nullo penè capto quieſcendi ſpatio, in paroecialis Eccleſiæ Cathedram aſcendit, & ad populum Concionem habuit de laudibus Beati Germani, de cultu & veneratione Sanctorum, de modo quo in primitiua Eccleſia Serui Dei in Sanctorum numerum referebantur. De ſtatutis poſteà ab Eccleſia factis, & quàm æqua & rationi conſentanea eſſent. Denique de honore & cultu ſpeciali qui Diuo Germano deberetur. Siquidẽ Beatus ille Germanus Vir fuit, in ordine Diui Benedicti religioſiſſimus, qui ex

Transfert oſſa B. Germani.

Prædicit.

Franciſcus de ſolitudine cogitat.

B. Germani Elogiũ.

Abbatia

Abbatia Sauigniacensi ad instituẽdam regularis disciplinæ normam Tallorias olim missus, insigne pietatis extitit & sanctitatis exemplar; Hierosolymam profectus multas retulit sanctorum reliquias, quas Monasterio suo dedit, ac tandem grauis annis solitariæ vitæ permissus sanctè obdormiuit in Domino, & in sua eremo sepultus est. His optimè peractis Salesius lacu traiecto Ioannam Mentoniam Chiuronis Baronem Dereæ tunc commorantem inuisit, senectutis tædia quibus illa maximè angebatur, colloquiis aliqua ratione leuaturus; cúmque sermones ambo miscerent, déque mundi vanitate loquerentur, ait Præsul. Senescimus Domina mea, & ideò cogitandum est seriò de futura vita. Cui illa. Ita est planè, Reuerendissime Domine (inquit) quod ad me spectat. Senesco, & ideò sola mihi supereſt mortis cogitatio: tu verò optimè vales, & robustæ adhuc es ætatis, longiores tibi seruat annos Deus, cum Ecclesiæ suæ sis adhuc necessarius. At ego in nullam vtilitatem locum occupo, & iam septuagesimum secundum annum ago. Et ille, nihil refert, ait, Ego prior ibo, tu me sequeris, quæ verba dicta propheticè, veritatem sunt consequuta. Deinceps bonus Antistes cœpit grauiter tibiarum dolore conflictari, neque propterea abstinuit à Tononiensi profectione, ob res maximas vocatus, redeundo tamen cùm ad salutandum Patruelem chariſſimum Gasparem Salesium Fugianum Brento transiret, vix poterat se sustinere: vnde res erat aspectu miserrima, cùm nihilominus in tanta morbi violentia serena semper fronte esset, nec vel minimum conquereretur. Laceras etiam omnino sub talari toga vestes induebat, nec tamen hyeme currentis iam anni vigesimi secundi nouas sibi confici voluit, suam proculdubio mortem præsagiens: sed sic frigus pertulit ob adamatam pro Christo paupertatem, quam tamen in aliis per hæc tempora ærumnosissima quippe, cùm magna penuria esset, & Sabaudia vndique referta militibus, plures populo frumenti modios distribuens subleuabat. Stupenda res per hos dies euenit. Militem quemdam recipiendæ pecuniæ causa ad Petrum Rollandum Ciuem miserat Consul Claretus, & miles cùm eum non inueniſſet, in domum Episcopi ad Georgium Rollandum illius fratrem accessit, postulauítque sibi dari pecuniam. Rollandus nihil ad se spectare (inquiebat) nec ad persolutionem vllo modo teneri, scripturum

Franciscus prædicit.

Mortem suam præsagit.

Miles in Fraciscum insolens à Deo castigatur.

tamen ad fratrem vt videret quid facto opus : inter hæc verba miles in vehementiſſimam iram verſus altis clamoribus totum cauædium implebat, quæ cauſa fuit vt à peioribus ſanctus Antiſtes timens è cubiculo ſuo deſcenderit rationem irato explicaturus, verùm non deſtitit ille inſoleſcere, nec Præſuli manſuetiſſimo vnquam ceſſit, quare aërem ſe verberare videns Saleſius, & ſatius eſſe ei cedere : ſic furibundum reliquit, qui ſtatim & ante quam palatij limen excederet generali lepra eſt percuſſus iuſto Dei iudicio, ſed aliquando altero miraculo ſanandus.

DE VITA ET REBVS GESTIS, SERVI DEI,

Eximiæ Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII *Episcopi & Principis Gebennensis.*

LIBER DECIMVS.

ANTISPER dum hæc conficiuntur, venerunt sancto Præsuli à Supremo Pontifice Gregorio decimo quinto litterę, quibus præesse Generali Reuerendorum Patrum Fullienſium Conuentui, quem Pineroli ad Alpium radices indixerant, iubebatur. Paruit confestim, transiénsque Tullia non tam benè habebat, quare Magdalenam Rotariam Sanseuerinianam Ludouici Baronis Salesij Torentini coniugem alloquens manúmque pectori admouens, nescio quid (inquit) hîc sentio, quod me non multùm victurum denotat. Perrexit tamen, & Pineroli honorificentissimè exceptus est, illic ab omnibus tanquam demissus è cœlis Angelus considerabatur, vt reuera etiam omnibus vitam Angelicam exhibebat, mira mansuetudine & lenitate, incredibili patiętia ad omnium preces & quærimonias auscultatione facilis, ad responsa idem, ad sententias & iudicia maturus, & equissimus, neque res minimas quas alij plerunque fastidiunt, spernebat, quinimò conferens ima summis & summa imis, alterum sese Salomonem ostendebat, & in sui admirationem verè mirabilis rapiebat omnium animos. Quia verò multis venerat affectus corporis infirmitatibus, certè non potuit quin in tanta animi contentione, quanta in eo conuentu opus erat, grauiùs infirmaretur. Semel dum haberetur Sessio acutissimo colico affectu cruciari cœpit, tanque importunâ vi vexari, vt conuentum propter illum omnes interrumpere coacti sint. Ferebat tamen patientissimè, adeò vt ne minimam quidem querimoniam emiserit.

Franciscus mortem suam prædicit.

Præsides in Conuentu Fullienſiũ.

Franciſci labores Pineroyl.

ſerit. Dominicis & feſtis diebus quibus non cogebatur Congregatio, Epiſcopalis ſui muneris exercitiis incumbebat, ad preces ſcilicet Apoſtolici apud Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem Nuntij, necnon Diœceſis illius Vicarij Generalis, Confirmationis conferebat ſacramentum, Tonſuram Clericalem, & Minores Ordines accurrentibus omnibus, & vbi opus erat, in eam rem admiſſis. Maximi tunc calores erant, quare Pontificalibus iam ornamentis nimium oneratus, ſemel inter hæc exercitia paſſus eſt virium & animi deliquium ingenti non ſine religioſorum pauore, qui ad momenta tanto ſe priuari Pontifice pertimeſcebant. Reſumpſit vires poſtquam in chorum tantiſper fuit reductus & ad ſacramentorum collationem perrexit. Planè autem patrauit mira per hæc tempora, & ſacri illius Religioſorum Ordinis intricatiſſima negotia diſſoluit, ſpem rerum alieniſſimam reuocauit, motus omnes quos aliquando magnis ineſſe congregationibus neceſſe eſt compoſuit, & omnia omninò tranquillauit. Vt ab omnibus mirum in modum cultus ſic omnes coluit, è

Generalis Fulliſſimum elogium.

præcipuis autem vnus fuit Ioannes à ſancto Franciſco in eo Conuentu à Supremo flamine Superior Generalis & Abbas Electus, Vir ſi quis vnquam religioſiſſimus, linguarum penè omnium ſacrarum autem inprimis Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritia celeberrimus, qui multis verſionibus Eccleſiam Dei decorauit, Theologus & Philoſophus profundiſſimus, qui poſtea eius vitam & res geſtas idiomate Gallico ex primis conſcripſit. Huic aliquando ſacer Antiſtes colloquens de librorum ſuorum conceptionibus animum ſuum familiariter aperuit. Quatuor adhuc

Franciſcus quot & quales libros concepiſſet.

libros cogito, inquit. Quorum primus erit candida & nuda Verſio vulgari ſermone quatuor Euangeliſtarum vnitorum, & iunctorum ſimul per modum concordantiæ iuxta temporum & actionum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeriem, & hic præcipuè ad litteralem ſenſum ſpectabit. Secundus erit. Fundata & deducta probatio, præcipuorum capitum Catholicæ fidei controuerſorum, ex ipſiuſmet Domini noſtri Ieſu Chriſti verbis diſertiſſimis quæ habentur in Euangelio: & hic ſpectabit ad Controuerſiam. Tertius erit. Inſtructio ad bonos mores & ad virtutum Chriſtianarum praxim deductionémque ad ſpiritualis vitæ perfectionem ex axiomatibus Euangelicis & adhortationibus documentiſque eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti: & ſpectabit hic ad moralem.

moralem. Quartus & vltimus erit Actuũ Apoſtolorum explicatio in qua oſtendam quænam fuerit primitiuæ & naſcentis Eccleſię facies, quis ordo, quę ductio à Spiritu ſancto & ab Apoſtolis conſtituta, & hic ad hiſtoriam ſpectabit. Si fortè ſupererit tempus ſubiungebat Diui Pauli Epiſtolas eo ordine explicabimus. Hos autem libros quatuor ſimul iunctos opus Theandricum, id eſt hiſtoriam hominis Dei, nũcupabat. Præterea librum cogitabat de amore proximi qui librum de amore Dei ſequeretur, & Paſtorales Epiſtolas ad Curiones. His auditis Generalis Abbas negotioſum ſanè opus (inquit) Reuerendiſſime Domine, ſeneſcenti iam homini & Præſuli tot támque variis occupationibus diſtracto. Et ille, ita eſt Pater mi, retulit ſubridens, ſed vt animus ſemper noſter occupetur penſum tale ſumendum eſt vt ſuperſit potius quàm deficiat; & tanquam ſi quàm diutiſſime victuri ſimus, neque tamen maior debet eſſe negotioſitas quàm ſi cras mors adeſſe debeat. Fleuit poſtea magnus Abbas dum iacturam librorum illorum perpenderet, & ex tantis támque ſublimibus conceptibus ac reliqua Magni Pontificis eruditione longa experientia ſatis ſupérque comprobata, doctiſſimum omniũ quotquot viuerent pronunciauit, in eóque effato ſectatores habuit Ieſuitas, Doctores Sorbonicos & cæteros omnes de rerum Diuinarum humanarúmque ſcientiis benè meritos. Conuentu habito Bonus Præſul ex Principum deſiderio Auguſtam Taurinorum profectus eſt vnde omnia quæ acta fuerant variis ſcriptis tum ad Supremum Pontificem cum Cardinales, ad commendandos Patres illos Fullienſes ac eorum Generalem Superiorem inprimis fusè recenſuit. Amabat eum ſummoperè Princeps Sereniſſima Chriſtiana Francica, & ei lautum iuſſerat parari hoſpitium quod tamen ipſe recuſauit maluítque cum Patribus Fullienſibus ad Beatæ Mariæ Conſolatricis quamuis exiguum adhuc & incommodum Monaſterium eſſet habitare. Data eſt ei cellula octo aut nouem non amplius pedes lata, & ita Soli expoſita vt furnus potius dici poſſet quàm cubiculum. Amabat tamen ſic eſſe vir manſuetiſſimus & patientiſſimè æſtum tolerabat, & quamuis id pro eo Patres ægrè ferrent ſuaderéntque vt in oblatas ſibi commodiores ædes tranſiret. Quid igitur (inquiebat) iam non ero Fullienſis? & vultis me expellere? Hæc autem aiebat, quia ſacri Ordinis Fullienſis filius eſſe deſideraverat, acceperát-

Franciſcus Taurinum proficiſcitur.

Eius patientia mira.

que idcircò litteras vna cum participationis omnium bonorum operum beneficio, die vigesima quarta Iunij. Verum inter tot labores, sed prçcipuè aulicos, ad quos inuitus adigebatur, fortitudine lapidum opus fuisset, & porrò in grauem incidit morbum vnde per aliquot hebdomadas decubuit. Sanus effectus & magnam esse tota Sabaudia penuriam intelligens, licere sibi redire à Sereniſſimo Duce petiit. Cum iam trium mensium tempus Taurini exegisset; dedit illi Christiana Princeps annulum pretiosissimum, quem ad pauperum Anicienſium vt de Parisienſi fecerat leuamen destinauit. Reditum igitur dum adornat fortè ecce amissum esse annulum relatum est, neque verò ipse moueri cœpit, quinimò pretiosior erat (inquit) pro me quàm par fuisset, si quis eum pauper repererit minimè amissum putauero. Post aliquot deinde dies in imis femoralium suorum rugis repertus est, neque etiam gaudio propterea motus Præsul, sed eum multoties vti destinauerat deinceps oppignerauit, vnde non illepidè quidam cùm alij annulum Sereniſſimæ Subalpinorum Principis dicerent, mendicorum Anicienſium esse aiebat. Taurino excedens Ioanni Prezio Corsierio Sacerdoti Tononienſi in eam rem ait. Abeo istinc lætus Mitram, cum Anicium appulero, pedum, vestes, supellectilem, & omnia quæcunque possideo paupérum reficiendorum ergo libenti animo venditurus. Dum iter facit, nouis acrioribus doloribus agitatus est, quamobrem integrę diei spatio Argentinæ apud Castagnierium, à quo sanè optimè exceptus est, commorandum ei fuit. Ad oppidum Cameræ cùm appulisset mirum actum manſuetudinis exercuit. Hospes è cubiculo iam tradito omnem Michaëlis Fabri Sacerdotis supellectilem in aliud minus commodum extraxerat, rediens ille è suis, vt fit, negotiis in iram aduersus hospitem vehementer prorupit, & iam in longum rixa creuerat, cùm superueniens Præsul scire voluit qua de re ageretur. Retulit Faber quidquid rei esset, additis etiam precibus vt in hospitem inueheret, iubérétque supellectilem reportari. At Sanctus, Fabri sedauit impetum, hísque vsus est verbis: Tantum abest vt reportari debeat tua suppellex, quin si extrahi adhuc ex eo cubiculo in quo iam est, & in aliud minus commodum referri necesse sit, æquo id animo ferre debes: nunquid enim audisti dicentem Dominum, si quis abstulerit à te tunicam da ei pallium, & ita dissensionem omnem composuit. Iam verò

Infirmatur.

Francisci in pauperes charitas.

Eius manſuetudo.

verò in ſuam Ciuitatem Anicienſem chariſſimam redux incipiebat conceptorum librorum compoſitioni manum apponere: quæ circa tempora cum Renato Fabro Valbonio Præſide Gebenneſiano familiariter variis de rebus colloquens ingenuè ſe Virginem eſſe, ignoraréque omnia quæ de contrario Virginiti vitio dicuntur & fiunt, conteſtato aſſeruit, & quia morti ſe videbat ex multis valetudinibus proximum, fratrem ſuum Ioannem Franciſcum Calcedonenſem Epiſcopum ſpeciali deinceps cura de rebus omnibus quas noſcendas haberet cœpit inſtruere. Diebus ſingulis per aliquot horas Theologiam eum docebat. Methodum rectè & vt Epiſcopum decet ad populum Conciones, & adhortationes ſacras habendi, explicabat & inculcabat, ac eum tandem ſolemnibus indutùm ornamentis voluit è ſublimi pulpito verba facientem audire, & abſolutâ concione ad ſuos Canonicos alióſque qui comitabantur Proceres conuerſus, Illum (inquit) oportet creſcere, me autem minui, ſignificans ſe breui vitam cum morte commutaturum. Non prius tamen hoc, quàm multa ediderit miracula, è quibus vnum inſigne fuit. Nona Octobris die eáque Dominica, ad inuiſendos ægros in ſuburbium Bouis ſe contulerat: dum redit tranſitque ſub arcubus Magni Vici Beatæ Mariæ Virginis, ecce obuiàm habet Petræam Gardam Iacobi Decrouij Libellionis coniugem, filiam ſuam Petræam Antoniam, quæ tunc fortè miſerrimè febrilibus concutiebatur horroribus geſtantem. Interrogauit quo morbo puella inhorreſceret. Reſpondit Garda, heu Domine, tribus ab hinc menſibus quotidiana febri peſſimè torquetur. Tunc Sanctus blandè ad genas eam tetigit, benedictione ſacra eſt impertitus, inquiens, Deus te ſanet filia, & abiit. Illicò puella exclamauit. O mater ſana ſum, Dominus Epiſcopus me tetigit, & reuera prorſus ſanata eſt! cuius miraculi lucentiſſimi teſtes fuerunt quotquot tunc aderant, ij ſanè quamplures, & longè latéque fama peruolauit. Interea Rex Chriſtianiſſimus Ludouicus decimus tertius & Sereniſſimus Allobrogum Dux Carolus Emanuel hinc & inde Auenionem conuenire cogitabant, & Saleſius iuſſionem illuc etiam conueniendi quàm citiùs fieri poſſet, accepit. Non defuerunt qui malè ſancto Præſuli ex eo itinere ominarentur, nec vllus tota ciuitate erat qui non diſſuadere conaretur, facilè Ducem habiturum ipſum excuſatum inquientes ſi de tot tantiſ-

Fatetur ſe Virginem.

Franciſci prædictio.

Franciſcus puellam febricitatẽ ſubitò ſanat.

que quibus premebatur infirmitatibus rescriberet; verùm ipse, Quid vultis? aiebat. Eundum est quò nos Deus vocat, mortem tamen prævidens de suis rebus disposuit, & solemne vnà cum Ioanne Francisco Adiutore suo condidit testamentum, Octauo Idus Nouembris, quod vti par erat obsignauit authoritate in manibus Philiberti Rogis Doctoris Theologi, Canonici & Officialis Gebennensis facta, adhibitísque testibus Ludouico Salesio Ecclesiæ Gebennensis Præposito, Petro Francisco Iayo Canonico Theologali, Ioanne Rollando Iurium Doctore, Georgio Rollando Decretorum Doctore, Cathedralibus Canonicis, Claudio Coësio, Bartholomæo Floccardo, in Gebennesiana Curia Collateralibus, Antonio Boëgio Confluentino Balliuo Gebennesiano, Francisco Viallone Pessano Illustrissimi Ducis Nemorosij Causidico fiscali, Michaële Bouardo in Supremo Sabaudiæ Senatu Causarum Patrono, & Philippo Ducrestio Episcopalis Curiæ Libellione. Non mora profectionem adornauit, valedixit suis omnibus, disertísque verbis obitum suum prædixit, subiungens, & parum est quòd alibi moriar, dum bene. Venit ad eum Petrus Critanus Curio Tonensis sacram benedictionem accepturus, cui librorum suorum conceptus declarauit, tum demum subiunxit, & quidem inchoauimus libros illos, verumtamen alius fortè finem imponet. Eundum enim est ad Dominum, stupuit ad hæc verba Curio, prouolutúsque in genua benè precari sibi Præsulem rogauit, qui sanè omnia sanctæ amicitiæ ei indicia exhibuit, commendauítque curam animarum, tum cùm petiisset ab eo num breui rediret, respondisséque ille, se post tres mẽses rediturum iuuante Deo, benè retulit Præsul, Ora pro me Dominum, nulla nobis deinceps erit in hoc mundo consuetudo. Curio, reposuit. Reuerendissime Domine, dum vultum tuum & sanitatem consídero, non despero quin te iterum videam. Et Salesius. Abi, inquit, submissa voce, nescis quid rei sit. Venerunt Cathedralis Eccliesiæ suæ Canonici, quos vt fratres tenerrimâ omnes dilectione semper fuerat prosequutus, vnumquemque amplexatus est, rogauítque vti pro se orarent, necnon & obitum suum disertè prædixit, inquiens se ire non rediturum. Venit Anselmus Marchandus Ordinis fratrũ Minorum Regularis Obseruantiæ Religiosus, apud quem aliquando conscientiam solitus erat reponere, cui genuflexo & femur amplectenti. Ponam vi-

Franciscus testamentum condit.

Prædicit iterum obitum suum.

tam,

tàm, inquit, in hac peregrinatione, neque alibi quàm in cœlo deinceps visio nostra erit. Venit Pater Claudius Sonnerius eiusdem Ordinis sacrarum Virginum Clarianarum Custos, isque senex, cui idem etiam pronuntiauit. Vni ex suis domesticis, inquit, Nõ imitabor equites leuis armaturæ, discedam absque tubicine, & cum intelliges me ægrum, scito esse mortuum. Denique ad Sorores sui sacri Ordinis Visitationis accessit, sacrum coram illis fecit, benedictione sua vnamquamque est impertitus, pretiosissimam illis sacrificalem pallam valoris ducentorum nummorum dedit, obedientiam & charitatem commendauit, paritérque solum sibi restare cœlum dixit. Vt è Monasterio rediit, accersiri iussit Huguinam Paridem, eamdem cui iampridem non superaturam annum decimumquartum prædixerat, puellam pietati deditissimam, & ait, Vale filia. In cœlo tantùm deinceps mutuò videbimus; & illa paulò pòst obiit. Vt Nona Nouembris dies illuxit, descendebátque è cubiculo suo equum ascensurus, expectauit eum Ioannes Franciscus Salesius Calcedonensis ad gradus, ad eius se pedes cum lachrymis prouoluit, femur strictè amplexatus est, nec quidquam præter suspiria potuit emittere; Sanctus Pontifex multa consolationis verba effudit, aitque nihilominus moriturum se procul dubio, si ægritudine in eo itinere corriperetur. Planctus, fletus & gemitus non in ipsa dumtaxat domo, sed per vniuersam Ciuitatem audiebantur ob eius discessum, & lugubre prorsus spectaculum erat. Comitati sunt Sessellium vsque multi Ciuitatis Proceres vtriusque togæ; vnus autem inprimis Ianus Salesius frater Melitensis Eques irriguis fletibus vias conspergebat, & vbi Sesselli separationis hora venit, abeuntium & redeuntium omnium corda præ doloris magnitudine inter eiulatus scissa & dissecata sunt. Conscendit in scaphulam cum suis bonus Præsul, & flantibus quamuis vehementissimis Aquilonibus Rhodano se commisit, rigidissimo frigore penè congelatus. Lugduni pridie idus ad portum Salomonis ad Ararim, vt cum nautis Auenionem descensuris conueniret, se contulit. Verùm quia liberi commeatus syngraphum à Gubernatore non habebat, expectandum fuit. Rollandum statim ad Carolum Nououillanum Halincurtium Marchionem Villaregium, Prouinciéque Lugdunensis Proregem misit, quo in negotio hora fluxit, & tamen stupenda cum patientia in portu

Luctus Anicienſiũ ob Franciſci diſceſſũ.

Eius patientia Lugduni.

vento frigidiſſimo expoſitus Sãctus ſtabat, expectabat, nec quidquam aliud Petro Perneto Sacerdoti, aiebat, quàm vrgeri ſe maximè, & volendum eſſe quod Deus vellet. Tandem Arari atque iterum Rhodano impoſitus Burgum ad quatuor Auenione milliaria appulit, ibíque honorificentiſſimè à Conſulibus exceptus, & tanquam delapſus è cœlis Sanctus, & iam non mortalis inuitus in templum ductus eſt, vbi ſolemniter lætitiæ hymnus Diuorum Ambroſij & Auguſtini decantatus eſt, magnis deinde muneribus manè facto diſcedentem oppidani omnes onerarunt. Quod idem Auenioni fuit, nam cùm aduenirent Populus omnis currebat velut in odorem vnguentorum eius, & iuuenes, & Virgines, ſenes cum iunioribus laudabant & benedicebant Deum, qui tanta eos dignatus gratia fuiſſet, vt Angelicum & Sanctum hominem viderent, nec niſi hę voces per vicos & cõpita audiebantur. Illéne eſt Magnus Gebennenſis Epiſcopus? Hiccine qui librum Introductionis ad piam vitam compoſuit? Ecce virum iuſtum, dilectúmque Deo & hominibus, ecce eum qui tam ſanctè de amore Dei ſcripſit: En Inſtitutorem Religioſi Ordinis Marianarum Sororũ; inter quos clamores Sanctus animum & oculos demittebat, tantáque Chriſtiana humilitate ferebatur, vt magnificentiſſimum illum Apparatum & ſolemnem pompam intrantis in Vrbem Victorioſiſſimi Regis videre neglexerit, quamuis commodiſſimè ex ſuo cubiculo potuiſſet. Curauit potiùs negotia nonnulla quæ in publicam Sabaudiæ vtilitatem cedebant, Res ſcilicet Gymnaſij Magni Sabaudiæ, cui à Diuo Nicolao nomen eſt, à Ioanne Fraſſio Cardinale Oſtienſi & Gebennẽſi Epiſcopo olim fundati in gratiam viginti quatuor Adoleſcentum qui litteris vellent incumbere: octo quidem ex Gebennenſi Diœceſi, Octo item ex Ducatu Sabaudiæ, quatuor ex Prouincia Viennenſi, & quatuor ex Arelatenſi, fusè de reſtituendo eo Gymnaſio ex Fundatoris intentione cum Vice-legato Auenionenſi egit, exiguo quamuis profectu, quoniam breuior fuit mora quàm par fuiſſet, & Vicelegatus ipſe multis aliis negotiis diſtrahebatur. Elapſis ſeptem aut octo diebus cum Sereniſſimo Principe Mauritio Cardinale à Sabaudia Lugdunum rediit, quo etiam ad inuiſendum Regem Sereniſſimus Subalpinorum Princeps & eius vxor venturi erant. Dum iter facit obuiàm habuit in Vrbe ſancti Spiritus aliquot Nobiles Caluinianæ ſectæ hæreticos, qui cùm ab eius ſeruis intellexiſſent Epiſcopum eſſe

Colitur Auenioni vt Sãctus.

Agit pro Collegio Sabaudiæ.

Redit Lugdunum.

Geben

Gebennenſem: O (exclamarunt) ſi Prę ſules omnes eum imitarentur, & vt ille eſſent, deficeret breui noſtra Religio, & ſtatim Catholici eſſemus, adeò ſanctitatis fama apud ipſos etiam ſacrilegos valebat. In Oppido Barberiarum cùm omnia frigore incruſtarentur, ſuper nudam paleam veſtitus cubauit patientiſſimè, imò vt aiebat, nunquam meliùs, lectum inſtructum, duobus Patribus Ieſuitis cedens, & tertio Calendas Decembris Lugdunum appulit. Multi eum Regij Conſiliarij & illuſtres Dynaſtæ hoſpitio excipere peroptauerant, vnus inprimis Iacobus Ollerius ſummæ iudiciorum Præpoſitus vaſtiſſimarum ſuarum Ædium ad Bellæ-Curiæ aream partem obtulerat: ſed & idem fecerant Patres Societatis Ieſu Domus profeſſionis, quam à Diuo Ioſepho vocant; verùm ipſe actis gratiis recuſauit ob adamatam paupertatem, olitoris, qui hortum Monaſterij Viſitationis curabat tuguriolum veriùs quàm domum elegit, ſub prætexta cauſa liberiorem ſe fore ad eos excipiendos qui viſitationis eum officio dignaturi eſſent: prætereà minus pariturum incommodi ſuis, & poſſe ſemper Sororibus Viſitationis in promptu eſſe. Erat expoſita caſa illa vndequaque ventis & fumo obnoxia, neque tamen vllo modo querebatur, ſed cum Chirurgo quodam ibi etiam ex Syngrapha cubiculum habenti pacificè & concorditer viuebat, qui tamen Chirurgus non multo pòſt ob Sancti Prę ſulis reuerentiam mutauit hoſpitium. Multi ſanè, quos ad familiaritatem bonus Epiſcopus admittebat, querebantur, & lamentationes apud eum varias quod malè prorſus habitaret contexebant, quibus ille, nunquam melius, reſpondebat, quàm cum parũ benè. Pridie Nonas Decembris Dominici Aduentus Dominica ſecunda in Æde Collegij Patrum Societatis Ieſu Cõcionem habiturus erat, Vir quidam Eccleſiaſticus ſuadere conabatur vt in rhedam aſcenderet, timens ne aliter ob viam longam ſanè tibiarum doloribus poſteà grauiùs conflictaretur. At ille, Rectè ais, retulit, Egregia res eſſet me in rhedam aſcendere ad annunciandam Sancti Ioannis Baptiſtæ pœnitentiam, & Euangelicam paupertatem. Porrò pedes iuit, potentiſſimè concionatus eſt: Per hos dies acceſſit ad eum Vir quidam Nobilis ad extremam redactus paupertatem, eò quòd omnia ſua temerè & nimio luxu diſſipaſſet, ſermonem autem & colloquium iniit à laudibus Bernardi Baronis Saleſij Torentini, quem apud Subalpinos cognouerat, ac demùm

Recuſat lauta hoſpitia amore paupertatis.

Eius humilitas.

Beneficētia

demùm eleemoſynam petiit, quam ei Sanctus Antiſtes amplam erogauit, cúmque aſſereret ille conteſtato oraturum ſe iugiter Deum, vt centuplum ei redderet. Feſtina igitur, inquit, in huiuſmodi orationem incumbere, quia breui & tu & ego ſic erimus, vt nullius rei indigentia premamur, quod de vtroque poſt alterum menſem verum fuit. Beneficentiam etiam maximam exercuit erga Philippum Iacobum eumdem Germanum quem & Lutetiæ in fide confirmauerat, & Anicij aluerat, eum ægrum ſæpiſſimè inuiſit, & apud diuites Aulicos illuſtréſque fœminas ad charitatis opera commendauit; nec in tantis Virtutum exercitiis fieri poterat quin ab omnibus Sanctus exiſtimaretur. Germani homines non pauci Lugduni tunc agentes aiebant eum in Germania haberi vt Diuum Hieronymum, Diuum Ambroſium, Auguſtinum, conferríque cum antiquis illis Patribus, neque vulgi tantum eam opinionem eſſe, ſed Doctiſſimorum hominum, ſed Principum, ſed Præſulum. Sorbonicus quidam Doctor collatione cum eo de multis negotiis habita & tranquillo excedens animo non dubitauit in gratiarum actionem hęc verba proferre, Reuerendiſſime Domine, haberis ab omnibus Sanctus, neque id immeritò, nam & ego tuam ſanctitatem experientia comprobo. Reſpondit Antiſtes. Auertat à te huiuſmodi Sanctitatem Deus, falleris procul dubio vt falluntur & alij. Vnum tibi dicam. Voluntatem habere me fortiter deinceps obſequendi Deo, & vt aliquando Sanctus ſim tuis precibus etiam me adiuua. Cùm Dominam Principem Comitem Sueſſionenſem inuiſiſſet, acceſſit ad eum magnæ dignationis Matrona quædam inquiens, Reuerendiſſime Domine, ſi tegereris purpurâ habereris Diuus Carolus; cui ille, omninò hoc vltimum deſiderabilius eſſet, mallem enim eſſe Diuus Carolus, quàm veſtiri purpurâ. Cùm aliquando de Diuo Franciſco Xauerio ſermo incidiſſet, Pius quidam Eccleſiaſticus ſic infit. Ecce iam tres inter Cœlites Apoſtolico effato relatos. Diuum Franciſcum Aſſiſiatem, Diuum Franciſcum de Paula, & Diuum Franciſcum Xauerium, ſupereſt Diuus Franciſcus Saleſius. Subriſit ad hæc verba ille, & vtinam, inquit, Sanctus eſſem! Fuit Religioſiſſima quædam anima, quæ inter contemplandam Empyrei cœli gloriam vidiſſe ſe affirmauit Sanctum Præſulem Saleſium Diuinæ Maieſtati intimè vnitum, & oſtenſum ſibi fuiſſe ab Angelo inter Seraphinos maximæ gloriæ thronum,

Prædictio mortis.

Pius fama apud omnes

Sanctus vocatur.

Viſio cuiuſdam religioſæ.

num,significatúmque eam esse sedem quam Episcopo Gebennensi Diuina prouidentia præparasset.Siquidem Seraphicus erat Vir ille Magnus, qui nihil nisi per amorem,in amore,ex amore, & ob amorem Dei agebat. Vnde sæpè testatus est eius Confessarius Michaël Faber, nihil eum formidine pœnæ, vel spe salutis æternæ vnquam patrauisse, verùm propter simplicem & purissimum amorem Dei,ab omni mercenaria consideratione expurgatum;ac denique sic vixit,vt in suis libris docuit, & vt ex Epistolarum suarum volumine videre est, nulli vitio obnoxius, in virtutibus omnibus planè compositus, quódque magis mirêre, ne minimam quidèm imperfectionis atomum, totam licèt eius vitam ab ipsa si vis conceptione perscruteris,animaduertere possis, quod vix in reliquis mortalibus reperias, adeò cœlestibus præuentus fuerat benedictionibus à Deo, & adeò ipse tractus à Deo currebat in odorem vnguentorum eius, & quasi lux splendens creuit vsque ad merediem. Prædicandi Verbum Dei Diui Augustini & aliorum Sanctorum ad instar nullum finem fecit,& ipse per hos dies Petro Pernetо aiebat,se plusquam quatuor millia sacrarum Concionum exegisse, quod & quamplurimis aliis sæpissimè inter colloquendum fassus est. Ipso Natiuitatis Dominicæ peruigilio mandatum accepit à Maria Medicæa Regina Regis matre, ad Crucem pro Patribus Recollectis plantandam, cui actioni diu & importuna tempestate vacauit,multúmque ex frigore passus est. Media nocte in Æde Sororum Visitationis sacrum fecit, habuítque adhortationem tenerrimis amoris erga diuinum Puerum motibus refertissimam. Ad Auroram Serenissimorum Principum Victoris Amedei & Christinæ Francicæ Confessiones audiuit, coram illis celebrauit, & Augustissimum altaris Sacramentum porrexit,idque in æde Beatæ Mariæ Auxiliatricis Patrum Dominicanorum, incertúsque an ob aulicas occupationes ad tertium sacrum coram Sororibus celebrandum liber esse posset, Pernetum rogauit vti sese in id officium pararet: horâ igitur octauâ venturum Episcopum minimè putans Pernetus sacris se vestibus induerat,cùm statim aduenit,neque tamen exui eum volentem passus est, sed tribus eius sacrificiis genibus flexis patientissimè continuis intentus precibus interfuit,quibus absolutis tertiam suam Missam celebrauit cùm iam fluxisset hora vndecima. A prandio duabus Virginibus, Visitationis habi-

Franciscus perfectus.

Eius Concliones.

Mira humilitas & patientia.

tum dedit,quarum vna fuit Maria Syluia Lugdunenſis:hæc non ita pridem à ſuis Parentibus ſollicitabatur ad nuptias ; à quibus alieniſſimum habebat animum. Manè aliquando in Ædem Capucinorum ſacram ſe contulit,ibiq́ue ingens quo flagrabat conſeruandæ virginitatis deſiderium Ieſu Chriſto Domino & eius Matri commendauit.Non multo temporis interiecto ſpatio eccè lux magna circumfulſit,apparuítque ei Auguſtiſſima cœli Regina,Diuis ſtipata duabus Maria Magdalena & Catharina Senenſi, hiſque eam verbis alloquuta eſt. Macte animo filia. Breui in meum Viſitationis intrabis Ordinẽ, & Sancti manibus habitum accipies. Valuit Oraculum, nam continuò conſilia illa quibus ad matrimonium deſtinabatur euanuerunt, & oblata Superiori Matri admiſſa eſt,& Sancti Manibus habitum religionis accepit. Et Sanctus quidem hoc aſſumpto ex Apoſtolo themate , abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo , ſanctiſſimè concionatus eſt. Sub Veſperam in Palatium Reginæ Matris diſceſſuræ, valedicturus ſe contulit, vbi vſque ad multam noctem non ſine incommodo fuit. Luce poſterâ Protomartyri Diuo Stephano ſacra,celebrata Miſſa apud Nicolaum Menardum Eccleſię Diui Nicetij Hierophylacem , & in Archiepiſcopatu Generalem Vicarium ſubſtitutum , virum vt doctiſſimum ſic piiſſimum prandium ſumpſit, multíſque prætereà & variis vacauit negotiis. Horâ quintâ veſperrinâ vſque ad ſeptimam de ſpiritualibus rebus & Regno Dei familiariter cum Sororibus Religioſis colloquutus eſt, initio in hæc verba dato. Saluete chariſſimæ filiæ. Ego huc vobis valedicturus veni,& tantiſper animum meum vobiſcum occupaturus, quia reliquum temporis mundus & aula abripuerunt. Porrò abeundum eſt , & finienda conſolatio quam huc vſque vobiſcum habui.Quid tandem dicemus ? Et quidem reſponſiones multas filiæ habent.Melius eſt loqui Deo quàm hominibus. Cũ reſpõdiſſet Mater Superior velle ſe ei colloqui,vt diſcerent quo pacto alloquendus ſit Deus.Benè,inquit, hanc prætextam cauſam habebit philautia ;nulla iam ſit præfatio. Quid dicendum eſt ? Ad interrogationes varias optima reſponſa dedit, vt ſe gerere debeant Superiores erga inferiores,& viciſſim. Vt deſideranda aut recuſanda ſunt in Religione munera & officia: Vt nihil petẽdũ & recuſandum ſit: vt obedientia exequenda : vt nihil terreſtre

Colloquitur cũ ſororibus Marianis.

peten

petendum : vt virtutes à Deo postulandæ, & vt omnes inuicem cohæreant,atque in vno amore Dei comprehensæ : vt ad Communionem dignè accedendum:vt distinguendum sit ab imperfectione veniale peccatum : vt semper Dei præsentia habenda, & alia miræ eruditionis & sanctimoniæ, quæque scientiam Sanctorum sapiebant.Fluxerat iam hora septima cùm venerunt serui cum facibus vt eum reducerent:quibus visis ? Quid vultis?inquit. Noctem ibi sanè transigerem insomnem , abeundum est igitur,ecce vocat me obedientia. Valete chariſſimæ filiæ, cúmque illæ instarent quid magis vellet inhærere animo.Quid vultis dicam vobis ? respondit,in his duobus verbis omnia dixi. Nihil desiderandum,nihil recusandum. Videte puerum Iesum in præsepio,patitur omnes temporis iniurias , frigus & quidquid Pater eius permittit , non recusat leuamina quæ à Matre veniunt; neque scriptum est eum vnquam ad vbera Matris extendisse manus,sed hæc omnia eius curæ relinquebat.Ita nihil desiderare debemus , nihil recusare, sed omnia pati quæcunque Deus volet. Manè facto, die sancto Ioanni festo dum lauat manus & faciem aqua calida seruis dixit,perit acies visus , hoc significat discedendum esse,quia corpus quod corrumpitur aggrauat animã. Viuemus tamen quantum Deo placuerit. Intrauit in Monasterium Visitationis Confessionem Sororis cuiusdam ægræ auditurus,dum egreditur petierunt etiam Sorores quæ comitabantur eum,diceret non nihil antequam abiret,quod maximè ad vitam piè transigendam obseruandum censeret , postulauit dari sibi chartam & calamum tum maiori charactere scripsit,Humilitas! nihil prætereà, Sacramentaliter apud Stephanum Brunum confessus est,& cum iam prope esset meridies celebrauit. Vt egreditur Æde , occurrit Rogerius Bellegardius , Dux , Hipparchus Franciæ,& Burgundiæ Prorex , cum quo diu detecto capite in aëre crassis concreto nubibus & frigido colloquutus est,nec mora etiam cum Carolo Nououillano Halincurtio. Hinc ad Ducẽ Nemorosium se contulit, & apud illum Gebennesianos Consiliarios à variis criminibus , quibus dirâ calumniâ onerati erant, purgauit,cùm iam Dux ipse per se eos omnes à publicis muneribus deponere decreuisset : nõ exiguum sanè in Sancto Christianæ charitatis opus. A Nemorosio ad Subalpinorum Principem iuit,& coram illo detecto diu stetit capite. In Tugurïolum suum

Eius præcepta.

redux, non ita benè habebat, & multa lassitudine deprimebatur. Illicò interrogauit eum Germanus Pilliodus, Domine placet tibi sumere ocreas, vt sis ad discessum expeditior. Et ille, Sumamus, inquit, quandoquidem vis, verumtamen non procul ibimus. Sumptis igitur ocreis leui prandio se refecit, ac deinde diu satis super mensam cubito innixus velut quieuit, tum spiritum tantillum hauriens duas scripsit Epistolas, vnam qua Patres Recollectos commendabat, alterã ad Abbatissam Monasterij quod Desertæ vocant, eam in charissimam filiam prout instanter expostulauerat adoptans. Tertiam variis visitationibus distractus imperfectam reliquit: venerunt enim tunc ex Religiosis Ordinibus quamplures sacram eius benedictionẽ accepturi, quos cùm recedentes vt semper solebat antea minimè comitaretur, sed sedens consisteret serui infirmari eum cognouerunt. Quamobrem Georgius Rollandus domesticis rebus Præfectus ad eum lentè accedens. Inclinata est iam dies, inquit, Domine, expectanda mihi videtur ad discessum crastina, cui ille. Ægrum fortè me putas? Surrexit tamen & ad Conclaue cum Pilliodo recessit, interrogabátque eum, num Patrem Seguirandum concionantem audiisset? Cúmque retulisset Pilliodus, eum Reginæ Matri seruorũ eius amorem commendasse. Et tu, inquit, Pilliode amas me? mox cum lachrymis affirmanti: Et ego amo te reposuit, sed valde etiam nobis amandus est Deus. Dum hæc diceret animi & virium passus est deliquium, ad quod cæteri omnes famuli qui in cubiculo aderant accurrerunt. Hora erat à meridie secunda, exutus est ocreis, & post aliquot deambulationes in lectum repositus, víxque semi hora fluxerat & apoplectico stupore correptus immobilis decubuit, ita tamen vt expergefieri interdum posset, quo tempore præclarę ab eo sententiæ extorquebantur. Rollandus hoc sui Domini casu penè exanimis nesciebat quò se verteret, tandem tamen festinauit in Domum probationis Societatis Iesu, & Reuerendum Patrem Petrum Barnaudum Rectorẽ accersiuit. Is adhibito secum fratre Adiutore Gulielmo Armando nulla prætermisit officia, calefieri aliquot lintea curauit quibus cerebrũ perfricaretur donec veniret Medicus, qui licèt diligentissimè quæsitus non inueniebatur, nec nisi post multas horas venit, Pancratio Marcellino huic nomen erat, quem expertissimum fama iampridem commendauerat. Postquam diu Barnaudus va-

Prædicit iterum mortem.

Patitur deliquium.

Eius morbus.

riis

riis remediis ægro opem tuliſſet, multis formatis interrogationibus quibus Sanctus tot emittebat fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, humilitatis, & contritionis actus. Recedens Patrem Gaſparem Maniglierium, & Patrem Ræmundum Sauuianum miſit. Et ille quidem iampridem tum quia Sabaudus, tum quia multæ ſanctimoniæ religioſus erat Præſuli chariſſimus ait. Reuerendiſſime Domine, Quid hoc eſt? Ego modò veneram vt te valere iuberem, & in eo te ſtatu vĩdeo. Quid ſibi vult? Reſpondit æger. Pater mi, ego hîc expecto miſericordiam Dei, & ſubiunxit, expectans expectaui Dominum & intendit mihi. Reſponde nobis Domine, interrogauit Pater, ſi hanc tuæ mortis horam Deus deſtinaſſet, nunquid eius voluntati conformarere, & eam patienter ferres? Reſpondit. Bonum eſt præſtolari Domino, æquè hæc eſt hora mihi ac alia, Deus Dominus eſt, quod bonũ in oculis ſuis videbitur hoc faciat diſponátq; de me vt volet, ego omnia patiẽter feram, ſubitò profeſſionẽ fidei emiſit, rogauítque Patrem vti audire dignaretur, & addidit. Etiamſi centum imò mille in mundo Religiones eſſent, ego nullam bonã cenſeo præter Religionẽ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanę, Eccleſiæ, in qua mori volo, quidquid ſuggerere inimici mei poſſint, ſic iuro, ſic profiteor, Et dũ tẽpus habemus (ait) cura vt extremæ Vnctionis Sacramentum mihi conferatur. Miſſum eſt ſtatim ad Menardum & Curionem, ſed differri poſſe Sacramenti collationem Medici iudicarunt, quibus in omnibus obedientiſſimus ſemper fuit, licèt amaras illi potiones propinarent. Interea pergebat eum adhortari Maniglierius vt hęc Ieſu Chriſti verba proferret; Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte: At ille noluit, ea tantùm protulit cum ſuſpirio, Non mea ſed tua voluntas fiat. Idem, vt animam ſuam glorioſiſſimæ Trinitati conſecraret animauit, Tunc erectis viribus hæc ex imo pectore verba proiecit. Deuoueo & conſecro quidquid in me eſt Deo, memoriã meam & actiones meas Deo Patri, intellectum meum & verba mea Deo Filio, Voluntatem meam & cogitationes meas Deo Spiritui ſancto. Cor meum, corpus meum, linguam meam, ſenſus meos & dolores omnes ſacratiſſimæ Ieſu Chriſti humanitati, qui pro me non dubitauit manibus tradi nocentium & Crucis ſubire tormentum. Dum hæc procurante Maniglierio à ſancto Præſule fiunt, venit Menardus, petiítque num vellet exponi in Æde Vi-

Emittit profeſſionem fidei.

ſitationis Auguſtiſſimum Sacramentum? Reſpondit ſe non mereri, cúmque retuliſſet Menardus. Num vellet pro ſe orari? Ah! reſpondit. Quod ad hoc ſiquidem. Num recordaris Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ? & num eam vis deprecari? Eam (reſpondit) cunctis diebus vitæ meæ deprecatus ſum: ad hæc cum dormiſceret, pius hic Eccleſiaſticus potenter eum expergefecit. Et Domine (inquit) quid cenſes de fide Catholica? Eſſéſne fortè hæreticus? O hé! O hé! reſpondens exclamauit, abſit tantum nefas. Nunquam hæreticus fui, & manu ſignum Crucis à fronte ad pectus formans, Atrox (inquit) & magna eſſet proditio. Ad ſermones quibus oſtendere idem conabatur, illuſtriores Sanctos ad mortem expauiſſe. Non immetitò formidabant, retulit, & ad hæc verba ſcripturæ. O mors quàm amara eſt memoria tua! proſequutus eſt, homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis. Ad multam iam noctem deuentum erat, & Medici, ne amplius turbaretur, prohibuerunt, multorum tamen Ordinum Religioſi quamplures, Ieſuitæ autem in primis eum perpetuò cinxerunt vigiles. Interea ab hora iam quarta ſuæ valetudinis per vniuerſam Lugdunenſem Ciuitatem rumor cucurrerat, nec vllus erat qui non tanti Præſulis iacturam defleret, Reuerendus Generalis Vicarius quo ſanitatem ei Deus reſtituere dignaretur per omnes Eccleſias Altaris ſacramentum exponi iuſſit, & preces inſtitui. Mediâ nocte multa ſui finis indicia exhibuit, quare ad Paræcialem Sacerdotem Eccleſiæ Diui Michaëlis, qui ſanctum oleum afferret feſtinatum eſt. Is fuit Miniſter Sacramenti Deagius Claudij Villani Curionis Vicarius, qui eum horâ diei Sanctorum Innocentium primâ vnxit: & dum ritè peragit, Sanctus Præſul ad omnia verba reſpondebat; exactis Sacramẽtalibus Ceremoniis circumdari ſibi brachium dextrum voluit ſuo roſario, è quo multa pendebãt benedicta numiſmata, quæ iampridem Româ & Laureto detulerat. Viaticum exhibere viſum non eſt ad rem, eò quòd, vomitibus obnoxius eſſet. Manè facto venit Robertus Bertelotius Epiſcopus Damaſcenus, aitque, Franciſce, quæ mutatio dexteræ excelſi? Peruigilio Natalis Dominici veneras ad me, & valedixeras, & cogor ego nunc venire ad te & valedicere? Reſpexit æger, manúmque in beneuolentiæ teſtimonium extendit. Pergens Damaſcenus ad eius opem veniſſe ſe dixit, verbiſque Salomonicis vſus eſt, Frater qui adiuuatur à fratre quaſi

Recipit Extremam Vnctionem.

Ciuitas

Ciuitas munita; respondit æger, & Dominus saluabit vtrúmque. Elapsis aliquot momentis protulit hunc Dauidicum versum Damascenus. Iacta cogitatum tuum in Domino. Et prosequutus est æger, & ipse te enutriet; nec mora subdidit: meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei. Petrum Pernetum qui nunquam à ceruicali amotus est rogabat, vt hæc ei sæpè verba inculcaret. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum, & hæc alia sæpissimè repetebat, Misericordias Domini in æternum cantabo: renuit consolari anima mea: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: Memor fui Dei & consolatus sum. Horâ decimâ missione sanguinis tantisper leuatus est, statimque adfuit Ioannes Forerius Iesuita ille piissimus tunc Prouincialis Lugduuensis, qui moderatâ voce ait, Reuerendissime Domine, oblitúsne es mei? & cognoscísne me? Cui ille: obliuioni detur anima mea si oblitus fuero tui? Videns Gulielmum Armandum valde circum se ad officia omnia sollicitum, blandè interrogauit. Frater mi, multum pro me laboras & pateris, quid tandem rependam? Respondit frater, Ora pro me, & memento mei Domine, cùm veneris in regnum Dei, & ille nictantibus oculis visus est annuere. Sed adhortatus est amplius Forerius vt eam Diui Martini orationem recitaret, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem, nunquam autem induci potuit ad recitandam, imò verò inquiebat; seruus sum inutilis, inutilis, inutilis. Religiosus alius cùm eum audisset tacitè hunc Dauidicę pœnitentiæ versum proferentem. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, ait, Domine quod ad conscientiam tuam spectat benè omnia ex Dei gratia disposuisti: retulit heu! nequaquam. Inuitauit eum Pater Amerezius Iesuita vti sacrum trisagium recitaret. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, & ille prosequutus est. Pleni sunt cæli & terra Maiestatis gloriæ tuæ; reliquúmque illius hymni necnon inceptum ab eodem psalmum, Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, continuauit. His pendentibus Medici consilium capiebant, & malè iudicabant. Quamobrem Bartholomæus Flocardus in Gebennesiano Consilio Collateralis triste nuntium Henrico Sabaudo Duci Nemorosio tulit, & Dux licèt podagra dirè tortus & decumbens, parari sibi confestim

rhe

rhedam iuſſit, nec dedignatus eſt in tuguriolum illud aſcendere, ſed & plus, ſalutato Præſule coram eo genuflectere. Vt autem adfuit, interrogauit ægrum nonnullus. Reuerendiſſime Domine, cognoſcis ne hunc Dynaſtam? Reſpondit. Equidem. Beneficiarius eius ſum. Dominus meus eſt Dux Nemoroſius. Fleuit ſanè Dux amariſſimè, & benedictionem ſacram poſtulauit, quam debili licèt brachio ſanctus Antiſtes eſt impertitus: iterúmque pro Frãciſco eius filio primogenito Gebenneſij Principe, quem ſuperioribus annis Lutetiæ ſalutaribus vndis tinxerat. Vt abiit Nemoroſius flebat ex ſeruis vnus ad columnas lecti, cui æger, Noli flere (inquit) fili mi, numquid voluntas Dei adimpleri debet? Rollandus lachrymis & ſingultibus conficiebatur, miſerabiléque omnibus ſpectaculum exhibebat: Accedens ad ſanctum Dominum ſuum ait: Domine, nihil loqueris? Dic nobis aliquid. Et ille: Viuete in pace, reſpondit, & timete Deum. Venit Reuerendiſſimus Ebrodunenſis Archiepiſcopus, & ait. O hé, Domine, ô hé! at ille dormiebat: quare vt euigilaret ſerui hinc crines trahebant, hinc tibias & pedes vnguibus vellicabant, tandem expergefactus Archiepiſcopo inſpecto exclamauit. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus: Deus meus & omnia: Deſiderium meum, deſiderium collium æternorum. Venit Carolus à ſancto Laurentio Ordinis Fulienſis religioſus, & ait: Domine, bono animo, fortè adhuc videbimus te iuuante Deo in throno Geneuẽſi: nunquam reſpondit Geneuenſium thronum deſidcraui, ſed eorum tantùm ſalutem. Horâ quintâ Veſpertinâ Medici extremis vtendum eſſe remediis ſtatuerunt, quamobrem cùm iam mixturam coronalem Cantharidum emplaſtro obduxiſſent, bis ferrum candens ceruici immiſerunt, vnde ipſe multas emiſit lachrymas patientiſſimè omnia ferens, nec quidquam aliud protulit quàm ſacratiſſima Ieſu & Mariæ verba, eleuatis tantiſper armis. Et his quidem remediis mors ſanè indubia erat. Sed plus factum eſt, vt tertiò candens ferrum cranio immitteretur, emplaſtri pittacium extractum, vnde totum caput à ceruice ad frontem vſque pelle ſpoliatum eſt, & ſic immiſſum fumigante cranio ferrum vt reuera ſanctus Antiſtes Martyrum ſuſtuliſſe dolores dici poſſit. Acceſſit poſthæc ad eũ Soror quædam ex verſatilis tympani Monaſterij Viſitationis Cuſtodibus, quæ conſolationem aliquam afferre ra-

Extrema remedia.

ta

ta adesse fratrem eius Ioannem Franciscum Calcedonensem renuntiauit. At Sanctus respondit. Soror nunquam mentiendum est. Accessit & alius interrogans, Num Religiosas Visitationis Orphanas vellet relinquere? Respondit: Qui cœpit opus ipse perficiet, perficiet, perficiet. Non multò pòst Perneti manum arripuit & ait: Adueſperascit, & inclinata est iam dies. Ex Fullensibus vnus interrogauit, num in ea periodo à Cacodæmonis impetu formidaret? In Domino confido, respondit, & ipse euellet de laqueos pedes meos. Cúmque alius, è duodecim Apostolis repertum vnum qui defecerit à Satana tentatus exponeret. Respondit in eadem quibus pro Marianis Sororibus vsus fuerat verba, qui cœpit ipse perficiet, & multoties repetiit perficiet, perficiet, tum cùm his verbis addidisset, Iesus, non amplius loquutus est, sed ad singula verba quæ Philippus Malabaila Subalpinorum Fulliẽsium Prouincialis proferebat, oculos attollebat in cœlum. Tandem cùm ageret animam adstantibus omnibus genuflectere iussis Litanias ipse idem Malabaila quæ pro moribundis dici solent recitauit, & cùm ad eam Sanctorum inuocationem deuentum esset: Omnes sancti Innocentes orate pro eo, térque orans repetiisset, ad tertiam, sanctus Antistes, cum omni tranquillitate innocentissimum spiritum Deo reddidit, horâ octauâ serotinâ, vigesimâ octauâ Decembris die, anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, ætatis suæ quinquagesimo sexto, & Pontificatus vigesimo. Clausit oculos cum lachrymis Malabaila, & vltimum persoluit officium. Frigidum corpus Gulielmus Armandus lauit, protulítque hanc de eo sententiam. Virgo est magnus hic Præsul non secus ac vnius anni puer. Ego enim probè cognosco, tum super mensam cubiculi extendit & sindone munda inuoluit. Manè facto die vigesima nona, vniuersa Ciuitas in tuguriolum accurrit, & statim propalata ingens de tanti viri sanctitate, quam omnes habebant existimatio, nam Sanctus & Beatus generali populi voce proclamatus est, & mirum erat quanta contentione defuncti pedes omnes osculatum ibant. Medici sanè & Chirurgi vix ac ne vix quidem à turba liberi esse potuerunt vt corpus exenterarent. Apertum fuit ex decreto Ollerij summæ Iudiciorum Præfecti vt balsamo saltem ad mensem condiretur. Magnum & vastum cor sanum & integrum repertum est, iecur exustum, pulmones tanquam ense icti, ventri-

Franciscus Spiritum Deo reddit.

culus cerebri dexter coagulato sanguine plenus, sinister verò tantùm aqua, vnde dum decumberet brachium dextrum ferè paralyticum erat, sed quod stupendum, inauditum & nunquam visum miraculúmque fuit, fellis vesica prorsus absque humore, ita vt ne minima quidem gutta fellis esset, imò plusquam trecentis lapidibus pisorum ad instar varij coloris, rubei, cærulei, flaui, candidi, viridis, nigri, cinericij, rotundis, trigonis, quadratis, pentagonis, hexagonis, & octo etiam angulorum: quodque magis mirere, in modum rosarij dispositis, & velut inuicem cohęrentibus. Medici hoc viso miraculo stupuêre, nec aliud quidquam iudicarunt, quàm id ex violentia quam sibi sanctus Pręsul in reprimendis iræ motibus inferebat, factum fuisse, eamdémque cum Gulielmo Armando sententiam protulerunt, carnem nimirum illam omninò virginem esse. Effusi sanguinis ne minima quidem gutta periit, aderant enim cum linteis & strophiolis quamplures qui eum exciperent, imò & ipsos asseres tergerent & raderent: sunt qui viginti & triginta huiusmodi strophiola innocenti tincta sanguine detulerint, & tanquam pretiosissimas reliquias in hodiernam vsque diē vel asseruēt, vel in plures dissecta partes distribuerint, vnde multis ægris ex applicatione reddita salus. Cor Monasterio Visitationis datum est, quod argenteis thecis inclusum solemniter & cum multis facibus Ioannes Claudius Villanus Ecclesię Diui Pauli Canonicus & Paræcialis Diui Michaëlis Curio solemniter detulit, ac Marię Amatæ Blonnayæ Matri Superiori confidit, quódque postea Christianissimus Rex Ludouicus decimus tertius multo auro inclusit. Viscera item & partem iecoris Religiosæ eædem Visitationis habuerunt. Nicolaus Menardus Generalis Vicarius substitutus aliam partem, Philippus Malabaila Fullienſis Renem & multos lapides, qui etiam inter cœteros adstantes distributi sunt, & postea multos annulos illustrarunt. Rosarij partem Bartholomæus Flocardus habuit, reliqui globuli distributi, Dux Nemorosius argenteum numisma, in quo ex vna parte Diuæ Virginis erat effigies, & ex altera Diui Caroli. Baltazar Villarsius Regius Consiliarius & Dombensis Senatus Præses ocularias christallos obtinuit. Domina Auullixa vitas sericas è quibus crux pastoralis pendebat. Superior Monasterij Visitationis libellum precum diurnarum. Canonici Collegialis Ecclesiæ Diui Pauli quadratum pileolum. Stephanus Bru-

Stupenda res de eius felle.

Viscerum distributio & reliquiarum.

nus

nus Visitationis Cõfessarius Galerum & talarem tunicam. Crux & annulus ad Sereniſſimos Principes Victorem Amedeum & Chriſtinam Francicam miſſa ſunt ; porrò nec effuſi ſanguinis, nec veſtium, nec etiam linteorum quibus vſus fuerat pars vlla ſuperfuit, quæ non ſit diſtributa auidiſſimè, imò importunè petenti populo. Poſthæc Balſamo leuiter conditum corpus & reſutum Pontificiiſque ſacris veſtibus albis, quas Robertus Bertellotius Epiſcopus Damaſcenus mutuò, & quouſque aliæ Anicio veniſſent dedit exornatum eſt. Luce poſterâ, quæ menſis trigeſima erat, ſolemniter & detectâ facie in Ædem Viſitationis delatum, vbi ritè iuſta functo Pontifici funebria perſoluta ſunt, quibus exactis Petrus à ſancto Bernardo Monaſterij Diui Caroli Fullienſium Lugdunenſium Superior elegantiſſimam funebrem Orationem habuit. Manè altero Rollandus Pontificiis veſtibus corpus exuit & in ſandapilam repoſuit vt in Sabaudîam deferretur illicò curaturus. Iam Geſtatorium ipſe & Pernetus adhibitis mulis erigebant, cùm Iacobus Ollerius Summæ Iudiciorum Prefectus à Lugdunenſibus qui ſe tanto pignore ſpoliari ęgrè ferebant rogatus venit, & ne tolleretur huiuſmodi depoſitum dies, quouſque de functi vltima voluntate conſtaret, Regis authoritate & nomine prohibuit. Quare ſiſtendum fuit. Corpus autem in interiorem Religioſarum chorum fiduciario iure, & donec rediret Rollandus relatum eſt. Interea die vigeſimâ nonâ Franciſcus Lafinius à Rollando miſſus triſte nuntium infirmari ſanctum Præſulem Anicium detulerat. Quàm commota fuerit vniuerſa Ciuitas deſunt verba quibus dici poſſit. Protinus in omnibus Eccleſiis mœſtiſſimus Antiſtes Calcedonenſis Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum exponi iuſſit, in Eccleſia Cathedrali publicæ preces inſtitutæ ſunt, & ab omnibus Sacerdotibus pro infirmo (qui iam obierat) ſacrificia Deo Patri oblata. Ioannes Baptiſta Gardus Canonicus Collegialis Eccleſiæ Anicienſis celebrans vidit eius faciem rádiis circumcinctam, quamobrem ſacro facto obiiſſe ſacrum Præſulem dixit. Claudius, Nicolaus, Ludouicus Coëſius Tallorienſis Monaſterij Prior celebraturus in Diui Germani Eremiticam domum aſcenderat, dum ſtat ad altare præfatione cantata, & colendiſſimi ſui Præſulis ſanitatem Deo commendat: En ſubitò totum altare inſolitâ luce circumfulſit, & è loco imaginis ad altaris medium apparuit erectus tan-

Iuſta funebria Lugduni.

Siſtitur corpus.

Viſio de Franciſco.

Alia viſio

quam in loculo Solis Antiſtes Franciſcus Saleſius, hinc & inde, ſurſum & deorſum radios vibrans, ſupparum habebat niue candidius tenuiſſimis rugis artificioſiſſimè complicatum. A collo ad genua pendebat ſtola aurea & argentea innumeris lapillis, adamantibus carbunculis, Smaragdis & Orientalibus vnionibus prętexta, quam ille ambabus manibus ſtringebat, capilli aurei in modum coronæ molliter criſpati circumquaque fluitabant, necnon ludebant ad humeros; Vultu erat Sereniſſimo & colore roſeo, oculis in ſtellarum morem ſcintillantibus, quos modò in cœlum eleuabat, modò demittebat ad altare. Hoc ſpectaculo Religioſus Sacerdos, lætitiâ, admiratione, amore, & conſolatione adfectus fuit, fleuítque prę teneritudine, tum virium tantiſper paſſus eſt deliquium, adeo vt ſuper altare procubuerit ad cubitos ſtupentibus & mirantibus omnibus; collecto tandem vigore non iam amplius pro ſanitate orare, ſed hanc Eccleſiæ orationem effundere interioribus quibuſdam & ineluctabilibus motibus actus fuit. Sacerdos & Pontifex & virtutum opifex Paſtor bone in populo, ora pro nobis Dominum. Non mora viſio diſparuit. Abſolutâ Miſsâ fratri Petro qui ei miniſtrauerat & poſtmodum cùm deſcendiſſet Religioſis omnibus obiiſſe Præſulem dixit, & viſionem enarrauit, cùm tamen nondum mortis nuntium veniſ-

Alia viſio. ſet. Natalis Hugo Pergodus in Anicienſi Curia Cauſarum Patronus, eiuſdem diei horâ ſeptimâ matutinâ dum leui ſomno teneretur candidiſſimam & pulcherrimam columbam circum ſe volitare vidit, & vocem audiit dicentem; Non amplius mihi tangere terram licet, ſtatimque in altum columba euolauit. Tunc expergefactus. Obiit Reuerendiſſimus Dominus

Alia viſio. noſter, exclamauit, verumtamen Beatus eſt. Religioſa quædam inſignis ſanctimoniæ ipsâ obitus ſacri Præſulis horâ in Monaſterio Diuæ Claræ Ciuitatis Anicienſis orationi intenta thronum miro fulgore circumdatum, quem Gebennenſis Epiſcopi eſſe intellexit, ipſum verò Epiſcopum ſtatim vidit, ad Magni ſancti Pontificis Confeſſoris, non ita pridem in Sanctorum numerum relati dexteram, quo ſpectaculo non parum attonita ſic ſecum perpendebat. Et verò Sanctus ille Apoſtolicâ authoritate declaratus eſt, Epiſcopus noſter nondum, & tamen à dextris illius ambulat: Tunc ad eam accedens Saleſius ait. Filia, lauda & benedic in nobis Deum. Perrexit autem Sanctimonialis & interroga-

uit.

uit. Vnde hoc Domine, vt me tua visitatione digneris? Me inquã, miseram creaturam? fortè non eo donas fauore Reuerendissimum Episcopum fratrem tuum quem singulari & tenerrimo procul dubio amore prosequeris? Respondit Franciscus. Sat ille curæ est mihi. Obedias modò tu patri Confessario, & regulam tuam obserua, sufficiátque tibi meam esse filiam. Confessarius (is erat Claudius Sonnerius) his rebus intellectis ad Calcedonẽsem accessit Episcopum, petiitque vt se haberet eius frater, audiuit infirmari, verumtamen obiisse iam in animo habuit, & ecce ingruente nocte venit Nuntius, qui vixisse dixit. Grauis illicò Anicienses omnes stupor oppressit, adeò vt præ ingenti mœstitia altum fuerit initio ciuitate tota silentium: statuas dixisses, non viuos & spirantes homines, tandem erumpente ex præcordiis dolore non nisi luctus, planctus, suspiria, eiulatus, lamentationes audiebantur. Ergo obiit, inquiebant isti, Antistes & Pastor noster? ille qui nos suauissimo pascebat melle, qui viam mandatorum Dei ostendebat? Ergo lux nobis nostra erepta est? Ergo vidui sumus, inquiebant illi, ergo Orphani sine patre! O Lugdunum non idcircò eum ad te miseramus, vt mortuum redderes? Atrox in mortem à pauperibus, à viduis, ab infirmis, ab Ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, sed à Sororibus inprimis Visitationis quærimonia veniebat, & maiori cumulauit mœstitia dirè tortos animos Rollandus, qui formari à Lugdunensibus difficultates, ponique obices ne functi Præsulis corpus Ciuitate tolleretur, renuntiauit. Apertum est ineuntis anni vigesimi tertij suprà millesimum sexcentesimum die vndecimâ testamentum à Claudio Nicolao Arpiaudo Gebennesiani Ducatus Prętore primario, Aduocatis testibus, quod huius erat argumenti. Nos Franciscus Salesius Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus & Princeps Gebennensis, & Ioannes Franciscus Salesius Episcopus Calcedonensis, & in Gebennensi Episcopatu Adiutor, Vltimam voluntatem nostram omnibus ad quos spectabit manifestã reddere & testamentum condere cupientes. Primò Deum omnipotentem oramus, vti animas nostras in veniam accipiat, & cœlestis hæreditatis, quam suo nobis sanguine Redemptor noster acquisiuit, faciat esse participes. Secundò, glorioſissimam Virginem Mariam, & omnes Sanctos inuocamus, vt super nos Dei misericordiam dum viuemus & moriemur implorent. Tertiò, Si

Anicienſiũ ſtupor & extremus luctus.

Franciſci teſtamentũ apertum.

obitus nostri tempore ex diuinæ prouidentię placito sanctissima & vnicè vera Catholica Apostolica & Romana Religio in Ciuitate Gebennensi restituta fuerit, sepeliri corpora nostra volumus in Ecclesia nostra Cathedrali. Aliter in medio Nauis Ecclesiæ Visitationis huius vrbis, quam nos Gebennensis Episcopus cõsecrauimus, nisi extra Diœcesim moreremur, tũc enim seruis nostris, qui tunc nobiscũ erunt, arbitrium sepulturæ nostrę relinquimus. Quartò, Sacras Ecclesiæ ceremonias ex cordibus nostris adprobantes, volumus ad sepulturam nostram tredecim accensos cereos portari, & circum sandapilam disponi, absque aliis symbolicis tesseris quàm nominis Iesu, vt testimonium perhibeamus nos ex totis cordibus fidem ab Apostolis prædicatam amplecti: sed prætereà vanitates & excessus ab humano spiritu in sacris ceremoniis introductos detestantes, disertè prohibemus quæcunque alia luminaria in exequiis nostris, rogantes consanguineos & amicos nostros, & hæredibus nostris prohibentes & statuentes ne quidquam addant, sed vt suam in nos pietatem ostendant per preces, eleemosynas, & inprimis per sanctissimarum Missarum celebrationes iterum rogantes. Quintò, Legamus fratri Iano Salesio Sacræ Melitensis Religionis Equiti Germano nostro ducentorum florenorum pensionis annuæ & perpetuæ summam dum viuet: Nobili fœminæ Gasparæ Salesię Sorori nostræ Viri Nobilis Melchioris Cornillionij, Meyrentini Domini coniugi, quinquaginta scutorum summam, semel, vel duos ex nostris annulis ad hæredis nostri vel substitutorum electionem. Nobilibus Sebastiano, Amedeo, Ludouico, Ioanni Antonio & Bernardo defuncti Nobilis Galesij Salesij Boësiaci & Villarogeti Dynastæ filiis, Nepotibus nostris duorum millium aureorum nummorum summam, vnà cum vniuersis rebus quas super bonis quæ possident prætendere possumus. Qua ratione idem Legatarij nihil quidquid sit petere poterunt; specialiter verò Domini Boësiaci, neque super hæreditatibus nostris, neque super bonis Tulliæ, Salesij, Torenti, & eorum dependentiis sub quouis cuiusuis diffinitiuæ diuisionis prætextu, allegatione minoris portionis, persolutione cuiusuis summæ ob quam obligati eis simus, vel aliter quouis modo; statuentes, vti nobis omnia apud hæredem nostrum accepta referant, & vti diuisiones fiduciario iure factas inter fratres nostros de nostris & eorum bonis, prout ea

hacte

hactenus possederunt & possident, diffinitiuè & perpetuò teneant,& vti nunquam ad rationis redditionem veniãt, nec quidquam inuicem ratione substitutionum inter eos & nos à Patre & Matre nostris factarum petant.Et quæ legata post vltimi morientis nostrum obitum, anno,persolui volumus, & ducentos florenos fratris nostri Equitis quotannis ad diem qua vltimus nostrũ morietur;nisi quod,pro duorum millium nummorum aureorum Nepotibus nostris legatorum persolutione licitum erit fratri nostro Baroni Torentino & hæredi per cessionem & traductionem similis summæ sibi debitæ, & post obitum Baronis Cusiacensis soceri sui persoluendæ eam facere. Quam cessionem iidem Legatarij in solutionem tenebuntur acceptare, quandocunque eam summam idem Baro Torentinus legitimè debitam & exigibilem ásseret, aliter semper eodem legato onerabitur. Sextò, Creamus & instituimus hæredem vniuersalem alterius vnum,& superstes nostrum hæredem instituit vniuersalem Illustrẽ Dominum Ludouicum Dynastam & Baronem Salesium, Torentinum & Tullianum in Gebennesiano Consilio Equitem fratrem nostrum,& post illum vel eo deficiente filiorum eius maximum natu,volentes & intelligentes bona nostra conseruari & integrè peruenire (absque detractione Senatusconsulti Trebellianici quam prohibemus) ad filios masculos,qui ab ipso nostro hærede ex legitimo matrimonio vsque ad infinitum prouenient, ita vt præferatur semper ille pro toto qui prærogatiuam natalium habuerit,sperantes eumdem fratrem nostrum rem similem acturũ in iis quæ ad ipsum spectant, ad familiæ nostræ conseruationem. Et sic substituimus vulgò & per fideicommissum perpetuum, in fauorem masculi primi natu descendentis ab eodem fratre nostro hærede. Quod si aliquando accideret masculinam eiusdem fratris nostri lineam deficere, substituimus maximum natu filiorum masculorum prædictorum vsque ad infinitum descendentium ex fratre nostro defuncto Dynasta Boësiaco, nisi quod supellex quæcunque tandem sit ad liberam superstitis nostrûm dispositionem remanebit. Volumus hoc vltimum nostrum esse testamentũ,quamobrem quæcunque alia condidisse potuimus rescindimus.Quod si in futurum non vt testamentum valebit, valeat saltem vt codicillus, & omnibus melioribus modis. Et si ex rerum euentu fieret vt vnus nostrûm voluntatem mutaret, & aliud

aliud deinceps conderet testamentum, hoc tamen validum stabit quod spectat ad alterius qui non mutabit, dispositionem. Rogauimus autem testes qui super plicaturam huius chartæ signarunt, vti eius contentum, nostram esse vltimam voluntatem testimonium ferant. Actum Anicij die sexta Nouembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Signatum. Franciscus Episcopus Gebennensis, & Ioannes Franciscus Episcopus Calcedonensis. Aperto itáque testamento quo facilius corpus obtineri posset, scripserunt ad Sereniſſimum Subalpinorum Principem, Anicienses, & Consiliarij vtriusque Curiæ Gebennesij, vti apud Regem intercedere dignaretur, & Princeps quidem statim Philibertum Gerardū Scaliam Comitem Verrucanum Oratorem suum in eā rē potenter incumbere iussit, scriptis ad Christianiſſimum Regem litteris, quibus restitui Ecclesiæ suæ & Patriæ tanti Præsulis corpus enixè petebat. Qui sanè Princeps audito Salesij obitu, fleuit & exclamauit. Obiit Vir totius Europæ Maximus: vt & Carolus Emanuël Dux Sabaudiæ sanguineis fleuerat lachrymis adeò functum colebat, vti etiam deinceps testatus est: nunquam enim ante functi Præsulis trāsibat imaginem, quin eam detecto salutaret capite, & aliquod proferret encomium. Rebus sic instructis, periculum in mora erat. Quare fratrem Ianum Salesium Equitem Melitensem Præsul Ioannes Franciscus & Ianum Regardium Priorem Louagniacensem, Georgiúmque Rollandum Canonici Cathedrales, qui testamentum deferrent ad Ollerium, & Lugdunenses, nuntios allegārunt, & Lugdunenses quidem viso testamento, acceptíque Regiis litteris non sine mœrore corpus sancti Pontificis dimiserunt. Quod non mora Legati assumentes, ne fortè fieret tumultus, si daretur populo seditionis tempus, perrexerunt. Ante Visitationis ędem funebres ritus ab Ecclesiæ Diui Michaëlis Curione exacti sunt, qui processionaliter Canonicis Diui Nicetij illud remisit. Accidit hac occasione res quæ populum admodum excitauit: ex Canonicis vnus has reliquias à vilibus baiulis portari videns in zelum erectus: Quid hoc est? exclamauit. An sinemus tam sancti Præsulis corpus ab huius conditionis hominibus deferri? Animo fratres portemus nos, & tanto pondere humeros nostros honoremus. Extractam mox pecuniam è perula ad baiulos proiecit, & fere ero se suppositit: imitati & sequuti sunt eum alij Sacerdotes, qui sic

Sabaudiæ Ducis luctus de Francisci obitu.

Francisci corpus vt Lugduno exportatū.

sic Sanctum corpus vsque ad Terraliorum plateam detulerunt, ibi rhedæ impositum, quam sex equi trahebant, iterúmque ante Patrum Recollectorum qui Suburbium Crucis rufæ adhuc incolebant ædiculam repositum, vbi Nicolaus Menardus elegantissimam orationem ad ingentem populum medio in vico habuit, sicque tandem Lugdunenses diues illud depositum perdiderunt decimoquinto Calendas Februarij. Gestatorio posteà duobus tantum equis delatum est. Buissiæ in sacra æde obseruantibus vigilias tota nocte Religiosis requieuit, ortâ luce dum per Vallis-bonæ pagum fit transitus, venerunt Canonici Meximienses qui circum corpus funebre persoluerunt officium. Venerunt & cum eis multáque ex vicinis pagis turba, Illustres Matronę, Claudia Camerana Meximieuij Marchio, & Claudia Philippia Villelumæa Talmæi Domina, quæ rheda emissæ sanctas reliquias cum lachrymis veneratæ, & vsque ad Chasellium Portum sequutæ sunt, nec prius è ripa excesserunt in vasta planitie quàm eas visu amiserint: SanDionysij in templo Parœcianis iugiter preces fundentibus nox altera transacta. Inde cum Sanrambertum versus, via continuaretur, ecce aduenit celeribus equis sex iam milliaribus idcircò confectis Honoratus Vrfæus Vallis Romeæ Marchio, Magni Virieuij Baro & Sabaudiæ Torquatus Eques, qui funebrem processionem assequutus, genibus medio in luto positis functi Præsulis feretrum amarissimis rigauit lachrymis, beatámque eius animam precibus sollicitauit. Totum iter hinc & inde innumeri vtriusque sexus homines venerabundi marginabant, tangeréque aut gestatorium aut capuli pānum, rosariis suis, linteis, & libellis erant solliciti, exibántque è vicinis omnibus Ecclesiis Curiones sacris ornati vestibus, & prę-cedente vt fit cruce, qui cum officiis eximiam pietatem, & magnam prætereà de Pontificis sanctitate existimationem testatam faciebant. Vbique autem ab his & illis fletus & lamentationes audiebantur, nec quisquam erat quī Sanctum Præsulem nō pronunciaret, si vnum demas, qui statim suæ temeritatis meritas pœnas dedit. Is fuit Ioannes Fabryus Vir Nobilis, qui dum in consuetudine Beroldi Pingonij Cusiacensium Baronis (qui ad inuisendum Ludouicum Pingonium Primicellæ Dominum, nepotem ex fratre suum Culæum venerat) audit exhibitam Gebennensis Præsulis corpori à populis, præsertim autem omultis

Satrapis, & continuò Culæi à Barone Rupifortio, & Scriuieuio venerationem. Miror, inquit, ceremonias huiusmodi, nec probo hos cultus quales omninò Sanctis exhibentur ab illis Dynastis fuisse redditos. Hæc dicentem stupida cœcitas incessit, elinguísque tanto tempore quanto Oratio Dominica, salutatio Angelica, symbolum Apostolorum, & peccatorum Generalis Confessio recitari possent, attonitis omnibus qui aderant hæsit; tum visu & loquela recuperatis, Agnosco, ait, me peccasse dum exhibitum Magno Gebennensi Antistiti cultum improbaui; Castigauit me Deus, verè multorum illum esse meritorum, & multæ sanctitatis virum oportet. Sed iam terra Diœcesis premebatur, & Sessellienses pullati ad duo circiter milliaria venerunt obuiàm corpori, quod solemni pompa cum centum & viginti facibus, in suam Parœcialem Beatæ Mariæ Virginis ædem inuexerunt, lucéque postera Anicium vsque comitati sunt. Iam verò Anicienses bini & bini primò Magistratus, dein Nobiles & Ciues longo ordine & vultu & habitu & equis, extremam mœstitiam præferentes Ciuitate egressi ad Gyuriacum illud assumpserunt. Martinus mutus, quod lachrymabile visu fuit, postquam mortuo simillimus horrendo mugitu Dominum suum planxit, subter capulũ incuruo ventre vnde diris singultibus ructabat se proiecit, sicque in vrbem processum est. Dies erat Dominica, & horâ post meridiem tertia cùm ad pontem Arnonium pompa appa ruit cymbalis per omnes sacras ædes vehementer concrepitantibus, & sacras reliquias Ioannes Frãciscus Episcopus suis Canonicis, necnon & cæteris siue sæcularium, siue regularium stipatus Ecclesiis inter turbam innumeram cum lachrymis excepit, ac in ædem sancti Sepulchri Canonicorum Regularium Ordinis Diui Augustini, super tumulum Beati Andreæ Antiocheni reposuit, donec omnia in Ecclesia Cathedrali, quæ ad magnificentiam excogitata fuerant, instruerentur. Aderant tunc præsidiarij milites Lotharingi Marchionis Sanrerani, qui statim ac extractum corpus fuit, præ religione in gestatorium irruerũt, quòd in mille partes disruperunt, funes quoque quibus adstringebatur tanquam reliquias sciderunt, & abstraxerunt, totóque triduo quo in Sepulchrali Ecclesia quieuit depositum, accurrerunt venerabundi tot vndique populi, vt nunquam simile Anicij visum fuerit, nec est paucis ægris reddita salus. Nono Calendas Februa-

Res mira.

Pompa funebris ab Anicienſibus inſtructa.

ri

rij Martis die, Diui Franciſci Baſilica, quæ Cathedralis Diui Petri Gebennenſis Ciuitatis loco eſt, amplis hinc & inde nigris ornata tapetibus fuit, ſi chorum excipias, in quo nihil non album præter Sacerdotales veſtes erat. Tota templi facies ab heſterna iam die, Epitaphiis, Næniis, Elegiis, Emblematibus, Symbolis, picturis & tabulis affabrè tecta fuit. Ad Decumanam portam viſebatur Salmonia Anicienſis trutta ſacrum Præſulem Lugdunenſi Leoni eripiens. Intrantis oculos feriebat accenſa lampas, ſuper caput mortuum, criſpato licèt ſerico atro circumcincta in ſublimi poſita pulpito. Maiorem chori portam picta tabella exornabat, in qua viſebatur libello aureo Agnus candidus inſidens cum hac Epigraphe: Mitis, humilis, vtilis. Lectus funebris in medio chori ſuper aream tres pedes altam, ſeptem latam & decem profundam erectus, aſcendebatur per quinque gradus lachrymis opertos ex parte maioris portæ: cætera tria latera clathratis repagulis cingebantur. Ad quatuor Ichnographiæ angulos quatuor ſtylobatæ lignei toreumatis, quorum coronides & baſes circum cancellos regnabant, ſuper duorum laterum repagula collocanda erant tredecim candelabra argẽtea ſuis cum albis cereis ſymbolicis nominis Ieſu teſſeris in coccineo corde aureis caracteribus expreſſi, exornatis. In ſtylobatarum ſtereobatis hæ ſententiæ legebantur. Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Ad maius altare pendebat functi effigies ad viuum expreſſa, quæ tantillum conſolationis ſpectatoribus exhibuit. Rebus igitur ſic inſtructis horâ octauâ matutinâ, ab Antiſtice Ioanne Franciſco ſolemnibus induto Pontificiis veſtibus corpus aſſumptum eſt, procedente primùm vniuerſo clero, tum Cathedralibus Canonicis ritu in Epiſcoporum exequiis ſeruari ſolito, ex Ordine Clericorum Regularium ſancti Pauli ſex Sacerdotes ſacrum onus baiulabant, Canonici quatuor trabeis & mitris inſignes ampliſſimi ſerici panni albi quo feretrum tegebatur, quatuor angulos tenebant. Quatuor item Vrbis Conſules ex ſerico albo caracteribus nominum Ieſu & Mariæ prætexto, vmbellam ſublime erectam ſuſtentabant, & mœſtiſſimus anteibat celebraturus Pontifex, ſequebantur verò Fratres, Conſanguinei & affines, tum Magiſtratus & vniuerſa demum Ciuitas, iis exceptis qui ex feneſtris ſubiectos vicos lachrymis ſuis rigabant. In

Eccleſia Cathedralis vt inſtructa.

templum vt ventum eſt,& in lectum ſuum ſandapila collocata, non mora Ludouicus Saleſius Eccleſiæ Præpoſitus ſuper clathros,qui maius altare reſpiciebant ad functi pedes afferri iuſſit duo vaſa argentea fictitiis liliis,ſed naturam fere æquantibus plena,quod conſeruatæ Virginitatis indicium eſſet, ad caput ſuper duos ex aureo panno puluinos,hinc mitra, illinc paſtorale pedũ, inclinata ſunt,& hęc omnia è ſublimi camera penſile cœlum tegebat,tantáque erat choro toto Maieſtas, vt non ægrè Sanctum ibi corpus requieſcere crederetur. Sacrum officium multum temporis inſumpſit,erátque meridies cum Philibertus Bonopolitanus Capucinorum in Sabaudia Prouincialis Superior in pulpitum erectus longam & elegantiſſimam Orationem funebrem habuit.Porrò hrâ quintâ ſerotinâ in Ædis ſacrario longa fuit inter Reuerendiſſimum Epiſcopum & Cathedrales Canonicos, qui ſe tanto pignore ſpoliari pati nolebant, ſuper tranſlatione corporis diſceptatio,quæ non prius finem habuit quàm authoritas ſit eis data publica corpus tantum per modum depoſiti apud Moniales Viſitationis ſeruatum iri, nec poſſe ſuis iuribus præiudicio eſſe, quod deinceps in earum ædem funeralia celebratum irent : ſed poſſe quotieſcunque ex Diuina miſericordia Ciuitas Gebennenſis ad Catholicam redibit fidem illud aſſumere, & in Cathedralem ſancti Petri Eccleſiam trãsferre.Atque ita in Ædiculam Viſitationis tranſlatum eſt,vbi per aliquot mẽſes ſub ſerici panni albi lecto quieuit. Sepeliri voluerat Bonus Præſul in medio Nauis,verùm quia ad effoſſionem multa ſubeſſe aqua reperta eſt,erectum fuit Sepulchrum ad murum dextrum chori ſuper baſim duos circiter pedes altam clathris ferreis munitam & ſuppoſitam , ſuper quos duæ poſitæ ſunt ſandapilæ , vna lignea, altera plumbea,& hæc ab illa continebatur, ſanctúmque corpus Pontificiis ornatum veſtibus albis,& amplo bombycino inuolutum continebat,à clatris autem ſepulchrum duos pedes cum dimidio altum & ſuis anaglyphis illuſtratum duas columnas Ionici ordinis cum paraſtatis ſuſtinet; columnis, nec epiſtyllium , nec coronis , nec denticulatus zophorus deſunt , & inter paraſtatas adhuc vacua eſt Epitaphio tabula,cuius loco viſitur ſancti Præſulis ſuis Monialibus Conſtitutiones dantis ad longum & viuum expreſſa effigies. Epitaphia verò permulta hinc inde per totam ædem diſpoſita ſunt,Hebraïca, Græca, Latina, Gallica, & ſiue proſa

Oratio funebris.

Sepulchrũ.

Epitaphia

prosa siue versibus elegantissima, quorum tamen quatuor magis solemnia sunt. Et primum quidem huius argumenti.

ÆTERNITATI. Hîc obdormit Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus FRANCISCVS DE SALES EPISCOPVS ET PRINCEPS GEBENNENSIS, natalibus, verbis, operibus, scriptis, toti orbi clarus, & charus; integer corpore & moribus, integrè integras virtutes, eásque semper easdem habuit semper idem. Omnium amans & amor ipse, principum deliciæ, populi parens, Episcoporum decus ac lumen, & verè Christi Apostolus vita vt munere, ex virtutibus & in virtutibus planè compositus. Si plura vis scire, non hæc, sed sua scripta consule & acta, imò & totum orbem nunc totum orbum; sicut in vita se tegere atque sic protegere, ita vt post mortem se etiam tegeret, in hac ædicula tegi voluit. Obdormiuit in Domino Lugduni die vigesima octaua mensis Decembris, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Benè merenti mœrens posuit Renatus Faber Senator Sabaudus & Gebennesianus Præses.

Secundum panxit Petrus Franciscus Iayus Canonicus Theologalis Ecclesiæ Cathedralis in hæc verba. SACRVM IMMOVETO. Quisquis ad hunc tumulum prostas, sta, attẽde, venerare, mirare, profice. Sta ad nobile monumentum palmis, oleis, lauris, inumbratum. Attẽde ad Antistitis nostri, omniũ sensibus, vocibus, lachrymis verè magni FRANCISCI SALESII depositum diues, quem immatura morte raptum, alienis ereptum, suis redditum, cælo reddendum hîc mœrentes filij colunt. Venerare in hoc deposito præclarum Ecclesiæ lumen, fidei columen, Præsulum paradigma, Patrum supparem, Doctorum arbitrum, deuotionis Magistrum, Præconem Apostolicum, Scriptorem Philotheum Theotimum, Nouatorum Nouatorem, nutantium firmatorem, virtutum speculum, Principum delicias, populi amores; Mirare tot ornamentis hominem de cœlo lapsum, Angelum apotropæum, Domesticum Deum omnium luctu omnium solatio subductum. Profice si cœlum cogitas, cogitata tanto lumine prælustrem. Interim partheniis eius ossibus & cœlestes spirantibus odores sparge lilia & rosas.

Tertium sic legitur. Reuerendissimo ac Illustrissimo in Christo Patri Domino FRANCISCO SALESIO EPISCOPO ET PRINCIPI GEBENNENSI, nouo cœliti, qui suo in Principatu mitissimus Moyses, in Pontificatu eloquentissimus Aaron, in vita ardentis-

ſimus Elias, in morte Pientiſſimus Iacob, à morte Thaumaturgus Elizæus fuit. Marcus Franciſcus Malarmæus de Lauray Abbas Golliæ eius in Chriſto filius poſuit, dedicauit.

Trophæum à Tononienſibus Franciſco erectum.

Vt Quartum habeatur, quod ſancto Præſuli trophæum Tononienſes in hanc ſententiam publicum poſuere. Ad perpetuam ſanctitatis & indelebilẽ cœleſtis amoris memoriam: Beati Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis authoritatis perbreuem poſitionem habeto. Fœliciſſimis, perpetuíſque conſignandę monumentis expeditiones illæ, quas fauſtis nominibus & ominibus Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis octaui Pontificis Maximi, Religioſiſſimíque Principis Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Sereniſſimi omnium fidelium, inprimis verò Eccleſiaſtici Ordinis pietas ſuſcepit, & in Domino confecit aduerſus Caluinianam hæreſim, quæ graſſabatur, imò in iſtis regionibus fidei orthodoxæ memoriam vti penitus deleuerat, poſtulant vt nos, in quos tam pia opera collata fuerunt, æternam tanti beneficij recolamus memoriam, & ei per quem illud nobis diuinitùs tributum eſt referamus acceptum. Quoniam verò citra controuerſiam eſt, tam inſignis & cœleſtis operis maximam partem, imò (vt dicamus) penè totam ſedulitati, vigilantiæ & doctrinæ deberi Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Epiſcopi BEATI FRANCISCI SALESII, vtpote qui pro viribus, pietate, ſanctiſſimo amore eliminatum Catholicæ fidei priſtinæ ſuæ obſeruantiæ cultum reſtituere, & religionem penitus collapſam reparare, reparatam firmiſſimis ſtabilire fundamentis ſtuduit, & effecit: ideò tam proſperos exitus ipſius potiſſimùm laboribus & ſudoribus exiſtimamus eſſe referendos. Teſtes enim ſumus nos & totus iſte tractus, qui lacui Lemano adiacens, hinc Geneuam vſque longè latéque porrigitur, cæteriſque omnes Contermini Gebennenſis Ciuitatis, ad quos Caluiniana lues deriuata fuerat, eius operâ vniuerſam hanc oram ab hæreticis inſtitutis reuocatam, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ fuiſſe reſtitutam, imò & confirmatam. Enimuerò ille fuit Reuerendus admodum DOMINVS FRANCISCVS SALESIVS, tunc Gebennenſis Eccleſiæ Præpoſitus, eiuſdémque poſtmodum Epiſcopus, qui omnium primus ſe capútque ſuum deuouit ſaluti animarum, quas hæretica peſtis infecerat. Imò is tantum aſſequutus eſt frequentibus ad populum Concionibus, priuatis colloquiis, diſputationibus cum Caluiniſtici dogmatis Miniſtris, morum præcipuè ſuauitate, omnibus denique Chriſtianæ pietatis

tis exemplis, vt nos hæreticæ prauitati ereptos conciliarit Deo & sanctæ Ecclesiæ, vnde præclarum fidei vindicem, & huius Prouinciæ Apostolum eum meritò profitemur. O vrbs Tonon! tantum hæroëm à tuis partibus semper stetisse, imò partes tuas indelebili & paterno amore assumpsisse, quotquot sumus profitemur,& quotquot erunt profitebuntur. Hoc illi Patri nostro de superis misso debemus,& in æuum omne debebimus. Accurrite,& adeste Teneriani,Galliardenses,& Gexenses incolæ,vt vestrum nostro symbolum iungatis. Num etiam ille fuit vestræ salutis radius?Cum apud vos pariter firmissima stabilierit Ecclesiæ fundamenta, adeóque prouexerit & auxerit, vt totas vestras regiones propediem videretur daturus, ab omni hæretica labe expurgatas? Nos qui locupletissimi testes sumus & spectatores, in horum omnium memoriam minimum quamuis hoc monumentum ponendum duximus.Tononij in aula Comitiorum.

Deo Opt. Max. Beato Francisco de Sales Episcopo ac Principi Gebennensi pro Generis & sanctitatis nomine verè Illustrissimo, pro gloriæ & meritorum amplitudine Reuerendissimo. Orthodoxæ fidei propugnatori potentissimo, hæresum expugnatori acerrimo, collapsæ pietatis restauratoris solertissimo. Quem sanctimonialium institutio, & regularis restitutio disciplinæ Patriarcham, Euangelica prædicatio,& hæreticorum ad fidem reuocatio Apostolum, Grauissimi labores & frequentia ab hæreticis pericula propè Martyrem: Pastoralis dignitas & instans Ecclesiarum sollicitudo verè Pontificem; Doctrinæ & scriptorum sublimitas, synceritas, pietas, Doctorem; Morum integritas, sanctus pudor, & singularis Castimonia Virginem fecerunt. Vrbs Tononiũ illius doctrina & operibus Caluinisticis erroribus erepta, & Ecclesiæ restituta, Apostolo suo,liberatori suo,reparatori suo Trophæum posuit.Dici satis non potest quàm vbique deploratus fuerit tanti viri obitus. Superesse iam neminem,dixere Doctores Sorbonici, apud quem recursus ad enodandas Theologicas difficultates haberi possit, eo defuncto & Iacobo Dauidio Cardinale Perronio. Geneuæ etiã plaxit eum Minister Turretinus,qui virum fuisse omnibus numeris absolutum,nisi tantoperè Romanam religionem coluisset,pronuntiauit.Seduni quo die obiisse relatum est, vacauit ab omni opere populus Episcopi iussu, & inter lachrymas iusta ei funebria in Cathedrali Ecclesia persoluta sunt. Haberi apud Iesuitas oratio-

Francisci fama post-huma.

nem

nem funebrem Camberio transiens Christiana Francica Subalpinorum Princeps voluit. Celebratæ sunt & Diuioni à Canonicis Sancti Sacelli exequiæ, & orauit Illustrissimus Lingonensis Episcopus, vt Lutetiæ Ioannes Petrus Camusius Bellicensis. Tot porrò orationes funebres habitæ sunt in omnibus ferè vrbibus, quas aliquando pertransierat, Latinæ, Celticæ, Italicæ, vt earum adhuc numerus in incerto sit. Erat Franciscus Salesius titulis omnibus Magnus, sibi soli minimus & humilis, Vir recto & robusto corpore, staturâ procerâ, latis humeris, colore viuido, magno & pleno capite, eóque caluo, crinibus coloris triticei, fronte largâ & planâ, superciliis erectis & bene sinuatis, oculis cœruleis, naso irreprehensibili, genis moderato rubore venu statis, rotundo ore, protensâ modice barbâ, voce graui, loquelâ tardâ, manibus plenis & firmis, gressu lento, gestibus & habitu semper comptissimis. Quod autem hominis interioris est: profundæ cogitationis, maturi iudicij, tranquillissimi ingenij, quod nullus mortalium perturbare vnquam potuit, sicque dispositi vt quod hodie faciendum haberet in crastinam diem non differret; & quod cras, rarò (nisi ex prudentia) hodie ageret, negotiositatis inimicus, omnium patiens, qui nihil, vel minimum spernebat, erga pueros Christi imitatione blandus: ac denique numeris omnibus absolutus: ita vt verè fuerit columba illa Patris æterni sine macula, tota pulchra & formosa, & verè sal terræ, & lux mũdi, & lucerna super candelabrum posita vt luceat omnibus qui in domo sunt, Ideò miraculis eum in vita, & in morte, & post mortem Deus illustrauit, qui verè mirabilis est in Sanctis suis. Etenim eius nunc inuocatione & intercessionibus cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, paralytici & claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizãtur, & in omnem terram exit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quia mirificauit Dominus sanctum suum, & dedit illi claritatem æternam. Habes verò iam satis quo eius animum & animam cognoscas: non enim potest arbor mala bonos fructus facere, nec bona malos; ideò à fructibus eius eum cognosces. Magnus vocatur in regno cœlorum, quia fecit & docuit, fecit autem & docuit omnia quæcunque fecit & docuit Dominus noster Iesus Christus, cui cum æterno Patre & Spiritu sancto, vni ac trino Deo, sit à Seruo suo & ab omni creatura, laus, honor, virtus, benedictio & gratiarum actio, in sæcula sæculorum. AMEN.

Descriptio exterior & interior.

O REX SANCTORVM, ET LVX
VERA QVÆ ILLVMINAS OMNEM
Hominem venientem in hunc
Mundum.

DOMINE IESV CHRISTE, PATER
FVTVRI SÆCVLI.

VIA, VERITAS ET VITA.

Liceat hoc mihi, miserrimo quamuis peccatori, hanc Serui tui Historiam (scio tamen infinitam disparitatem, eamque amo, & adoro) iisdem verbis concludere, quibus charissimus tuus Discipulus Ioannes Theandricam tuam concludit.

Hic est Filius quem diligebat Franciscus, Qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc,

ET SCIT DEVS: QVIA VERVM EST
TESTIMONIVM EIVS.

Multa alia fecit Franciscus, quæ non sunt scripta in libro hoc, & quæ si scriberentur, neque ipsum arbitror mundum capere posse.

CAROLVS AVGVSTVS SALESIVS
Tullianus, Præpositus Ecclesiæ Gebennensis.

INDEX AVTHORITATVM ET TABVLARVM LVCVLENTARVM EX QVIBVS HÆC HISTORIA vindicatur & asseritur.

ABIVRATIO Hæresis viri Nobilis Gabrielis Sammichaëlij in manibus Franciſci Saleſij Præpoſiti Eccleſiæ Gebennenſis facta die quarta Octobris anno milleſimo quinqueteſimo nonageſimo ſexto. Habemus Archetypum in charta.

Abiuratio Caluinianæ Hæresis à Claudio Boucardo Virdunenſi Doctore Theologo in manibus Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis facta Gratianopoli anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo. Habemus Archetypum eius manu propria ſcriptum in charta.

Actorum quædam proluſiones ante conteſtatam litem pro Eccleſiis Catholicis Gexenſibus annorum milleſimi ſexcenteſimi ſexti, & ſexcenteſimi ſeptimi. Habemus Apographa in charta.

Æſtimatio Reparationum neceſſariarum pro Eccleſiis Ducatus Caballiani à Claudio Angeuillano Primicerio Eccleſiæ Collegialis Rupenſis facta. Habemus apographum in charta.

Amedei Comoti Sacerdotis ex Congregatione Clericorum Regularium ſancti Pauli decollati, Oratio Funebris in obitum Franciſci Saleſij Epiſcopi & Principis Gebennenſis habita Anicij Allobrogum in aula Collegij Chapuiſiani anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio edita in lucem Lugduni 1624.

Quiuis eam habere poteſt.

Andreæ du Vallij Doctoris Pariſienſis de vita Mariæ ab incarnatione liber editus Lutetiæ. Quiuis habere poteſt.

Antonij Sammichaëlij Dynaſtæ Auulliaci Epiſtola ſuper collatione inter P. Cherubinum Maurianenſem Capucinum & Hermannum Lignaridum Theologum Geneuenſem Hæreticum, ad Charanſonium ex Magiſtris Supremæ Curiæ Rationum Sabaudiæ Auditoribus, Libello edito Lutetiæ Pariſiorum, apud Dionyſium Binetum anno 1598. Quiuis habere poteſt.

Antonij Sammichaëlij Sabaudi Dynaſtæ Auulliaci. Arma offenſiua & defenſiua contra Hæreticos Caluinianos liber editus Tononij per Marcum à Vico 1602. Quiuis habere poteſt.

Articuli à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci oblati pro Capitulo Eccleſiæ Cathedralis ſancti Petri Gebennenſis, Taurini, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto. Habemus archetypum in charta.

Articuli à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis Anemaſſiæ prope Geneuam facti & capti pro incremento fidei Catholicæ in Caballio die vigeſima nona Iulij anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo. Habemus Archetypum in charta.

Articuli Sereniſſimo Duci oblati pro conſtitutione fidei Catholicæ in Caballio à Franciſco Saleſio oblati cum reſponſionibus Ducis. Tononij die quintâ Octobris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo. Signati Carolus Emanuel, ſigillati in cerâ rubea, ſuſcripti. Bourſier. Habemus Archetypum in charta.

Articuli à Franciſco Saleſio Duci oblati pro ampliatione fidei Catholicæ in Caballio cum Reſponſionibus ad marginem. Tononij die duodecima Nouembris, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo. Signati Carolus Emanuel. Viſi. I. Berliet pro Domino Cancellario, ſigillati ſigillo paruo in cerâ rubeâ, ſubſcripti Bourſier. Habemus Archetypum in charta.

Articuli nouem pro reductione & conuerſione Ciuitatum & Prouinciarum Hæreticarum abſque armis, aut diſputatione vel minima, à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi excogitati & eius manu propria ſcripti anno milleſimo ſexcenteſimo decimo

ſexto.

sexto. Habemus Archetypum in charta.

Articuli Sereniſſimo Principi Subalpinorum Victori Amedeo à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi oblati, pro Reformatione Monaſteriorum & Religioſorum vtriuſque ſexus Sabaudiæ, Anicij, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto. Habemus Archetypum eius manu propria ſcriptum in charta.

Authoritas appellationis Hæreticorum Gexenſium à decretis, quæ Baro Luxius tulit in fauorem Eccleſiæ Catholicæ anno milleſimo ſexcenteſimo quarto, denunciata Procuratori Regio & Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi Calendis Iunij ſignata, de Chondens Commiſſarius. Habemus Archetypum in charta.

Authoritas publica Capituli Cathedralis Eccleſiæ ſancti Petri Gebennenſis pro ſuo iure in corpus Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis data, antequam in Ædem Viſitationis deferretur tumulandum. Anicij die vigeſima quarta Ianuarij anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio. Signata, Ducreſt. Habemus archetypum in charta.

Breue Apoſtolicum Clementis Papæ Octaui ad Antonium à Sancto Michaële Dominum Auulliaci. Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima Septembris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto. Pontificatus anno quinto. Syluius Antonianus. Habemus apographum manu propria Franciſci Saleſij deſcriptum in charta.

Breue Apoſtolicum Clementis Papæ Octaui. Dilecto filio Franciſco de Sales Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Geneuenſis. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo piſcatoris die prima Octobris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto Pontificatus anno quinto. Signatum Syluius Antonianus. Habemus archetypum in membrana.

Breue Apoſtolicum, ad Franciſcum Saleſium Eccleſiæ Gebennenſis Præpoſitum à Clemente Papa Octauo. Datum Romę apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die vigeſima nona Maij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo Pontificatus anno ſexto. Signatum Syluius Antonianus. Habemus archetypum in membrana.

Breue Apoſtolicum Clementis Papæ Octaui Venerabili fratri Epiſcopo Gebennenſi pro reſtitutione Beneficiorum Eccle-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

siasticorum Caballij, Gexij, Terniaci, & Galliardij, Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta Martij, anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono. Pontificatus anno octauo. Signatum Vestrius Barbianus. Habemus apographum in charta.

Bulla reseruationis quartæ partis fructuum Episcopatus Gebennensis loco pensionis annuæ pro Francisco Salesio Electo Nicopolitano. Romæ apud sanctum Marcum. Idibus Iulij anno millesimo sexcentesimo secundo. Pontificatus Clementis Octaui vndecimo. Habemus archetypum in membrana.

Bulla Clementis Octaui pro erectione sanctæ domus Beatæ Mariæ Virginis Compassionis seu septem dolorum in oppido Tononij Ducatus Caballij. Libello edito Augustæ Taurinorum 1602. apud Aloysium Pizzamilium. Quiuis habere potest.

Catalogus aliquot hominum vtriusque sexus ad fidem Catholicam conuersorum per Franciscum Salesium Præpositum Ecclesiæ Gebennensis eius propria manu scriptus annorum millesimi quingentesimi nonagesimi quinti, nonagesimi sexti, & nonagesimi septimi. Habemus archetypum in charta.

Cessio Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebennensis de Præfectura sanctæ Domus Tononiensis eius manu propria scripta anno millesimo sexcentesimo tertio. Habemus archetypum in charta.

Claudij Guichardi Sabaudi Arandati Domini, Grata bonis omnibus Catholicis nuntia de Conuersione Ducatus Caballiani ad Romanam fidem. Liber editus Camberij apud Claudium Pomardum anno 1598. Quiuis habere potest.

Commentaria earum rerum quas Franciscus Salesius Præpositus Ecclesiæ Gebennensis Augustæ Taurinorum cum Serenissimo Duce agendas haberet pro Religione Catholica in Caballium introducenda eius manu propria scripta, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto. Habemus archetypum in charta.

Commentaria Francisci Salesij Præpositi Ecclesiæ Gebennensis rerum quas Taurini egit ad euertendam Geneuensem & Caluinianam hæresim, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto. Habemus Archetypum alterius tamen manu scriptum

ptum in charta.

Commentarij Actorum Capituli Cathedralis Ecclesiæ sancti Petri Gebennensis annorum millesimi sexcentesimi, sexcentesimi primi, secundi, tertij, quarti, & quinti. Habemus archetypa in charta.

Commentarij actorum Curiæ Episcopalis Gebennensis annorum millesimi sexcentesimi tertij, quarti, quinti, sexti, septimi, octaui, noni, decimi, vndecimi, duodecimi, decimi tertij, decimi quarti, decimi quinti, decimi sexti, & decimi septimi. Signati Decomba; quatuor volumina in folio religata in charta & membrana. Habemus archetypa, seu sunt in promptu in Curia.

Commentarij actorum Ciuitatis Anicien sis ab Antonio Vassallo Libellione publico & Secretario Vrbano annorum millesimi sexcentesimi quinti, sexti, septimi, octaui, noni, decimi, vndecimi, duodecimi, decimi tertij, decimi quarti, & decimi quinti. Vidimus archetypa in charta, & sunt in promptu in Archiuiis Ciuitatis.

Commentarius fratris Antonij Cheuallerij Ordinis fratrum Minorum Recollectorum de vita & moribus Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebennensis. Habemus Archetypum eius manu propria scriptum & signatum in charta.

Commissio Serenissimi Ducis Sabaudiæ Carolo Rupeculano Primo Præsidi Sabaudiæ data pro exequutione Breuis Apostolici obtenti à Francisco Salesio Præposito Ecclesiæ Gebennensis circa restitutionem Beneficiorum Caballianorum Ecclesiasticorum. Camberij die vigesima Nouembris anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono cum sigillo in cera rubea. Signata. Roncas. Habemus archetypum in charta.

Concio prima Francisci Salesij Præpositi Ecclesiæ Gebennensis de Eucharistia, eius manu propria scripta. Habemus archetypum in charta.

Consilium Francisci Salesij Episcopi Gebennensis pro reparatione disciplinæ Regularis in Monasterio Monialium Putei Orbensis Diœcesis Lingonensis eius manu propria scriptum. Habemus archetypum in charta.

Constitutiones Sanctæ Domus Tononiensis B.M.V. per Franciscum Salesium eius manu propria scriptæ, & sub scriptæ. Habemus Archetypum in charta.

Con

Constitutiones Synodales Diœcesis Gebennensis à Francisco Salesio Episcopo latæ die secunda Octobris anno millesimo sexcentesimo tertio, typis mandatæ Tononij per Marcum à Vico signatæ Franciscus Episcopus Gebennensis, & inferius Decomba. Habemus apographum in charta.

Constitutiones aliæ Synodales ab eodem latæ anno millesimo sexcentesimo quinto. Habemus apographum in charta.

Constitutiones Academiæ Florimontanæ in Aniciensi Ciuitate à Francisco Salesio & Antonio Fabro Gebennensi Præside erectæ. Habemus apographum in charta.

Constitutiones pro reformatione & restitutione Regularis disciplinæ in Monasterio Monialium Putei Orbensis Diœcesis Lingonensis à Francisco Salesio Episcopo Gebennensi factę anno millesimo sexcentesimo nono. Habemus apographum in charta manu vnius monialis scriptum.

Constitutiones Ordinis Monialium Visitationis Beatæ Mariæ Virginis à Francisco Salesio Episcopo Gebennensi latæ, & confirmatæ authoritate Apostolica die nona Octobris anno millesimo sexcentesimo decimo octauo Signatę Franciscus Episcopus Gebennensis. Habemus Apographum manuscriptum Michaëlis Fabri Sacerdotis Primi earum Confessarij & ab ipso Francisco manu propria correctum & emendatum in charta.

Constitutiones Congregationis Eremitarum sancti Montis Beatæ Mariæ Virginis Vorionensis à Francisco Salesio Episcopo Gebennensi latæ in Diœcesana Synodo anno millesimo sexcentesimo vigesimo. Signatæ Franciscus Episcopus Gebennensis. Habemus apographum in charta.

Declaratio Caroli Emanuëlis Sabaudiæ Ducis, qua dat plenas & integras vindicias de fructibus & reditibus omnium Beneficiorum Curioniorum Ducatus Caballiani pro alimento Sacerdotum & Ecclesiasticorum ad exercitium religionis Catholicæ iuxta institutionem quam habebunt ab Episcopo Gebennensi. Tononij die quinta Octobris, anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo. Habemus Archetypum in charta signatum Carolus Emanuël. Pro Domino Cancellario Berliet. Cum sigillo in cera rubea. Inferius Bourſier.

Decretum pro interiori & exteriori Franciſci Saleſij Episcopi Gebennensis facta antequam consecrationis munus susciperet,

manu

manu Michaëlis Fabri eius Confessarij scripta apographa habemus.

Decreta à Francisco Salesio Episcopo Gebennensi lata pro Diuinis rebus Catholicorum rituum in Ecclesiis Gexensibus, die vigesima Nouembris, anno millesimo sexcentesimo decimo tertio. Habemus apographum in charta.

Decreta pro restitutione Regularis disciplinæ in Monasterio Sixiensi per Franciscum Salesium Episcopum Gebennensem in eodem Monasterio facta diebus 12.13.14.15. Septembris, anno millesimo sexcentesimo decimo octauo. Habemus eorum apographum in charta.

Edictum Synodi Gebennensis à Francisco Salesio celebrandæ Anicij, die secunda Octobris, anno millesimo sexcentesimo tertio, latum & promulgatum die decima Augusti eiusdem anni; signatum de Comba. Habemus archetypum in charta.

Edictum Franciſci Salesij Episcopi Gebennensis pro Processione Sanctissimi Sacramenti in festo Corporis Christi, lite Canonicorum Cathedralium & Collegialium pendente anno millesimo sexcentesimo quarto. Habemus archetypum eius manu propria scriptum in charta.

Epistolæ centum nonaginta duæ Franciſci Salesij, siue Latinę siue Gallicæ tum Præposituræ tum Pontificatus tempore nondum editæ, eius manu propria exaratæ. Habemus archetypa in charta.

Epistolæ septuaginta sex Antonij Fabri Sebusiani Senatoris ac postmodum Primi Sabaudiæ Præsidis Latinæ, & viginti Gallicæ, ad Franciscum Salesium Præpositum Ecclesiæ Gebennensis. Habemus archetypa in charta.

Epistolæ octo Serenissimi Sabaudiæ Ducis Caroli Emanuelis ad Franciscum Salesium Præpositum Ecclesiæ Gebennensis pro rebus Caballianis. Habemus archetypa in charta.

Epistolæ quatuor Cardinalis Aldobrandini ad Archiepiscopum Barensem Nuntium Apostolicum apud Allobrogas de Francisco Salesio Præposito Ecclesiæ Gebennensis, pro rebus Caballianis. Habemus apographa in charta.

Epistolæ triginta quatuor Iulij Cæsaris Riccardi Archiepiscopi Barensis Nuntij Apostolici ad Franciscum Salesium Præpositum Ecclesię Gebennensis pro rebus Caballianis. Habemus

archetypa in charta.

Epistola Thomæ Bergeræ Equitis Mauritiani Lazariani ad Franciscum Salesium Præpositum Ecclesiæ Gebennensis pro rebus Caballianis Taurino die decima Iunij anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. Habemus archetypum in charta.

Epistola Iuuenalis Ancinæ Sacerdotis Oratorij nominis Iesu ad Franciscum Salesium Episcopum Gebennensem designatum. Roma 16. Nouembris anno millesimo sexcentesimo. Habemus archetypum in charta.

Epistolæ tres Antonij Fabri Senatoris Sabaudi ad Claudium Granierium Episcopum Gebennensem Gallicæ, circa negotiationem Parisiensem Francisci Salesij pro Ecclesiis Gexiensibus. Lutetia anno millesimo sexcentesimo secundo. Habemus archetypa in charta.

Epistola Consulum & Consiliariorum Ciuitatis Aniciensis ad Franciscum Salesium Episcopum breui consecrandum 19. Nouembris anno millesimo sexcentesimo secundo Signata Vassal. Habemus archetypum in charta.

Epistola Vicecomitis Maioris & Consulum Vrbis Diuionensis ad Franciscum Salesium Episcopum Gebennensem pro Concionibus Quadragesimalibus anno millesimo sexcentesimo tertio. Signata Martin. Habemus archetypum in charta.

Epistola Supremi Sabaudiensis Senatus ad Franciscum Salesium Episcopum Gebennensem pro Concionibus Quadragesimalibus Camberij habendis die 15. Martij anno millesimo sexcentesimo quinto. Signata Colliet, sigillata super ceram rubeam. Habemus archetypum in charta.

Epistolæ duæ Henrici Sabaudi Ducis Nemorosij ad Franciscum Salesium Episcopum Gebennensem circa funus Annæ Atestinæ suæ Matris. Lutetia mensibus Maio & Iulio anno millesimo sexcentesimo septimo. Habemus archetypa in charta.

Epistola responsoria ad Franciscum Salesium Gebennensem Episcopum Hieronymi Cardinalis Pamphilij circa visitationem liminum Apostolorum, anno millesimo sexcentesimo septimo. signata & sigillata. Habemus archetypum in charta.

Epistolæ tres Petri Villarsij Archiepiscopi & Comitis Viennensis ad Franciscum Salesium Episcopum Gebennensem, circa

ca eius librum Introductionis ad vitam Deo deuotam anni milleſimi ſexcenteſimi noni menſium Ianuarij Martij & Aprilis. HABEMUS archetypa in charta.

Epiſtola Benigni Fremioti Præſidis Diuionenſis ad Franciſcum Saleſium Gebennenſem Epiſcopum de diſceſſu ſuæ filiæ Ioannæ Franciſcæ Fremiotæ Baronis Chantaliæ. Diuioni 29. Martij anno milleſimo ſexcenteſimo decimo. HABEMUS archetypum in charta.

Epiſtola Decani Canonicorum & Comitum Eccleſiæ Lugdunenſis ad Franciſcum Saleſium EPISCOPUM GEBENNENSEM, qua rogant eum ad Conciones Quadrageſimales. 13. Iunij anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo. HABEMUS archetypum in charta.

Epiſtola Caroli Emanuëlis Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis ad Senatum Camberienſem pro protectione Monialium Viſitationis B. M. Virginis. Auguſtæ Taurinorum. 22. Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio. Habemus apographum in charta.

Epiſtola Matthię Romanorum Imperatoris ad Franciſcum Saleſium Epiſcopum & Principem Gebennenſem, pro Comitiis Ratisbonenſibus. Data in Caſtro Lyntzij. 18. Martij. anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, eius Imperij anno ſecundo, ſcripta & edita Germanicè ſub maiori ſigillo in cera rubea. HABEMUS archetypum in charta.

Epiſtola Dionyſij Simonis Marquemontij Archiepiſcopi Lugdunenſis quam miſit ad Franciſcum Saleſium Epiſcopum Gebennenſem ad ſe venientem, inuitatoria ad hoſpitium & data 28. Iunij. HABEMUS archetypum in charta.

Epiſtolæ item duæ eiuſdem Marquemontij Archiepiſcopi ad Saleſium circa inſtitutionem Congregationis Monialium Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis. Bellicio 4. Maij anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto. & Lugduno 22. Septembris eodem anno. HABEMUS archetypa in charta.

Epiſtola Ædituorum Eccleſiæ ſancti Andreæ Pariſienſis ad Franciſcum Saleſium Epiſcopum Gebennenſem pro Concionibus Aduentus & Quadrageſimæ. 4. Maij anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo. Signata de Montholon, Mareſchal, & Maillet. Habemus archetypum in charta.

Epistola Senatus Gratianopolitani ad Franciscum Salesium Gebennensem Episcopum. Inuitatoria ad continuationem Concionum Aduentus & Quadragesimæ. 8. Nouembris, anno millesimo sexcentesimo decimo septimo. Sigillata & signata. Baudet. Habemus archetypum in charta.

Epistola Magistratus Consilij & Curiæ Rationum Ducatus Gebennesiani ad Sereniſſimum Victorem Amedeum Subalpinorum Principem pro corpore Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis. Anicio. 4. Ianuarii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio. Habemus apographum in charta.

Epiſtola Reſponſoria Victoris Amedei Sereniſſimi Subalpinorum Principis ad Conſiliarios Gebenneſianos pro corpore Franciſci Saleſii. Taurino 14. Ianuarii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio; ſubſcripta Paſel. Habemus archetypum in charta.

Erectio & Conſtitutiones Sodalitatis Pœnitentium ſanctæ Crucis à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis. Anicij calendis Septembris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio. Habemus apographum in charta.

Exercitia quatuor pia Franciſci Saleſii, dum Patauii Iuriſprudentiæ ſtudiis incumberet eius manu propria ſcripta. Habemus archetypum in charta.

Fragmentum operis Franciſci Saleſii Præpoſiti Eccleſiæ Gebennenſis de notis Eccleſiæ & Primatu Diui Petri. Eius manu propria partim ſcriptum, dum Tononii ageret. Habemus archetypum in charta.

Fragmentum operis Franciſci Saleſii Epiſcopi Gebennenſis, quod Metaniam vocat idiomate Gallico eius manu propria ſcriptum. Habemus archetypum in charta.

Fragmentum operis Franciſci Saleſii Epiſcopi Gebennenſis de Origine Curionum Gallico idiomate. Manuſcriprum Michaëlis Fabri. Habemus archetypum in charta.

Fragmentum operis Franciſci Saleſii Epiſcopi Gebennenſis Hiſtoriæ Theandricæ idiomate Gallico eius manu propria ſcriptum. Habemus archetypum in charta.

Gaſparis Maniglierii ex Societate Ieſu Epiſtola ad Patrem Suffrenum de morte Franciſci Saleſii Epiſcopi Gebennenſis ſcripta Lugduno 9. Ianuarii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio. Habemus apographum in charta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gratiarum actio Franciſci Saleſij poſt adeptam Doctoratus in legibus lauream ad Doctores Patauinos Latino idiomate, eius manu propriâ ſcripta. Habemus archetypum in charta.

Index iurium Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi exhibitorum ex parte Alberti & Iſabellæ Claræ Eugeniæ Archiducum Auſtriæ Comitum Burgundiæ pro Muriis Salinarum apud Sequanos. Habemus in charta.

Inſtitutio Regularis diſciplinæ in Monaſterio Beatæ Mariæ Virginis Sixienſis Canonicorum Regularium Diui Auguſtini facta 20. Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo cum approbatione & rati habitione Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis 23. Ianuarij anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo. Habemus apographum in charta.

Ioannis à ſancto Franciſco Superioris Generalis Congregationis Fullienſium de vita B. Franciſci Saleſii Epiſcopi & Principis Gebennenſis &c. libri ſex. editio ſecunda. Lutetiæ Pariſiorum apud Ioannem de Heuqueuille, in vico ſancti Iacobi ſub ſigno pacis anno 1625. Quiuis habere poteſt.

Iudicium Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis de Reuerendiſſimo Iuuenale Ancina Epiſcopo Sallutienſi. Habemus apographum Michaëlis Fabri manu ſcriptum in charta.

Iuramentum fidelitatis Apoſtolicæ Sedi præſtitum à Franciſco Saleſio Electo Gebennenſi in manibus Franciſci Marchiandi Canonici & Vicarij Generalis Maurianenſis Delegati Apoſtolici die 21. Nouembris anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo. Torenti in Eccleſia Parœciali. Signatum Franciſcus Epiſcopus Nicopolitanus Electus Gebennenſis. Sigillatum in cera rubea maiori ſigllo Capituli Gebennenſis & ſubſcriptum Decomba Secretarius conſtitutus. Habemus archetypum in charta.

Libellus ſupplex à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci oblatus nomine Claudij Granierij Epiſcopi Gebennenſis pro Curionibus Caballiani Ducatus, Patribus Societatis Ieſu & Canonicis Eccleſiæ Gebennenſis circa Beneficia Armoënſe & Dralliantinum. Habemus apographum in charta.

Libellus ſupplex Equitum ſacri Ordinis Militaris Sanctorum Mauritij & Lazari Carolo Emanueli Sabaudię Duci oblatus pro Beneficiis Eccleſiaſticis Ducatus Caballiani à Militia poſſeſſis

contra Franciſcum Saleſium Præpoſitum & Electum Gebennenſem cum decreto Suæ Celſitudinis Signato Ripa. Auguſtæ Taurinorum 29. Aprilis anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono. Habemus apographum in charta.

Libellus ſupplex Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis Brietio Conſiliario Regio Diuionenſi tanquam à Rege conſtituto oblatus pro rebus Eccleſiarum Gexienſium cum decreto 11. Maij anno milleſimo ſexcenteſimo quarto. Signatum Saumaiſe. Habemus archetypum in charta.

Libellus ſupplex à Franciſco Chiffæo Vicario Generali in Diœceſi Gebennenſi Clementi octauo Pontifici Maximo oblatus nomine Claudij Granierij Epiſcopi Gebennenſis quo petit Franciſcum Saleſium Præpoſitum Eccleſiæ Gebennenſis in Adiutorem cum futura ſucceſſione anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono. Habemus apographum in charta.

Libellus ſupplex Ioannis Franciſci Saleſij & Iani Fratrum ad Conſilium Gebenneſianum quo petunt Commiſſarium ad inquirendum contra eos à quibus criminibus onerati ſunt apud Ducem Nemoroſium anno 1615. Habemus apographum in charta.

Litteræ patentes Sodalitatis ſeu Congregationis Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ Collegij Patauini Societatis Ieſu datæ Franciſco Saleſio die 21. Ianuarij anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo. Signatæ Carolus Capreolus Præfectus ſigillatæ in cera rubea, & ſubſcriptæ Maurus Beuilaqua Secretarius. Habemus archetypum in charta.

Litteræ patentes priuilegij Doctoratus in vtroque iure Franciſco Saleſio conceſſæ ad formam libelli. Patauij. Nonis Septembris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo. Sigillo Aloyſij Cornelij Epiſcopi Patauini appẽdẽte in cera rubea chordulis ſericis rubeis. Signatæ Iulius Vrbanus Vicarius. Iacobus Malclauellus Not. Pat. Script. Gaſpar Gratianus Cancellarius Epiſcopatus Paduani. Habemus archetypum in membrana.

Litteræ patentes ſacri Ordinis Subdiaconatus Franciſci Saleſij Præpoſiti Eccleſiæ Gebennenſis à Claudio Granierio Epiſcopo Gebennenſi. Anicij Sabbatho quatuor temporum poſt Pentecoſtem 12. Iunij anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio ſignatæ C. de Granier Ep. Geben. Subſcriptæ Du four. Si-

gillatæ

gillatæ in cera rubea. Habemus archetypum in membrana.

Litteræ patentes Franciſci Saleſij Præpoſiti Eccleſiæ Gebennenſis idiomate Italico conſcriptæ, quibus vniuerſis notum facit & manifeſtum ſanctam Sedem Apoſtolicam Pœnitentibus omnibus indulturam quotieſcunque ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redierint eius manu propriâ exaratæ Anicij die 21. Octobris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo. Habemus archetypum in charta.

Litteræ patentes Caroli Emanuelis Ser. Sabaudiæ Ducis, quibus poteſtatem dat Procuratori, ſuo fiſcali Tononienſi Claudio Marinio obſignandi omnia Beneficia Eccleſiaſtica Ducatus Caballiani & Ditionis Terniacenſis, pro reparatione & reſtauratione Eccleſiarum &c. Tononij die 5. Octobris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo. Habemus apographum in charta.

Litteræ patentes aliæ eiuſdem Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis quibus reiicit Hæreticos ab omni gradu, dignitate, munere, officio &c. Tononij die 12. Octobris anno milleſimo quingenteſimo octauo. Habemus apographum in charta.

Litteræ patentes teſtimoniales Conſecrationis Epiſcopalis Franciſco Saleſio conceſſæ ab Archiepiſcopo Viennenſi. Torenti die Dominica octaua] Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo teſtibus &c. Sigillatæ & ſignatæ. Veſpaſianus Gribaldus Archiepiſcopus Viennen. Habemus archetypum in membrana.

Litteræ patentes vnionis Prioratus ſancti Hippolyti domui ſanctæ Tononienſi & aſſociationis eiuſdem domus cum militia ſanctorum Mauritij & Lazari à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi tanquam Commiſſario Apoſtolico emanatæ. Tononij die 2. Iulij anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo. Habemus apographum in charta.

Litteræ Apoſtolicæ in forma Breuis Pauli quinti Pontificis Maximi ad Epiſcopos Baſileenſem & Gebennenſem pro Controuerſiis inter Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ & Clerum Comitatus Burgundiæ ratione Muriarum Salinarum. Romæ apud ſanctum Petrum die 28. Ianuarij anno milleſimo ſexcentemo octauo, Pontificatus anno tertio. Habemus apographum in charta.

Litte

Litteræ patentes filiationis & participationis omnium bonorum Religionis fratrum Minorum Capucinorum Diui Francisci Francisco Salesio Ecclesiæ Gebennensis Præposito concessæ à Generali Ordinis Hieronymo Castelferretano montis Albodi die 10. Ianuarij anno millesimo sexcensimo. Sigillatæ in cera flaua signatæ Frà Girolamo. Habemus archetypum in charta.

Litteræ patentes filiationis & participationis omnium bonorum Ordinis Cartusiensis concessæ Francisco Salesio Episcopo Gebennensi. Cartusiæ 30. Martij anno millesimo sexcentesimo septimo. Signatæ F. Bruno Prior Cartusiæ. F. I. Baillet Scriba Capituli Generalis, Sigillatæ in cera viridi cum cordulis sericis rubeis. Habemus archetypum in membrana.

Litteræ patentes filiationis & participationis omnium bonorum Ordinis Fratrum Prædicatorum Francisco Salesio Episcopo Gebennensi concessæ à Generali. Romæ 17. Septembris anno millesimo sexcentesimo septimo. Signatæ Fr. Ludouicus Ystella. Sigillatæ in cera rubea, & subscriptæ Fr. Thomas Pallauicinus socius. Habemus archetypum in charta.

Litteræ patentes filiationis & participationis omnium bonorum Ordinis Clericorum Regularium sancti Pauli Francisco Salesio Episcopo Gebennensi concessæ à Hieronymo Boërio Generali Præposito. Mediolani 7. Maij anno millesimo sexcentesimo decimo septimo. Cum sigillo in cera rubea & cordulis sericis rubeis. Habemus archetypum in membrana.

Litteræ patentes filiationis & participationis omnium bonorum Ordinis Capucinorum Francisco Salesio Episcopo Gebennensi concessæ à Generali fratre Paulo Cæsenensi Lugduni sub sigillo in cera flaua 8. Nouembris anno millesimo sexcentesimo decimo septimo. Habemus archetypum in charta.

Litteræ patentes filiationis & participationis omnium bonorum Ordinis Fullienſium Francisco Salesio Episcopo Gebennensi concessæ Augustæ Taurinorum 24. Iunij anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. à Ioanne à sancto Francisco sigillatæ in cera rubea. Habemus archetypum in membrana.

Longaterrani Oratio funebris in obitum Francisci Salesij Episcopi Gebennensis & eiusdem Historia vitæ ab eodem authore necnon suspiria Philotheæ. Libri tres editi Lugduni apud Vincentium Cursillium 1623. 1624. Quiuis habere potest.

Ludo

Ludouici Salesij Canonici Cathedralis Ecclesiæ sancti Petri Gebennensis negotiatio Geneuæ pro Collatione circa fidem. 21. Iunij anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. Habemus archetypum in charta.

Ludouici Salesij Canonici Gebennensis Epistola ad Nobilem quemdam Lugdunensem de timore Bezæ superfalso nuntio suę mortis &c. Libro edito, anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo. Quiuis habere potest.

Ludouici Comitis Salesij, Baronis Torentini, Dynastæ Tulliani de vita Beati sui fratris Francisci Salesij Episcopi Gebennensis. Habemus Commentarium archetypum manuscriptum in charta.

Ludouici Riueriani Religiosi Ordinis Minimorum de vita & rebus gestis Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebennensis. Liber editus multoties Lugduni apud Petrum Rigaudum anno 1624. 1625. & 1626. Quiuis habere potest.

Negotiatio Francisci Salesii Præpositi Ecclesiæ Gebennensis in Romana Curia continens nouem libellos supplices Summo Pontifici exhibitos circa res varias eius manu signatos anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono. Habemus apographa in charta.

Negotiatio Francisci Salesii Præpositi & Electi Gebennensis Lutetiæ Parisiorum apud Regem Christianissimum Henricum quartum pro restitutione fidei Catholicæ in agro Gexensi continens libellos supplices, commentaria, articulos & cætera huiusmodi omnia eius manu scripta anno millesimo sexcentesimo secundo. Habemus archetypum in charta.

Noxæ quas illatas sibi prætendunt Canonici Collegialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Anicienfis per Decretum Francisci Salesij Episcopi Gebennensis quo prærogatiuam in supplicationibus suis Canonicis Cathedralibus in Ciuitate Anicensi, signat. Dauid Matthæus. Habemus apographum in charta.

Oratio Francisci Salesij in adeptione possessionis Præposituræ Ecclesiæ Cathedralis sancti Petri Gebennensis eius manu propria scripta. Habemus archetypum in charta.

Ordo Orationis quadraginta horarum in pago Animassiæ prope Geneuam institutæ anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo diebus 7. & 8. Septembris Dominica & Lu-

næ. Habemus apographum in charta.

Ordo Eleemosynæ Ripallienſis à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis ſeruari ſolitus anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo, eius manu propria deſcriptus. Habemus archetypum in charta.

Pactum inter Sacerdotes ſanctæ Domus Beatæ Mariæ Compaſſionis Vrbis Tononienſis & Clericos Regulares ſancti Pauli vulgo Barnabitas nuncupatos die 3. Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto. Habemus archetypum in charta.

Petri Gilletæ Sacerdotis Nicæni Salyj declaratio profeſſionis fidei ab ipſo factæ cum rationibus quæ eum ad Eccleſiam Romanam reuocarunt : liber editus Tononij per Marcum à Vico anno 1608. Quiuis habere poteſt.

Petri à ſancto Bernardo Fullienſis Oratio funebris in anniuerſario Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis habita Lugduni. Liber editus ibidem apud Ioannem Iullieronem, anno 1624. Quiuis habere poteſt.

Philiberti Bonopolitani Prouincialis Capucinorum in Sabaudia Oratio funebris in obitum Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis ſeu compendium eius vitæ. Itémque eiuſdem authoris. Sol perfectorum Præſulum &c. libri duo editi Lugduni per Simonem Rigaudum anno 1623. 1624. Quiuis habere poteſt.

Philippi Malabailę à ſancto Ioanne Baptiſta Fullienſis Oratio funebris idiomate Italico in obitum Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis. Liber editus Auguſtæ Taurinorum apud hæredes Ioannis Dominici Tarini, anno 1623. Quiuis habere poteſt.

Praxis & methodus docendi Catechiſmum pueros à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi. Habemus apographum in charta.

Proceſſus verbalis (vt aiunt) de reſtitutione fidei & Religionis Catholicæ in Caballio Romam ad Pontificem miſſus. Habemus apographum in charta.

Rationes appellationis Canonicorum Eccleſiæ Collegialis Beatæ Mariæ Anicienſis à decreto Franciſci Saleſij Epiſcopi Gebennenſis lato & reddito in fauorem Eccleſiæ ſuæ Cathedralis ſancti Petri ratione prærogatiuæ in Proceſſionibus ſeu ſupplicationibus ſignatæ De Coyſia & Imperator. Habemus apographum in charta.

Rationes

Rationes à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi allatæ pro erectione Eccleſiæ Cathedralis in vrbe Camberienſi. Habemus archetypum in charta.

Rationes quibus motus fuit Paulus Papa quintus ad eximendum Ordinem Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis à recitatione Magni Officij Canonici recitando paruum dumtaxat Beatæ Mariæ. Habemus apographum manuſcriptum Michaëlis Fabri, in charta.

Relatio obitus Petreæ ſeu Petronillæ Bouteæ Codiæ Rupenſis bonæ Matris nuncupatæ. Manuſcriptum Claudij Angeuillani Primicerij Rupenſis ad Franciſcum Saleſium Epiſcopum Gebennenſem miſſum. Habemus archetypum in charta.

Reſponſiones & conceſſiones variæ Caroli Emanuelis Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis ad libellos ſupplices à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis oblatos pro reſtitutione Religionis Catholicæ in Ducatu Caballij & Ditione Ternierij. Habemus apographa duo in charta.

Reſponſiones Franciſci Saleſij Præpoſiti Eccleſiæ Gebennenſis ad libellum ſupplicem oppoſitionis Equitum Ordinis ſanctorum Mauritij & Lazari circa res Eccleſiarum Caballianarum & Ternerienſium. Auguſtæ Taurinorum. Habemus archetypum eius manu propriâ ſcriptum in charta.

Reſponſiones Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ ſancti Petri Gebennenſis ad prætenſas noxas Canonicorum Collegialis Eccleſiæ Beatæ Mariæ Lætæ Anicienſis ob latam à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi ſententiam qua prærogatiuam datCathedralibus in Ciuitate Anicienſi. Signatę Pelliſſonus. Habemus apographum in charta.

Reſponſiones expoſitoriæ nonnullarum rationum circa Inſtitutionem Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis à Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi ad Dionyſium Simonem Marquemontium Archiepiſcopum Lugdunenſem miſſæ. Habemus apographum Michaëlis Fabri, in charta.

Senatuſconſultum Sabaudienſe receptionis Franciſci Saleſij Iuris vtriuſque Doctoris in Cauſidicorum numerum die vigeſima quarta Nouembris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo. Signatum Colliet. Habemus archetypum in charta.

Senatusconsulta Sabaudiensia duo circa assignationem portionum congruarum Rectoribus Ecclesiarum Parœcialium in Ducatu Caballij & Ditione Ternerij, ad exequutionem litterarum Apostolicarum in forma breuis die 18. Decembris anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono. Signata Nicolle cum sigillo in cera rubea. Habemus archetypum in charta.

Senatusconsultum Sabaudiense ad vindicias fructuum redituum aliarúmque pertinentiarum Episcopatus Gebennensis Francisco Salesio Episcopo dandas. Sigillatum duobus maioribus sigillis in cera rubea & signatum Raymondus die 20. Decembris anno millesimo sexcentesimo secundo. Habemus archetypum in charta.

Status Ecclesiæ Gebennensis à Francisco Salesio Episcopo Romam missus pro Visitatione liminum Apostolorum anno millesimo sexcentesimo septimo. Habemus archetypum eius manu propriâ scriptum & signatum in charta.

Stephani Caueti Canonici Ecclesiæ Diui Pauli Lugdunensis Icones abbreuiatę Sanctorum Caroli Borromię. Theresæ. Mariæ ab Incarnatione & Francisci Salesij Episcopi Gebennensis. Liber editus Lugduni apud Franciscum La Botiere, 1632. Quiuis habere potest.

Suasio Francisci Salesij Præpositi Ecclesiæ Gebennensis Augustæ Taurinorum ad Serenissimum Ducem Carolum Emanuelem pro rebus Ecclesiasticis agrorum Caballiani & Ternerienſis aduersus Sammauritianos milites circa exequutionem Breuis Apostolici anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono. Habemus archetypum eius manu propriâ scriptum in charta.

Summa totius expensæ quam fieri conuenit in agris Caballiano & Ternerienſi pro restitutione Ecclesiarum. Habemus apographum in charta.

Syngraphus Francisci Salesij Episcopi Gebennensis quo promittit iturum se Geneuam ad conferendum de rebus Religionis cum Ministris. Datus Anicij die 6. Augusti anno millesimo sexcentesimo quinto. Habemus archetypum eius manu propriâ scriptum in charta.

Testamentum solemne Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebennensis & Ioannis Francisci Salesij Episcopi Calcedo-

bennen

nensis die 6.Nouembris anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo.Habemus apographum in charta.

Teſtimonium ætatis Franciſci Saleſij Præpoſiti Eccleſiæ Gebennenſis per authoritatem publicam datam & ſignatam. Ramus Notarius, Encrenat Notarius, teſtibus item ſignatis Amedeo Bouardo.Motonerio,& Ludouico Chauanes Sacerdotibus, die 11.Nouembris anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo.Habemus archetypum in charta.

Teſtimonium nobile Francorum nobilium de Viro nobili Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi à Renato Groſſo Sanioriciano Equite Torquato.Habemus archetypum in charta.

Theophili Raynaudi Theologi è Societate Ieſu Indiculus Sanctorum Lugdunenſium cum Mantiſſa de piis non vindicatis. Liber editus Lugduni anno 1629. 1630. apud Claudium Landry.Quiuis habere poteſt.

Tractatus de Dæmonomania, ſeu de Energumenis à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis compoſitus dum ageret Tononij pro conuerſione hæreticorum partim eius manu propriâ ſcriptus, nondum editus. Habemus archetypum in charta.

Tranſactio cum Confirmatione, Canonicorum Cathedralium Gebennenſium & Collegialium Anicienſium ratione Proceſſionum & prærogatiuæ, die 15. Octobris anno milleſimo ſexcenteſimo quinto.Habemus apographum in charta.

Viſitatio liminum Apoſtolorum à Franciſco Saleſio Præpoſito Eccleſiæ Gebennenſis pro Claudio Granierio Epiſcopo Gebennenſi anno quingenteſimo nonageſimo nono.Habemus ex Commentariis eius manu propriâ ſcriptis in charta.

Viſitatio Abbatiæ Sixienſis per Franciſcum Saleſium Epiſcopum Gebennenſem 24.Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo tertio. Habemus archetypum eius manu propriâ ſcriptum & apographum ſignatum Stephanus de Comba Secretarius,in charta.

PROTESTATIO AVCTORIS.

LECTOR adverte, ut si quæ in recensendis elogiis, ac gestis hujus Præsulis, hoc libello complexus fui, ultra mores illius, ac vitæ sanctitatem, & populorum erga eumdem obsequia, superantia vires humanas, quæ miracula videri possunt, & ad futurorum præsagia, revelationes, & alia beneficia in mortales collata quoquo modo trahi valeant; ita tibi propono, ut nolim accipi, tanquam ab Apostolica Sede examinata & approbata, sed ut ea quæ à sola Auctorum fide pondus obtineant; nec ideo aliam, quàm humanam historiam sapiant. Quare etiam inhærendo Decretis fæl. rec. Vrbani VIII. cum declarationibus ab eodem editis, quoad venerationem, & cultum firmiter testatum volo, me hisce lucubrationibus nolle quidquam venerationis, aut cultus majoris ejusdem tribuere, vel famam, & opinionem sanctitatis ejusdem augere, nec illius existimationi aliquid adjungere, ullumque gradum facere ad futuram quandoque illius canonisationem, aut miraculorum comprobationem, sed omnia à me relinqui in eo statu, quem hisce meis lucubrationibus seclusis per se obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sancte profiteor, quàm decet eum, qui sanctæ Sedis Apostolicæ obsequentissimus filius haberi cupit, & ab illa in omni sua actione dirigi.

CAROLVS AVGVSTVS DE SALES,
Præpositus Ecclesiæ Gebennensis.

INDEX RERVM,

QVÆ IN HAC HISTORIA continentur.

A.

ABundantiana Abbatia Gebennensi Episcopo subdita. 266.

Academiam Franciscus cum Fabro Anicij erigit. 304.

AEgrum à Medicis desperatum Franciscus sanat. 445.

Albertus Archidux Austriæ. 320.

Munus dat Francisco. 322.

Alexander Medices Cardinalis Florentinus Sedis Apostolicæ Legatus à latere Tononium venit. 141.

Alexandro Mediceo omen faustum Tononij datum. 143.

Alexander Medices Francisco de conuersione Caballij gratias agit. 142.

Allingiana arx Ducatus Caballiani. 67.

Allingiana Ecclesia quam ab hæreticis vastata. 152.

Alpenses & Abundantianos Monachos Franciscus conatur reducere. 122.

Altare Tononij Franciscus erigit & intrepidè sacrum facit. 104. 105.

Amedeum Beatum Sabaudiæ Ducem Franciscus commendat Supremo Pontifici. 350.

Amentem fœminam Franciscus subitò sanat. 440.

Amor Dei in Iuuene Francisco eximius etiam in ipsa tentatione. 11.

Amoris Diuini liber Francisci planè aureus in lucem prodit. 381.

Anagramma Francisci à Gallis. 383.

Aneriana Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 156.

Angelus à Ioïosa Capucinus Francisco mirabilis. 9.

Angelus Matheaceus Iurisconsultus Patauinus laudatur à Francisco.

ciſco. 30.
Angeli Cuſtodis viſione Sacerdos quidam donatus. 239.
Angelum Cuſtodem vt Franciſcus coleret in omnibus. 66.
Angliæ quam Franciſcus miſereretur. 383.442.
Anicienſis Ciuitatis deſcriptio. 4.
Anicienſes Pœnitentes ad Animaßianam orationem pergunt. 130. 131.
Anicij Franciſcus Quadrageſimali tempore concionatur. 210.
Anicienſes Franciſco Electo Epiſcopo gratulantur. 226.
Vt eum Conſecratum excipiunt. 234.
In eum paulò pòſt inſoleſcunt. 240.
Franciſcus iterum Quadrageſimali tempore concionatur. 303.
Eorum ſtupor & extremus luctus de Franciſci morte. 469.
Animaßiæ Franciſcus Conuentum cogit pro conuerſione Caballÿ. 127.
Animaßiam Franciſcus Tononienſes pedes conducit, & Ludouicus Saleſius Anicienſes. 130.131.
Animaßiana quadraginta horarum Oratio à Cherubino inſtructa. à Granierio & Franciſco incepta. 131.
Anna Ateſtina Nemoroſij Duciſſa Anicium venit. 1.
Eam defunctam Franciſcus Oratione funebri laudat. 308.
Annunciationis Moniales à Franciſco commendatæ. 354.
Anſelmus Epiſcopus Diuus Allobrox. 256.
Antelmus item Epiſcopus Diuus Allobrox. 257.
Anthiacenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 155.
Antonius Poſſeuinus Director Franciſci, Patauij, prædicit ei futurum Gebennenſem Epiſcopum. 14.
Gratulatur ei de conuerſione Caballÿ. 85.
Antonius Fayanus Miniſter hæreticus Geneuenſis librum contra honorem Crucis ſcribit. 137.
Eius ſocordia 88. *Conuincitur à Franciſco.* *ibid.*
Antonius Faber Sebuſianus Senator Camberienſis amicitiæ fœdus percutit cum Franciſco. 38.
Eum inuitat ad Senatoriam purpuram. 53.
Duodecimum ſuarum Coniecturarum librum ei dedicat. 90.
Eum ad perſeuerantiam hortatur, eius amor. 77.78.
Factus Sabaudienſis Senatus Præſes. 344.
Antonius Rigaudus Anachoreta Vorionenſis. 432.

Apoſtolus

Apostolus Caballÿ Franciscus verè nominatus. 208.
Apostolum Caballÿ Franciscus Dux Sabaudiæ Cardinali Florentino Legato Apostolico præsentem sistit & nominat. 141.142.
Aquariensis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 156.
Armoënsis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 151.
Articuli pro conseruatione Catholicæ fidei in Caballio Serenissimo Duci à Francisco oblati. 161.
Atheum quemdam Nobilem Franciscus conuertit. 424.
Auenioni Franciscus colitur vt Sanctus. 454.
Augustiniana Ecclesia Tononÿ pro Oratione quadraginta horarum secundâ vt instructa. 142.
Aulam & aulicos mores quàm Franciscus sperneret. 429.
Austeritas in Iuuene Francisco. 9.25.
Et in eo Episcopo facto. 239.
Auulliacus in prima Franciscí concione motus. 45.46.
Disputat cum Francisco, & eius in manibus Caluinianam hæresim abiurat. 86.87.88.
Eius in fide constantia. 89.
Franciscus ei primariam Consistorÿ sedem conseruat. 123.
Auulliacensis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 154.
Auxilia gratiæ, & Franciscí de iis sententia. 310.

B.

Allesonensis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 155.
Balmensibus Monialibus Franciscus consilia dat. 322.
Barberius Minister hæreticus Gratianopolitanus à Francisco conuersus. 404.
Bardonæensis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 158.
Barnabitas Franciscus inuisit Taurini, Vercellis, & Mediolani, & amat. 358.364.
Eos Anicienſibus laudat. 360.
Eorum aduentus in Anicienſem Ciuitatem. 364.
Inter eos quinam fuere præcipui? 364.
Eos Franciscus Tononij collocat. 377.
Eorum Ordinis Franciscus filius. 406.
Barralianam in arcem Franciscus ad Ducem Sabaudiæ pro rebus Caballÿ proficiscitur. 133.
Baptismus Franciscí. 2.
Bellimontana Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 157.

Bellæuallenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 152.
Beneficia Mauritianorum & Lazarianorum Equitum in Caballio diſſoluta. 204.
Beneficentia Franciſci in Eccleſiam ſuam. 430.
Bernæenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 159.
Bernardus Mentonius Diuus Allobrox. 256.
Eius ſepulchrum Franciſcus Nouariæ veneratur. 359.
Bernardus Baro Saleſius Torentinus Franciſci frater. 341.
Eius obitus & Epitaphium. 406.407.
Bernardianarum Monialiũ Frãciſcus Reſtitutor & Reparator. 410.
Bernates pro libertate conſcientiæ in Caballio, apud Ducem perperàm laborant. 145.146.
Beroldus Pingonius Baro Cuſiacenſis Franciſco amiciſſimus. 62.
Eius ſancta cum Franciſco cœna. 63.
Blanca Regina morum puritate celebris. 9.
Bontina, Bracorentina, Brentina, Brentonayenſis Eccleſiæ quàm ab hæreticis vaſtatæ. 153.154.
Brottyacum Dux cum Franciſco Barraly conferre de Religione iubet. 133.
Conuertitur à Franciſco ad fidem Romanam. 160.
Bruno Affringuius Cartuſianus Franciſcum laudat. 324.
Burgheſius Cardinalis poſteà Papa Paulus quintus nominatus Franciſco intimus. 183.

C.

CAballiani Ducatus deſcriptio. 63.64.
Caballianus Ducatus ab hæreticis occupatus. 64.
Caballianæ conuerſionis prouincia à Franciſco ſuſcepta. 65.66.
Cabally miſera facies. 67.
Caballianarum Eccleſiarum reſtitutio. 203.
Cæſar Cardinalis Baronius Franciſco intimus. 179.
Calumniis Franciſcus apud Ducem Sabaudiæ oneratur. 337.
Camberienſis vrbis deſcriptio. 284.
Camberij Franciſcus Quadrageſimali tempore primò concionatur. 284. *& ſecundò.* 349.
Canonicorum Anicienſium in Cathedrales Gebennenſes inſurrectio. 241.
Canonici Gebennenſes & Anicienſes tranſigunt. 278.279.280.
Capucini & Ieſuitæ Patres in Caballium à Franciſco ducti. 127.

Capucino

Capucinorum Ordinis Franciſcus filius. 415.
Cardinalem Franciſcum Leo Papa vndecimus deſignao. 276.
Caroli Borromæi Diui ſepulchrum Franciſcus veneratur. 358.
Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ Franciſcum accerſit pro rebus Caballij. 94.
Eius litteræ pro Curionibus & Eccleſiis Caballij. 149.
Eius pietas & zelus. Scribit pro Caballio ad Granierium. 65.
Tononienſes in aulam Comitiorum conuocat. Eius oratio, & in hæreticos indignatio. 148.149.
Crucem Tononÿ cum Franciſco erigit. 144.
Eum Franciſcus Pontifici mirè & verè laudat. 145.
Eius luctus de Franciſci obitu. 472.
Cartuſienſes Franciſcus commendat. 367.
Cartuſienſis Ordinis Franciſcus filius. 303.
Caſſegranius Miniſter hæreticus Franciſcum ad diſputationem prouocat. 263.264.
Caſtellanus Iuriſconſultus Patauinus laudatur à Franciſco. 30.
Caſtitas quam à Franciſco adamata. Specimina & exempla illuſtria. 24.25.35.57.58.174.
Catechiſmus à Franciſco inſtitutus. 236.
Catechiſmum docendi methodus & praxis à Franciſco tradita. 254.
Cauſidicorum Sabaudienſium Catalogo Franciſcus inſcriptus. Eius oratio ad Senatores. 37.
Celſus Geneuenſis Allobrox Diuus. 257.
Charitas Franciſci erga proximum, Patauÿ corpus ſuum dat Anatomices ſtudioſis. 27.28.
Charrerianus Medicus Allobrox à Franciſco ægro correptus. 171.
Chauanæenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 155.
Chenezenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 157.
Cherubinus Maurianenſis Capucinus Franciſco de Apoſtolico Caballÿ opere gratulatur. 85.
In aulam Sabaudiæ à Granierio mittitur. 129.
Orationem quadraginta horarum in Animaſiano pago inſtruit. 130.
Eius valida concio Animaſiæ. 132.
Tononÿ in ægri Franciſci locum ſuffectus diſputat cum Hermanno Lignario hæretico. 134.

Patratum à Franciſco miraculum de mortuo ſuſcitato promulgat. 140.
Cierienſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 155.
Claudius Biſuntinenſis Diuus. 256.
Claudius Granierius Epiſcopus Gebennenſis, prædicit Franciſcum futurum ſucceſſorem ſuum. 36.
Flet præ teneritudine audita Franciſci prima concione. Præclara eius verba. 45.
Calumniis præuentus in Franciſcum aliquantulum auerſus. 59.
Franciſco de Caballij conuerſione gratulatur. 86.
Eius Epiſtola & ad eam Franciſci reſponſio. *ibid.*
In Caballio Eccleſias & altaria conſecrat. 139.
Franciſcum eligit Adiutorem. 166.
Eius ſomnium. 165.
Eius gaudium de obtento in Adiutorem Franciſco. 168.169.
Eius obitus & elogium. 224.
Claudius Guichardus Arandatius Franciſco intimus. 56.
Claudium Cheuallerium Franciſcus in poſſeſſionem Bellæuallenſis Eccleſiæ inducit. Vt excipitur. 121.
Claudius Angeuillanus Primicerius Rupenſis, Generalis Eccleſiarum Caballij Oeconomus conſtitutus. 159.
Claudius Coëſius Franciſci ſollicitator Romæ. 184.
Claudiæ Philibertæ Pingoniæ obitus. 329.
Claudio Ludouico Nicolao Coëſio Priori Tallorienſi Franciſcus præcepta dat. 333.
Claudius Boucardus Virdunenſis in Franciſci manibus hæreſim abiurat. 399.
Quantis laudibus Franciſcum celebret. 440.
Clementis Papæ octaui ad Auulliacum litteræ. 89.
Eiuſdem ad Franciſcum pro tentando Beza. 95.
Eiuſdem aliæ litteræ in eamdem rem. 123.
Eius ſuper Franciſcum teneritudines & verba. 183.
Collongienſis Eccleſia quam ab hæreticis vaſtata. 157.
Columba mirè deſcendit in Franciſcum. 360.
Et iterum occaſione ſimili. 368.
Columna ignea Franciſco apparet. 334.
Compeſeriana Eccleſia ab hæreticis vaſtata. 158.
Concio prima Franciſci de Euchariſtiæ Sacramento. 44.

Conciones Franciſci in Caballio à Miniſtris hæreticis deſcriptæ 110.
Concionum Franciſci themata in Oratione quadraginta horarum. Tononij. 144.
Conciones Franciſci quot & quantæ? 457.
Concionatorum in ſolemnitate Orationis quadraginta horarum Tononij nomina. 144.
Conciſana Eccleſia vt ab hæreticis vaſtata. 151.
Confeſſionibus audiendis quanta cum charitate & patientia Franciſcus incumberet. 57.58.
Confirmationis Sacramentum à Franciſco ſuſceptum. 6.
Confignonenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 158.
Conſecratio Franciſci in Epiſcopum. 231.
Conſiderationem in Symbolum Apoſtolorum Franciſcus ſcribit. 116.
Conſilium Franciſci Dux Sabaudiæ pro religionis rebus omninò ſequitur. 146.147.
Conſtantia Franciſci initio Caballiani operis. 73.74.75.76.77. *&c.*
Conſtitutiones ad hominum conſortium quas Franciſcus ſibi Patauij præſcripſit. 21.
Conſtitutiones aliæ ad diem tranſigendum. Patauij item præſcriptæ. 15.16.
Conſtitutiones Domui ſanctæ Tononienſi à Franciſco datæ. 194.
Conſtitutiones Synodales Diœceſis Gebennenſis à Franciſco initio ſui Pontificatus latæ. 251.
Conſtitutiones Synodales ſecundæ. 273.
Conſtitutiones Ordinis Monialium Viſitationis B. M.V. à Franciſco. 390.
Conſtitutiones Anachoretarum Vorionenſium à Franciſco latæ. 435.
Corſerienſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 156.
Crucem Franciſcus ad Chriſti imitationem baiulat. 63.
Cruces in Caballio multas Franciſcus erigit. 123.
Crucem prælatam Franciſcus Animaſſiæ erigit. 131.
Crucis defenſionem Franciſcus ſcribit. 138.
Crucifixi ſtatua in Franciſcum radios vibrat. 284.
Curiones Franciſcus in Caballio inſtituit nonobſtantibus quibuſcun-

que. 105.106.
Curiones in Caballio constituti in Generali Ecclesiarum restitutione. 207.
Cusiacensis Baronatus Dynastarum Pingoniorum. 62.63.
Cusiacensis Ecclesia in Caballio quàm ab hæreticis vastata. 156.

D.

DAEmones è corporibus Franciscus eiicit & expellit. 282. 316. 345.362.404.409.443.
Dæmonomaniæ tractatus quas ob causas scriptus. 115.
Descriptio Franciſci exterior & interior. 480.
Desperantem de sua salute ægrum Franciscus reuocat in spem. 417.
Sacerdotem item reum actum. 425.
Et Adulteratorem monetæ reum. 288.
Deus Franciſcum in Caballio mira suauitate visitat. 83.84.
Dionysium Simonem Marquemontium Lugdunensem Archiepiscopum Franciscus inuisit. 367.
Dionysius Simon Marquemontius Franciscum inuisit. 378.
Eum Sanctum vocat. 379.
Diuionenses Franciscum de concionibus rogant. 244.
Diuionensis vrbis descriptio. 258.
Diuioni Franciscus Quadragesimam exigit. 259.
Diuionenses quàm Franciscum amarent. 265.
Diuitias & honores quàm Franciscus parui faceret. 361.428.
Doctorali laurea Franciscus Patauij insignitur. 29.
Eius Oratio & gratiarum actio ad Doctores. *ibid.*
Dolæ Franciscus concionatur. 320.
Dominicani Ordinis Franciscus filius. 310.
Domus sancta Tononiensis à Francisco excogitata. 191.
Eius erectio. 193.
Douenensis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 155.
Dralliantina Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 152.
Duellorum & blasphemiarum insaniam Franciscus ex Allingiana arce profligat. 70.
Duello dimicantes nobiles duos Franciscus reprimit. 125.

E.

ECclesiæ notæ quomodo à Francisco ostensæ & descriptæ. 113.
Ecclesiæ suæ Franciscus iura fortiter tuetur. 373.

Edictum

Edictum Franciſci pro Supplicatione in feſto Corporis Chriſti. 267.
Educatio Franciſci infantis. 3.
Eleemoſynas vt in Caballio Franciſcus diſtribueret. 164.
Eleemoſynarius Magnus Chriſtianæ Francicæ Franciſcus effectus. 427.
Epiſtola Franciſci ad Ducem Sabaudiæ initio Caballiani operis. 92.
Epiſtola Franciſci ad Summum Pontificem de Theodoro Beza. 110. 111.
Equites Mauritiani & Lazariani Franciſci piis conatibus ſe opponunt. 185.
Eos Franciſcus Taurini vincit. *ibid.*
Erchantina Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 157.
Eſcheuenæenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 156.
Euchariſtiam ſanctam quo amore & cultu Iuuenis Franciſcus proſequeretur. 9.
Euchariſtiæ Sacramentum initio Caballiani operis vt Franciſcus deferret. 79.
Euſtachius Chapuiſius Anicienſis Gymnaſij fundator. 4.
Examen Franciſci Epiſcopali munere donandi Romæ. 181.182.
Exertenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 158.

F.

Fama poſthuma Franciſci. 479.
Febricitantem puellam Franciſcus ſubitò ſanat. 451.
Fegeriana Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 158.
Ferdinandus Bouerius à Franciſco conuerſus hæreſim abiurat. 135.
Feßiacenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 153.
Fidei profeßio à Franciſco emiſſa. 461.
Filium nobili fœminæ Franciſcus à Deo obtinet. 441.
Filliacenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 155.
Fortitudo, magnanimitas, & zelus Franciſci pro religione conſeruanda in Caballio, apud Ducem. 146.
Franciſcus Suarez Franciſcum Philoſophiam Lutetiæ docet. 10.
Franciſcus Dynaſta Saleſius Boëſiacus filio ſuo bibliothecam præparat. 31.
Eius apprehenſio de Franciſco, & lamentationes ad Granierium. 73.
Eius morbus, obitus, funeralia, Elogium. 210.
Franciſca Syonnaſia ad Franciſcum filium pecunias pro pauperibus mittit.

mittit. 80.
Eius morbus, obitus, Elogium. 339.340.341.
Franciscus Chissæus Polingianus Francisci in profectione Romana comes. 171.172.*&c.*
Franciscus Bonna Dux Diguierianus Francisci auidus. 403.
Ducem Sabaudiæ rogat ad habendum Gratianopoli Franciscum. 414.
Friburgenses Sabaudiæ Duci gratulantur ob restitutam in Caballio Catholicam fidem. 146.
Fullienses Franciscus Abundantiæ collocat. 307.
Fulliensis Ordinis Franciscus filius. 449.450.
Funeralia Francisco reddita. 466.467.
Furibundum & maniacum Franciscus miraculo sanat. 439.

G.

GAlesius Regardus Balneoregiensis Episcopus Franciscum Clericali tonsura insignit. 7.
Galesius Salesius Dynasta Villarogetius Francisci frater. 340.
Galleterius agri Vallensis Minister à Francisco victus, à Bernensibus ad mortem damnatus. 126.
Gaspara Salesia Coxnillioni & Merenti Domina Francisci soror. 341.
Gaspara Auisana Monialis Visitationis. Eius visio. à Francisco confirmata. 356.357.
Gebennensis Ecclesiæ status. 296.297.298.
Eius splendor, antiquitas, miseria. 101.102.
Gebennensis Diœcesis descriptio. 281.
Gebennenses Episcopi Principes Romani Imperij. 367.
Geneua ad fouendam hæresim mirè commoda. Vt euertenda. 98.99.100.
Geneuâ Franciscus mirabiliter transit. 335.
Geneuates Franciscus mendacij coarguit. 84.
Quàm à Iesuitis timeant. 133.
Eorum perfidia in Ternerienses Tononium proficiscentes. 141.
Eos Franciscus ad disputationem prouocat & conatur compellere eorum vecordia. 129.246.277.336.264.
Eorum timor & tremor de Oratione Animaßiana. 130.
Complures Franciscus ad Romanam fidem conuertit. 328.345.
Germani Beati Anachoretæ Tallorienßis ossa Franciscus transfert. 444.

Eius

Eius Elogium. 445.
Gexiensis agri descriptio. 213.
Gexiensis Ecclesiæ restitutio à Francisco & eius pro ea decreta. 362.
Gilbertum Genebrardum Franciscus Lutetiæ docentem audit. 10.
Globus igneus in Franciscum cadit. 376.
Grangianus Augustanus vt Franciscum Patauij amaret. 28.
Gratianopoli Franciscus Quadragesimam Concionibus agit. 399.
Gratus Augustanus Diuus. 257.
Guidus Pancirolus Franciſci Doctor, Patauij. 13.

H.

HAEreticos omnes Dux Sabaudiæ muneribus omnibus priuat. 147.148.150.
Hæreticos vt reduci volebat Franciscus absque armis aut disputatione. 370.
Henricus quartus Galliarum Rex Sabaudiam occupat. 201.
Quàm Franciscum amaret. 219.220.221.222.
Eum penes se habere cupit. 272.
Eum mirificè laudat. 325.
Hermantianus Baro Francisco & Salesiis omnibus intimus. 67.68.
Eius obitus. 94.
Hermantiana Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 156.
Hispani cuiusdam in Episcopum examinandi pauor Romæ. 182.
Humilitas Franciſci stupenda medios inter honores. 133. 398.406. 428.431.432.449.455.
Humilliacensis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 157.
Hieronymus Dandinus è Societate Iesu Franciscum Lutetiæ Philosophiam docet. 10.
Hieronymus Cardinalis Pamphilius ad Franciscum circa visitationem liminum Apostolorum scribit. 306.
Miris eum extollit laudibus. ibid.

I.

IAcobus Menochius Iurisconsultus Patauinus laudatur à Francisco. 30.
Iacobi Foderæi Minoritæ Bessani sancta cum Francisco disceptatio. 44.
Iacobus Bayus Doctor Louanienſis Francisco librum suum de Eucharistia dedicat. 295.
Iaoobus Dauidius Cardinalis Perronius Francisco intimus. 218.

Eum mirè laudat. 219.220.
Ianus Saleſius Melitenſis Eques Franciſci frater. 341.
Iacobum Mouxiacum Abbatem Sixienſem Franciſcus ad benè moriendum iuuat. 442.
Ictero Franciſcus Lutetiæ percutitur. 11.
Ieſuitæ quàm auidè à Franciſco quæſiti & amati. 7.
Eos vult Tononij collocari. 128.
Quàm Geneuatibus hæreticis formidabiles. 133.
Inquiſitio de Eccleſiis Caballianis à Franciſco, Angeuillano & Marinio. 151.
Introductio ad deuotam Deo vitam, Liber aureus Franciſci vt conſcriptus & editus. 323.324.
Ioanna Manæa Franciſci hoſpes Tononij. 79.
Ioanna Saleſia Franciſci Soror obit. 312.
Ioanna Franciſca Fremiota Chantalij Baro. 260. 261. 262. 263. 264.
Venit in Sabaudiam ad Franciſcum. 342.
Peſſimè infirmatur. 348.
Ioannes Deagius Franciſci Gubernator & præceptor. 8.
Eius obitus. 344.
Ioannis Bouuardi de Iuuene Franciſco ſomnium. 10.
Ioannem Maldonatum Lutetiæ docentem Franciſcus audit. 10.
Ioannes Forerius Ieſuita Franciſci Confeſſarius. 230.
Ioannes à ſancto Malachia Fullienſis Franciſco intimus. 259.
Ioannes Petrus Camuſius Bellicenſis Epiſcopus à Franciſco conſecratur. 334.
Franciſcum Patrem eligit & vocat. *ibid.*
Ioannes Franciſcus Saleſius Epiſcopus Calcedonenſis ac poſteà Gebennenſis Franciſci frater. 341.
Inſtruitur à Franciſco. 443.
Ioannes à ſancto Franciſco Generalis Fullienſis Franciſcum mirè laudat. 324.
Quàm eum Franciſcus amaret. Eius Elogium. 448.
Iolyus Tononienſis à Franciſco reductus ad fidem Catholicam. 160.
Iram vt Franciſcus vinceret. 397.
Iuniperiana Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 154.
Iuſtitiæ Franciſcus quàm rigidus obſeruator. 379.
Iuuenalis Ancina Epiſcopus Saluticnſis Franciſco intimus. 183.

Eum

Eum Franciſcus Carmaniolæ agentem inuiſit. 239.
Eum mirè & ſanctè laudat. 411.

L.

Labores à Franciſco perpeſſi initio Caballiani operis. 68.69.
Labores à Franciſco in Viſitatione Diœceſis perpeſſi. 294.
Lamiam Franciſcus abigit. 311.
Lauretanam AEdem Franciſcus inuiſit. Eius preces & vota. 33.
Lauretanæ AEdis diuitiæ, & quid de his Franciſcus dicat. 184.
Leges quas ſibi ipſi Franciſcus præſcripſit. 226.
Leluiſetenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 158.
Libertatem conſcientiæ quàm Franciſcus abominaretur. 287.
Libri à Franciſco concepti quos non ſcripſit morte præuentus. 448.
Lites Franciſcus componit. 317.353.
Loïſinenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 155.
Longauillana Princeps Franciſco intima. Offert illi nummos aureos. 218.
Ludimagiſtrum Tononienſem hæreticum Franciſcus tolli curat. 147.
Ludouicus Saleſius Præpoſitus Eccleſiæ Gebennenſis. Franciſci Patruelis coniunctiſsimus & chariſsimus. 65.
Geneuam miſſus ob quam cauſam. 132.
Ludouicus Viretus Miniſter hæreticus Tononienſis. Eius & ſociorum ſocordia. 82.83.
Eius in Miſſam inuectiuæ ſtolidæ. 116.
Ludouicus Comes Saleſius Franciſci frater, in omni diſciplinarum genere verſatiſsimus. 130.341.
Lugdunenſes Comites & Canonici Franciſcum de Concionibus Quadrageſimæ rogant. 353.
Lugdunenſes Matronæ Anicium veniunt. ibid.
Lugduni quanta pateretur Franciſcus. 453. & deinceps.
Lugrinenſis, Lullerienſis, & Lulliacenſis Eccleſiæ quàm ab hæreticis vaſtatæ. 153.156.158.
Lutetia Pariſiorum qualis ac quanta Ciuitas. 7.
In ea Franciſcus primùm concionatur tempore Quadrageſimæ in aula Luparæ. 217.
Et ſecundò, in Diui Andreæ. 422.
Mirum in modum laudatur. ibid.
Colitur vt Sanctus. 426.

Criminationibus oneratur. Eius constantia. 430.
Luxius Baro apud Heduos Prorex Francisco intimus. 214.
Lyeurÿ hæretici in Franciscum facinus. Et Francisci patientia & lenitas. 136.

M.

Machilliacensis, Mallagniacensis, Marclaënsis, Margencellensis, Marsilliacensis, Massongiacensis, Matigniacensis, & Messeriacensis Ecclesiæ quàm ab hæreticis vastatæ. 151. 154. 155. 156. 157.
Mania dirè vexatum Sacerdotem Franciscus sanat. 408.
Mania tactam fœminam Franciscus liberat. 409.
Maria Aurillotia dicta ab Incarnatione apud Franciscum confitetur. 222.
Francisci de eâ Iudicium. 223.
Martinenguium Comitem Sabaudiæ Producem Franciscus pro rebus Caballianis quærit. 120.
Martinenguianos milites in Caballio Franciscus confitentes audit. Eius mansuetudo & lenitas. 119.
Martyrio Franciscus proximus ab hæreticis Caballianis. 71. 72.
Martyrium Franciscus subeundum cogitat, & in eo animum obfirmat. 106.
Matthiæ Romanorum Imperatoris litteræ ad Franciscum. 367.
Maubuissoni Franciscus quàm ab Abbatissa cultus. 425.
Mauritius Martyr Sabaudiæ Patronus. 257.
Mauritiani Equites domus sanctæ Tononiensis Protectores. 309.
Mediolani Franciscus benè exceptus. 358.
Methodus agendi cum hæreticis à Francisco observata. 136.
Michaël Forazius Nobilis Caballianus hæresim abiurat Tononÿ. 143.
Miles in Franciscum insolens à Deo castigatur. 445.
Minimos Religiosos quàm Franciscus amaret. 268.
Minimorum Religiosorum Franciscus se fratrem dicit. 405.
Ministri hæretici quàm malè de doctrina Catholica informati. 112.
Ministri Caballiani, Vallenses, & Geneuenses disputationem Francisco offerunt. Eorum socordia. 126.
Ministri Geneuenses vi è Caballio à Francisco profligati. 212.
Missæ sacrificium primum Franciscus offert in Ecclesia Cathedrali solemniter. 53.

Molinæi Ministri hæretici socordia. 423.
Monglanus Caballij Toparches ab Henrico Rege constitutus. 202.
Montes glaciales in Falcinio. 290.
Morbus Franciſci, Patauij. 26.27.28.
Poſt labores Caballij. 169.
Quo obiit, & eius in eo virtutes. 460.461. *&c.*
Mortuus puer à Franciſco Tononij ſuſcitatus. 139.
Mortem ſuam Franciſcus prædicit. 445.447.452.456.460.
Mors Franciſci. 465.
Mulieres Franciſcus arcet à ſua domo. 238.
Mutum & ſurdum Franciſcus inſtruit. 273.

N.

Arniacenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 156.
Natiuitas Franciſci. 2.
Nicodeſij Ieſuitæ præclarum de Iuuene Franciſco effatum. 10.
Nuptias quàm conſtanter Franciſcus recuſat. 39.
Nuptiæ Bernardi Baronis Saleſij Torentini & Mariæ Amatæ Rabutiniæ Chantaliæ. 319.

O.

Officiales & Adminiſtros quos Franciſcus ſibi creat. 236.
Operum bonorum neceſſitas à Franciſco Bezæ oſtenſa. 108. 109.
Oratio Franciſci ad Doctores Patauinos. 29.
Oratio quadraginta horarum prima Tononij inſtituta. 140.
Orbenſis putei Monialibus Franciſcus conſilia dat. 317.
Ordinem ſacrum Subdiaconatus Franciſcus ſuſcipit. 43.
Orſerienſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 152.
Ottellius Iuriſconſultus Patauinus laudatur à Franciſco. 30.

P.

Pancirolus Franciſcum de caſtitate laudat, & laudatur à Franciſco. 30.
Panis & vini multiplicatio à Franciſco. Stupendum miraculum. 421.

Paralyticum natum Franciſcus ſanat. 409.
Pariſienſem Archiepiſcopatum Franciſcus recuſat. 429.
Paruo-bornandenſe Curionium Beneficium Franciſcus obtinet. 59.
Patauium Ciuitas Italiæ à quo condita. 13.
Patientia Franciſci mira Româ primò redeuntis. 35.
Patrem ſuum vt Franciſcum flectit ad obtinendam Eccleſiaſticæ vitæ facultatem. 40.
Patrum ſanctorum Libri quorum lectioni Franciſcus Patauij incumbebat. 14.
Patrum Sanctorum libros quàm parui faceret Beza: quàm verò magni Franciſcus. 124.
Pauperes quàm Franciſcus amaret, ſubleuaret. 4. 375. 439. 450.
Dat ſui demenſum opſonij & ientaculum Iuuenis. 4.
Dat & porrigit interulam ſuam. 229.
Dat & porrigit ſubligaculum ſuum. 370.
Dat & porrigit vaſculum argenteum. 296.
Dat duo candelabra argentea. 386.
Oppignerat pro eis pretioſum adamantem. 450.
Paupertas & humilitas quàm à Franciſco adamatæ. 455.457.
Pax inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ. 209.
Pecuniam Franciſcus à Deo accipit ad Eleemoſynam. 427.
Perdrieluillia Matrona Nobilis à Franciſco ad fidem Catholicam conuerſa. 217.
Peregrinationes Franciſci variæ, ad ſanctam Crucem Aquenſium cum Pœnitentibus Anicienſibus. 60.61.62.
Ad Beatæ Mariæ Tononienſis. 246.
Ad Sepulchrum Diui Claudij primò. 268.269.
Ad eaſdem reliquias ſecundò. 308.
Ad Beatæ Mariæ Monteregienſis. 240.
Ad ſepulchrum Diui Bernardi Mentonij. 359.
Ad ſepulchrum Beati Germani Tallorienſis. 444.
Ad ſepulchrum Diui Caroli Borromæi. 358.
Perfectio Franciſci in extrema vitâ, ex tota. 457.
Perrigniacenſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 153.
Perſequutione peſſima Franciſcus tentatus. 371.380.381.
Peſte infectis Anicienſibus Franciſcus ſubuenit. 134.
Petrus Poncetus cauſidicus à Franciſco conuerſus. 84.

Petrus

Petrus Petitius Minister à Francisco conuersus. 105.
Hæresim abiurat. 142.
Petrus Fornerius Consul Tononiensis Francisci in manibus hæresim abiurat. 117.
Petrus Critanus Franciscum ad Episcopatum sollicitat. 167.
Petrus Tarentasiensis Diuus. 256.
Petrus Faber Icsuita Allobrox Beatus. Franciscus quanti eum faceret. 311.
Petrus Villarsius Archiepiscopus Viennensis Franciscum miratur & amat. 323.324.327.
Petra Mæroda Anicienſis Franciſci precibus à doloribus partus liberata. 190.
Petri Apostoli Primatus vt à Francisco probatus. 113.
Petronillæ Boutææ Codiæ Rupensis historia. 291.
Pheræ Gubernator à Francisco ad fidem conuersus. 423.
Philibertus Gerardus Scallia Comes Verrucanus Franciscum non vult Romæ examinari. 181.
Philippus Emanuel Lotharingus Mercurij Dux obit. Franciscus habet in eius laudem Orationem funebrem. 219.
Philippus Iacobus Germanus quàm in Franciscum insolens. 426.
Philippi Coëſij Sancathariniani morbus, obitus, Elogium. 415. 416.
Pinerolij in Conuentu Fullienſium Franciſcus præſidet. Eius labores. 447.
Piſcium captura ingens pro Franciſco. 421.
Pleſſiſij Mornæi hæretici mendacia Franciſcus oſtendit. 135.
Pœnitentiæ cuiuſdam actus mirus. 430.
Pompa funebris Franciſci Lugduno Anicium vſque. 472. 473. *&c.*
Pontem Duranciæ ruptum vt Franciſcus hyeme pertranſiret. 80. 81.
Pontius Falcinas Beatus Abbas Sixienſis à Franciſco cultus. Eius Elogium. 441.
Portiones congruæ Curionibus Caballianis aſſignatæ. 206.
Portionum congruarum aſſignatio ſupplicata Romæ à Franciſco. 176.
Præcepta Franciſci ſuis Monialibus in extrema vita. 459.

Prælatorum

Prælatorum qui Orationi quadraginta horarum Tononij interfuerunt nomina. 142.
Præseruat Franciscum Deus à maris vorticibus. 33.
Præpositura Ecclesiæ Gebennensis Francisco concessa. Possessionem adipiscitur. Eius oratio ad Patres. 40.41.42.
Prezius Nobilis Caballianus à Francisco conuersus. 160.
Prioratum Diui Hippolyti Sanctæ Domui Tononiensis Franciscus vnit. 309.
Processiones ad decem hominum millia Tononium veniunt. 144.
Prodigium quo Franciscus à sæculari sorte abducitur. 38.
Prophetia & Prædictionis dono Franciscus insignis. 365. 366. 377. 387. 444. 445. 451.

R.

RAconisia Gens apud Parisios à Francisco ad fidem reducta. 217.
Radiosus ore toto Franciscus apparet. 264.438.
Reformationi Regularium vt Frãciscus incumberet. 178.299.388.
Religiosorum hominum consuetudine quàm Iuuenis Franciscus delectaretur. 9.
Religionis prætensæ reformatæ exercitium in suis Prouinciis Dux Sabaudiæ omninò prohibet. 163.
Renatus Grossus Sanioricianus Francisco intimus. 383.
Reyuroënsis Ecclesia quàm ab hæreticis vastata. 151.
Ripallienſi Eleemosynæ Franciscus à Duce proficitur. 137.
Ripallienſem Abbatiam Franciscus recusat. 352.
Ritualis Sacramentorum liber à Francisco editus. 255.
Robertus Cardinalis Bellarminus Franciscum Romæ interrogat. 182.
Quid posteà de eo dicat. 405.
Eum Franciscus mirè laudat. ibid.
Romanorum antiquorum vanitatem vt Franciscus abominaretur. 32.
Romanæ vrbis Basilicas Franciscus visitat. ibid.
Romæ Franciscus mirè à ruina domus præseruatur. ibid.
Romanæ Ecclesiæ nomina ab antiquis Patribus data. 113.

Romani Pontificis nomina ex Antiquis Patribus. 114.
Romana Franciſci profectio pro viſitatione liminum. 172.
Rubor in Franciſco inſolitus Laureti. 33.
Rumilliaci Franciſcus Quadrageſimam Concionibus peragit. 314.
Rupi Franciſcus Quadrageſimali tempore concionatur. 272.

S.

S Abaudiæ Collegium Auenioni. Franciſcus de eo agit. 454.
Saleſiani Caſtri deſcriptio. 224.225.
Saleſiæ Gentis ſymbolica teſſera. 225.
Sacerdotes Franciſcus in Caballium aduocat. 121.
Sanciriciana, Sandeſideriana, Saniulianenſis, Saſſellenſis, & Seruentina Eccleſiæ quàm ab hæreticis vaſtatæ. 153. 154. 158.
Sanciriciana Nobilis fœminæ hæreticæ à Franciſco conuerſio. 346.
Sanctus ab omnibus in vita Franciſcus exiſtimatus, ſicque vocatus. 456.
Sancti à Franciſco peculiari religione culti. 256.257.
Scuticam ſæpè Franciſcus excipit. 25.26.
Sedunum Franciſcus proficiſcitur, ibique concionatur. 369.
Seminarium Tononij vel Anicij erigendum. 100.
Senatoriâ dignitate Frauciſcus à Sabaudiæ Duce donatur. 39.
Quibus de cauſis eam recuſat. 56.
Sententia Franciſci pro rebus Caballianis Taurini coram Duce. 96. 97.98.99.
Sepulchrum & Epitaphia Franciſci. 476.477.
Similitudo præclara Franciſci pro iuſtificatione animæ. 124.
Sindon Domini Anicium defertur. 2.
Sindonem ſanctam Franciſcus Taurini explicat. 359.
Sixienſis Abbatiæ deſcriptio. 247.
Sixienſis Abbatia Gebennenſi Epiſcopo ſubdita. 265.266.
Sixienſis Abbatiæ reformationi Franciſcus vltimam adhibet manum. 418.

Sixienſes Religioſos Franciſcus laudat & amat. 415.
Sixij Franciſcus omnia pacat. 441.
Sodalitas B.V.Societatis Ieſu Franciſco illuſtris. 8.
Sodalitatem pœnitentium ſanctæ Crucis Anicij Franciſcus erigit, quas ob cauſas, Eius Conſtitutiones. 46.47.48.49.50.51.52.
Sodalitatis Pœnitentium Camberienſium Franciſcus Pater & Inſtitutor. 60.61.
Sodalitatem S.Sacramenti Franciſcus Tononij erigit. 308.
Solitudinem Franciſcus in extrema vita meditatur. 444.
Somnus ſpiritualis quem ſibi ipſi Franciſcus Patauij præſcripſit. 19.
Spiritus Balmenſis Capucinus Franciſcum laudat ſummo Pontifici. 94.95.
Spiritum Balmenſem Franciſcus à lapidatione liberat. 136.
Submerſionem Franciſcus mirabiliter euitat. 214.
Synodus Claudij Granierij pro reſtitutione Eccleſiarum Caballianarum. 200.
Synodi Cleri Gebennenſis Ordo & Maieſtas. 250.

T.

Talloriarum deſcriptio. 330.
Tallorienſes Monachos Franciſcus reformat. *ibid.*
Taurini Franciſcus infirmatur, Eius ibi ſtupenda humilitas. 449.450.
Temperantiæ mirus actus à Franciſco patratus. 315.329.
Tentatione peßima Iuuenis Franciſcus Lutetiæ vexatur. 11.
Tentatio Franciſci circa Sacramentum Euchariſtiæ. 170.
Ternerienſes Eccleſiæ duodecim à Geneuatibus occupatæ. 159.
Teſtamentum Franciſci. 452.469.
Theodorus Beza Archiminiſter Geneuenſis à Franciſco tentatus.Eius incertitudo de ſua fide. 107.108.109.
Quàm miſeratione dignus ex eius verbis. 125.
Vt in incerto obierit.Sepultus in Clauſtris Diui Petri. 127.
Theodulus Epiſcopus Sedunenſis,Diuus. 257.
Theologiæ Franciſcus Lutetiæ incumbit. 10.

Theologicas quæstiones & difficultates quàm benè Franciscus dissoluat. 36.58.
Theologiam moralem Franciscus Tononij docet. 119.
Thererienſis Eccleſia quàm ab hæreticis vaſtata. 158.
Thomas Pobellus Tricaſtrenſis Epiſcopus Franciſci Promotor. 232.
Titius Anicius Anicienſis Ciuitatis apud Allobroges fundator. 4.
Tononienſis Eccleſia vt ab hæreticis vaſtata. 151.
Tononienſis vrbs in Oratione quadraginta horarum vt inſtructa. 143.
Tononienſes quàm initio obſtinati. 74.76.
Iaciunt lapides in Franciſcum. 117.
Inuitantur à Duce ad audiendas Catholicorum Conciones. 102.
Eorum ſeditio in Franciſcum. 103.
Demùm eum audiunt. 81.82.
Eorum nomine Franciſcus Epiſtolam ad Summum Pontificem ſcribit. 118.
Eos in aulam Comitiorum Dux conuocat concionabundus. Et eius oratio. 148.
Incolas Catholicos Ciuitate donat. 148.
Eis ſe totum Franciſcus addicit. 247.
Eorum Trophæum Franciſco poſitum. 478.479.
Torentum Baronatus Comitum Saleſiorum. 231.
Treuiſanus Iuriſconſultus Patauinus laudatur à Franciſco. 30.
Trinitas à Franciſco ineffabiliter viſa. 232.
Tulliacenſis Eccleſia vt ab hæreticis vaſtata. 151.
Turca à Franciſco de Triniiatis myſterio, Lutetiæ Pariſiorum inſtructus & ſatisfactus. 218.

V.

Valentinorum abuſum Franciſcus tollit. 237.
Venenum Franciſco à Miniſtris propinatum. 246.
Vegiacenſis, Veriacenſis, Verſenſis, Vigniacenſis, & Viriacenſis Eccleſiæ quàm ab hæreticis vaſtatæ. 153.154.157.158.
Veragri Allobrogum populi nunc Caballiani. 64.
Veritas quàm à Franciſco adamata. 3.

Vespasianus Gribaldus Archiepiscopus Viennensis Franciscum consecrat. 231.
Vespasianus Agacia Abbas Abundantianus Francisco intimus. 270.
Vesuntioni Franciscus Sindonem Domini adorat. 320.
Victor & Vrsus Martyres Thebani. 256.
Villaregium Franciscus Lutetiæ pro Gexio conuenit. 215.
Villarogetius Franciscus à Patre suo appellatus. 36.
Vindicias de pensionibus Ministris attributis Franciscus Camberij obtinet. 121.
Vindicias omnium Beneficiorum Caballij Dux Francisco concedit. 147.
Vinum corruptum subitò Franciscus optimum reddit. 417.
Viretus de Iouiniana hæresi à Francisco conuictus palinodiam ignominiosè canit. 117.
Virginitatem suam Franciscus Deiparæ confidit. 9.
Vouet eam, & rosarij idcircò recitationem. 12.
Virginem se Franciscus ingenuè fatetur. 451.
Virginem esse Franciscum Sancatharinianus ait. 416.
Virginem Franciscum Medici iudicant & Armandus Iesuita Adiutor. 465.466.
Visiones variorum variæ de Francisco defuncto. 467.468.
Visitatio liminum Apostolorum à Francisco. 174.
Visitatio seu lustratio Diœcesis à Francisco. 281.
Visitationis Beatæ Mariæ Virginis Ordo à Francisco & Fremiota vt inceptus. 343.347.355.
Visitationis Anicienſis AEdem Franciscus dedicat. 368.
Vitriacus Toparches Franciscum captiuum suum effectum laudat & amat. 202.
Vnctionis extremæ Sacramentum à Francisco susceptum. 462.
Vorionis montis descriptio. 432.
Religionis in eo historia & antiquitas. 433.
Vsuras Caballianorum vt Franciscus tollat. 199.
Valliacensis & Vullionnæensis Ecclesiæ quàm ab hæreticis vastatæ. 152.158.

X.

XEnotrophium Montis-Iouis. Franciscus in eo opportunè reficitur. 95.96.

Zelus

INDEX RERVM.

Z.

Zelus Franciſci erga Dei cultum & proximi ſalutem mirus. 249.276.287.290.301.303.

Zeringuenſes Principes Caballÿ Duces. 64.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pagina 2. linea 23 lege Selengienſis. p 25. li. 9. leg cremabantur. p. 34. lin. 17. leg. & in hunc ille. p 58 l. 18. l. Dunantius. p. 64. l 8. l. & in Lemanum diffunditur qui eam. p. 80. l. 21. leg. Caſtiſſime. p. 112. l. 32. l. ſed non carnaliter. p. 166. l. 11. l. in eius p. 235. l. 34. l. hemiciclo. p. 306. l. 12. l. hydrographica. p. 338. l. 35. l. alium non acceptandum p. 385. l. 14. l. infeſtum. p. 404. l. 19. l. Eccleſiaſtæ. p. 418. l. 17. l. conticuit Sacerdos & eum pœnituit. p. 543. l. 34. l. cum non eum pœniteret, ſic captus. p. 464. l. 15. l. viuite. p. 465. l. 9 lege de laqueo.

Reliqua bone lector facilè excuſabis & teipſo corriges.

LVGDVNI.

Ex Typographia IOANNIS BRV
Granatensis Vasconis, Ad insigne
trium glandium in vico
Xenotrophij.

Vita
S. Francisci
Salesij.

Th
2307